1776

DANIELIS GERDESII

HISTORIA REFORMATIONIS,

SIVE,

ANNALES EVANGELII

SECULO XVI.

PASSIM PER EUROPAM

RENOVATI

DOCTRINÆQUE REFORMATÆ,

ACCEDUNT VARIA MONUMENTA

PIETATIS ET REI LITERARIÆ

Ut plurimum ex mss. eruta.

TOMUS II.

Qui res gestas per omnem Germaniam & Helvetiam ab A. 1520—1530. *complectitur.*

Subjuncti sunt indices in utrumvis tomum necessarii.



GRONINGÆ & BREMÆ,

Apud { HAJONEM SPANDAW, & GERH. WILH. RUMP. } Bibliopolas.

ANNO MDCCXLVI.





LECTORI BENEVOLO

S A L U T E M.

QUem Tibi hic, ſub auſpiciis divini Numinis offerimus, alter eſt Tomus *Hiſtoriæ* REFORMATIONIS, qui poſt integri biennii interſtitium priorem quem ſub *Introductionis* titulo emittebamus, aſſequitur. Rerum memorabilium cum gravitas, tum varietas, & mirabiles divinæ Providentiæ in inſtauranda Veritate Evangelica, qui hic panduntur ductus, ex ipſis primis fontibus, quanta fieri potuit, accuratione deducti, apud æquos rerum arbitros, id opinor efficient, ut nulla ipſis conquerendi de moræ vel cunctationis diuturnitate

ſuperfutura ſit ratio; Inprimis, cum non, quam velociter, ſed quam bene quid in lucem evulgetur, inquirant meritò prudentiores. Præterquam, quod nec in publico munere eoque duplici conſtitutis, tempora ſemper pro arbitrio diſponere liceat; Nec, ſi vel maximè majorem nobis indixiſſemus feſtinationem, promptos ſemper ad manus aut paratos habuiſſemus typographos, lentiori ſæpe gradu quam par erat apud nos progredientes, nec ullum in mora ſibi præcipientes periculum.

Quid in hoc Tomo ſit præſtitum, Tui potius quam mei judicii eſt pronunciare: Adtentionem, diligentiam atque ſtudium, quantum in me fuit, impendi, ne quid quod ad Reformationis Eccleſiarum *Germaniæ* atque *Helvetiæ* Hiſtoriam pertineret, per integrum illud, quod à Seculi decimi ſexti anno *viceſimo* usque ad *triceſimum* fluxit, decennium, omitteretur: Neque tamen etiam, præfiſcini dixero, ſuperflua fui ſectatus aut parerga, quæ ceteroquin vel ex ipſius Xenophontis auctoritate non omnino improbavit EUNAPIUS, *) quæque non ſemper, præcipuè à per-

*) EUNAP. in Proœm. ad vitas philoſophor. *Ο γὺν μεγας Αλεξανδρος ὐκ αν ἐγενέlο μεγας, ἐι μη Χενοφων και τα Παρεργα φησι δειν των σπυδαιων ἀνδρων ἀναγραφειν.*

personarum descriptionibus in quibus ipsæ sæpius minutiæ animum non delectant tantùm sed & informant, abesse poterunt:

Quantum ad *Historiam Lutheranismi* adtinet, non semel ad immortale Opus Seckendorfianum, sive prouti illud ab Illustri V. L. SECKENDORFFIO est institutum, sive prouti illud à Celeb. FRICKIO Theologo dum vivebat Ulmensi præstantissimo noviter est instauratum, in Germanicum idioma versum, & in Annalium formam redactum, Lectores meos remisi; cum Eo magis perfectum atque consummatum edi non possit; Dum interea sollicita quoque cura, quædam ab his vel prætermissa, vel non ita plenè explicata, quæque ad *Reformatarum* in Germania *Ecclesiarum* Origines spectabant, superaddidi; Quò ante omnia faciunt, quæ de Ecclesiis *Frisiæ Orientalis*, *Francofurtensi* ad Mœnum, *Argentoratensi*, *Ulmensi*, *Memmingensi*, & in genere, partium *Germaniæ superiorum*, ex fide dignis Documentis exposuimus; Quippe ex quibus id quoque enitescit, omnes has Ecclesias ad *Helvetiorum* magis quam *Saxonicorum* partes propendisse, atque *Zwinglii* & *Oecolampadii* sententiis potius quam *Lutheri* primò

** fuisse

fuiſſe addictas, in illo præcipuè dogmate de S. Cœna, de quo tanta deinceps cum acrimonia in Eccleſiis Proteſtantium eſt diſputatum.

Prouti huic eidem ſententiæ ſi ingenuè loqui velimus, & PHILIPPUS Haſſiæ Princeps Magnanimus, a) & ULRICUS Dux Wirtembergiæ, primùm in Helvetia Exul, deinceps in Ducatum ſuum A. 1534. felici ſidere reſtitutus, inde à principio jam faverunt, atque cum his, adeò multi eorum, qui primæ tamen Proteſtationi (unde PROTESTANTIUM nomen) in Spirenſibus Comitiis A. 1529. exhibitæ ſubſcripſerunt, quales fuerunt civitates *Argentina*, *San-Gallum*, *Ulma*, *Conſtantia*, *Memminga*.

Cæ-

a) Notabilia ſunt LAMBERTI *Avenionenſis* (quem tamen ipſum quoque, mirum dictu! ſibi quidam vindicant Lutheri aſſeclæ,) verba in Epiſtola ad *Mart. Bucerum* in collect. Fueſſl. n. xv. p. 71. „ Princeps conſtituit, ut non Adami (Cratandri) „ ſed Academiæ judicio præficiantur Eccleſiis, qui apti fuerint, „ vetuit autem ne ullus omnino repellatur à ſancto miniſterio, „ propterea, quod in negotio Cœnæ cum Luthero minime ſentiat. Vocavit aliquoties ſeorſim coram ſe utriusque ſectæ fratres, & eos ad invicem commiſit, vicit autem ſemper veritas, Lutheranis vix reſpondentibus. Princeps quoque ipſe vivacius, quam qui nobiscum ſunt, in ipſis congreſſibus veritatem tuebatur, ita ut vel ſolus de hoſtibus triumphaſſe videatur. Vidiſſes tum propugnatores humani figmenti tanquam „ ſemidemortuos loqui, haud ſecus, atque hi, qui de ſuæ cauſæ „ æquitate deſperant. „

Cæterum, in describendis rebus *Helvetiorum reformatis*, videbis hic plurimarum ecclesiarum Helvetiarum, *Bernensis* (de *Tigurina* enim, quæ inter Reformatas Ecclesias est Metropolis, jam in Introductione egimus) *Biennensis*, *San-Gallensis*, *Rhæticæ*, *Basileensis*, *Schaphusanæ*, *Mulhusanæ* &sim. veras ac genuinas pandi origines, atque primos in excutiendo jugo papali, & restituenda cum libertate tum veritate Evangelica processus, non certè tales, quales nobis utcunque delineantur, ab iis, qui suarum rerum interesse mirabiliter opinantur, res reformatas omnes deprimere, suasque solas unicè in cœlum laudibus evehere, sed quales ipsa nobis exhibent Acta publica, quibus hæc nostra innititur relatio, quæque id comprobant, non equidem ubivis inter Helvetios absque omni tumultu rem Evangelii fuisse restitutam, quippe quæ nequidem sine tumultu, saltem *non sine commotione cœli terræ*que & *marium*, variarumque *gentium revolutione* fuit instituta, aut institui debuit; Sed, fuisse tamen ubivis in reformandis his Ecclesiis conspicuam cum Procerum civilium tum Ministrorum Verbi pietatem, eruditionem, moderationem, prudentiam atque humanitatem, omnibus posteris, qui

virtutum harum fructu salutari gaudemus, in exemplum ponendam, nec unquam oblivioni tradendam: Ut paucorum, si quæ sit, culpa non nisi immeritò conferatur in omnes, & privati nævi commune odium minus rectè redundet in universam Ecclesiam Reformatam:

Et provocamus hic tutò ad conscientiam eorum, qui hæc à præjudicatis opinionibus liberi, lecturi sunt, quique simul adtenta mente sunt consideraturi, quæ ex variis Reformatorum nostrorum Epistolis authenticis inter Documenta huic Volumini subjecta, à nobis referuntur. Neque enim exactius quisquam de his rebus judicaverit, quam qui propriis oculis credit, atque ipsa prima sicubi extent monumenta diligenter expendit atque trutinat;

Equidem dum res gestas ex Actis elicio, easque vel è tenebris quibus involutæ erant in lucem profero, vel à nebulis quibus obseptæ sunt, libero, nullius ego lacessere famam, neque etiam recentiorum quorundam Theologorum non semper ritè informatorum, aut saltem non, uti par erat, in ipsam veritatem inquirentium, detegere nævos allaboro, in ejusmodi mustaceo laureolam quæsiturus; Sed mei tamen arbitratus sum officii, atque veritatis interesse judicabam, Ecclesiarum nostra-

noſtrarum hiſtoriam non tam à ſitu, & oblivionis injuria liberare, (quod itidem quodammodo factum eſſe judicabit is, qui veterum monumenta plurima à ſitu jam & ſqualore repurgata atque in lucem edita perluſtrat) quam cumprimis à præjudiciis, à minus fida relatione, quinimò etiam non ſemel à prævaricatione, quæ ſi ullibi certè in rerum geſtarum narratione exulare deberet; Neque tamen diffiteri poſſum, non ſemel illud *Timolai* apud XENOPHONTEM [a]) animo meo his rebus eruendis occupato fuiſſe injectum: Ορω δ' ἐγω ὁποσοι Σφηκας ἐξαιρειν βυλονται ὑπω πολλων τυπτομενυς: *Video eos quicunque crabrones extinguere, (& eximere ab antris ſuis) volunt à multis crabronibus feriri:*

Enimverò non diffiteor, fuiſſe viros graves & cordatos, tantò moderatiores, quantò penitiorem cum rerum geſtarum tum negotiorum gerendorum habent notitiam ac uſum, qui multis modis huic inſtituto noſtro aſſurgere, atque ut in eodem hoc ſtadio emetiendo ſine mora pergerem ſtimulos addere, ſuamque mihi benevolentiam omni officiorum genere teſtari non deſtiterunt: Neque verò id tantùm fecerunt ex Noſtris

*** quam-

a) vid. XENOPH. *Hiſtor. Græc.* lib. IV. fol. m. 514. C. edit. Wechelian. 1596.

quamplurimi, ſed & ex iis, qui etiamnum à *Luthero*, cujus divina planè in omnem reformationem merita qui non agnoſcat, importuniſſimus ut ſit, oportet, dici amant, Viri graves atque ſpectati, celeberrimi præterea nominis & magnæ apud ſuos auctoritatis, & quorum mihi præfiſcini dixero tantò gratior tantoque acceptior eſt amicitia, quantò ceteroquin à Noſtris eorum quidam ſolent eſſe alieniores, ut nec ullam facilè prætermittere ſoleant occaſionem, noſtrorum Reformatorum dicta vel facta ſugillandi atque indignis modis tractandi;

Eſt verò inter eos, qui ſingulari amicitiæ vinculo jam inde à viginti annis mihi copulatus fuit, inprimis *Chriſtophorus Auguſtus* HEUMANNUS, Theologus & Polyhiſtor Gottinganus, Vir πολλων ἀνταξιος ἀλλων: Is uti præclara ejus in omne doctrinarum genus ſunt merita, ita cumprimis *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* atque præcipuè *Reformationis* illuſtrandæ quod multam inſumſerit operam, Scripta ejus cedro digniſſima teſtantur, ut ſæpenumero quoque ad ea provocaverim, eaque mihi non ſemel mirum in modum, quod gratus agnoſco, præluxerint: Enimverò, placuit ipſi cum privatim tum publicè me admonere verbis

bis admodum benevolis atque merum cum erga me tum erga veritatem hiſtoricam amorem ſpirantibus, de eo quod ſtatueram, *Huldrico* ZWINGLIO primas in Reformatione præ *Martino* LUTHERO competere partes, eúmque adeò *tempore* Luthero fuiſſe *priorem*, in reſtauranda, quam Pontificii obſcuraverant veritate Evangelica & in repurgandis Helvetiorum ſuorum animis à Papalis doctrinæ ſordibus: Et parùm ſanè abfuiſſet, quin ego totam hanc cauſam lubenter ſolius *Heumanni* judicio permiſiſſem, atque adeò ab ejus redintegrata defenſione me abſtinuiſſem, niſi tria quatuorve verba non tam ad fovendam aut protelandam quam potius ad componendam hanc contentionem literariam, mihi eſſent facienda;

Certè non unquam negavi, nec quantum ſcio, noſtrum quiſquam negavit unquam, LUTHERUM *Indulgentias* Papales *prius* oppugnaſſe quam ZWINGLIUM, per quam Indulgentiarum oppugnationem tanquam cauſam proximam, provido Dei Numine factum eſt, ut deinceps reliquorum Virorum Doctorum pro Reformatione conamina tanto felicius ſuccederent, quæ fortè niſi Beati *Lutheri* & fervor acceſſiſſet & magnanimitas heroica, in ipſo molimine ſuppreſſa fuiſſent, uti

 certè

certè quamplurimorum ante Reformationem conamina, in ſpongiam incubuerunt, quod ipſis ejusmodi deeſſet Heros, qui imperterrito animo illud Augiæ ſtabulum plane repurgandum aggrederetur, & cujus cum ipſis adverſariis animus nec per imminentis periculi metum, nec per aliam cauſam fractus, creſceret, atque confirmaretur.

Neque verò etiam deinceps unquam à noſtris fuit neque à me negatum, quod ZWINGLIUS demum ab A. 1519. (poſteaquam LUTHERUS jam d. 1. Novembris A. 1517. Theſes apud *Saxones* de Indulgentia publicaverat) apud *Tigurinos* Papatum oppugnaverit, quandoquidem is inde à principio ejus anni demum apud Tigurinos Paſtorale ſuum exorſus eſt munus, quod antehac apud *Glaronenſes*, deinceps apud *Einſiedlenſes* ſive Eremitanos ita dictos, magna jam cum ſtrenuitate geſſerat, uti ex Zwinglii biographia claret.

Atque, quando eum *tum* quoque *jam* a) in id incubuiſſe dicimus, *ut à cultu ſanctorum ad fidem Chriſti, atque ab hominum figmentis ad Scripturæ S.* *pla-*

a) vid. *Introd.* in Hiſt. Ref. §. XLIX. pag. 105. & conf. quæ in hoc Tomo II. §. CIII. pag. 285. ex *Zwinglii* libro ad *Valentinum Comparem* ea de re monuimus.

placita & doctrinam transferret populum suæ curæ pastorali demandatum, dum interea *Literas* etiam *plures unis ad Episcopum Constantiensem & ad Cardinalem Sedunensem* exarabat, quibus hos Præsules, utrosque sibi faventes, nec admonitionibus asperos, ut Ecclesiam sua auctoritate *Reformarent*, omni opera hortabatur &c. Tum sanè, non id solùm dicimus, quod re ipsa comprobatum est, atque à Zwinglio disertis verbis [a]) professum, sed &, quam is verè Reformationis negotium

* * * * *jam*

(a) Fuit verò etiam nonnemo, qui inficeta ratione, non satis tutò id ex Zwinglii & Capitonis testimonio colligi posse, definire voluit, quippe cum hi in propria causa sic tulerint testimonium; Quasi verò, LUTHERI in propria causa testimonium, quando is Tomo VI. Oper. Jenens. German. fol. 220. b. scribit, „ se primum Evangelium esse concionatum, atque, nisi ipse id in „ mundum produxisset, reliquos fortasse nil quicquam de eo „ percepturos fuisse „ *(dass sie uns dennoch den trotz lassen, dass wir* ehe denn sie, *dazu kommen sind, und das Evangelion gepredigt haben, dass sie viellicht* nichts *davon wüsten, wo* wirs *nicht* zuvor *in die welt gebracht hetten*) majus esset ac potius, quam ZWINGLII, qui tamen cum omni modestia id de se refert pariter atque comprobat. Aut, quasi testimonium Zwinglii, quando is A. 1522. scribit, „ quod jam annis ferme quatuor (scilicet, *apud Tigurinos*, de quibus ibi sermo est) Evangelium Christi & doctrinam Apostolicam prædicaverit „ (vid. Document. nostr. ad Introd. Histor. Ref. pag. 215.) majorem mereatur fidem, quam, ubi idem ille profitetur, atque ad fide dignos testes provocat, se *jam prius quoque* id fecisse apud Glaronenses atque Einsiedlenses. Sapienti sat!

jam tum fuſceperit, atque adeo Reformatoris nomen pariter ac laudem *abinde* retulerit, patet:

Et quanquam non diffitear inter *Reformatorem* ita dictum & inter *Teſtem Veritatis* multùm intereſſe, çum ingens Teſtium nubes jam in ſpiſſiſſimis quoque tenebris papalibus, quandam ſecum vexerit lucem, quos tamen eapropter in Reformatorum numerum non recenſemus; Tamen id veriſſimum eſt, Zwinglium longè alia ratione jam tum hoc negotium & ſuſcepiſſe & auxilio divino fretum continuaſſe, quam quidem illos priſcos, veréque adeò nomen pariter atque laudem Reformatoris fuiſſe promeritum, quò præcipuè *Wolfg. Fab.* CAPITONIS ex HOTTINGERO à me adducta[a]) faciunt verba in Epiſt. ad Henricum Bullingerum: *Nam ANTEQUAM Lutherus in lucem emerſerat, Zwinglius & ego inter nos communicavimus, DE PONTIFICE DEJICIENDO, etiam dum ille vitam degeret in EREMITORIO* &c. Prouti ſanè, nec quid ad *Beati* RHENANI Epiſtolam, jam ſub anni 1519. menſe Majo, *conſtantiam* Zwinglii in reformando laudantis atque eum exhortantis [b]), ut quam *pruden-*

a) vid. *Introd.* l. c. p. 103. in not. (b) ex HOTTING. Hiſt. Eccl. Sec. XVI. P. II. p. 207.

b) vid. *Introd.* l. c. p. 130. ex HOTTING. l. c. p. 217.

denter cœperat atque *constanter prosequebatur* caussam, in eadem *constanter perseverare velit*, regeri queat in adversam partem, pervidemus.

Fatemur sanè, ea quæ à Celeb. HEUMANNO [a]) allata sunt testimonia, *partim* Luthero eam, quam dixi addicere laudem, quod *is unus majori quam ullus* intrepiditate aggressus fuerit Papalem de sede sua deturbare doctrinam, quippe quod ipse Zwinglius (quæ viri erat modestia) ad Lutherum scribit, *partim* de Zwinglio id affirmare, quod is anno *decimo nono* demum *Tigurinos* reformare ceperit; At verò, dum ea erga Lutherum utitur modestia Zwinglius, patet quam is nulla fuerit ductus vel zelotypia vel æmulatione perversa, quod ipsi tamen à V. E. LOESCHERO, viro ceteroquin docto, sed in Reformatos animo mirum in modum iniquo, impingitur; quamque is adeo *primi Reformatoris* laudem nec sectatus fuerit nec ambiverit unquam, ita tamen ut cuivis pronum sit colligere, ea verba certè *non absolutè* sed *secundum quid* esse accipienda, siquidem is Lutherum ita appellet *unum*, ut nec se nec reliquos excludat Reformatores, quos vel ipse

a) vid. *Biblioth. Miscell. Hamburgens.* Vol. II. p. V. p. 708. seqq. & in Pœcil. Tom. III. pag. 196. 197.

Lutherus vel ipse Zwinglius in opere gravissimo socios habebant & collegas: Deinceps, quando dicit A. 1523. quod *annis fere quinque* jam docuerit Evangelium (apud *Tigurinos* scilicet) eo minimè excluditur, id quod in Eremitorio jam quoque fuerat inchoatum, quo *Lud.* LAVATERI [a]) testimonium commentario ejus in Esram præmissum non minus facit:

OECOLAMPADII autem in Lutheri Operibus [b]) verba certè *de oppugnatione Indulgentiarum* præcisè quod sint intelligenda liquet, adversus quas quod primus adeò solenniter in palæstram prodierit *Lutherus*, est certissimum, quandoquidem *Zwinglius*, non [c]) occasione Indulgentiarum suam exorsus fuerit reformationem, sed longè graviorum & difficiliorum articulorum, ut ab eo, quo se Samsonis impudentiæ opposuit Zwinglius, tempore, ejus Reformatio non sit arcessenda [d]), sed ab ipsa Evangelii purioris jam anno decimo sexto inchoata annunciatione, quam, cum

a) v. *Biblioth. Miscell.* p. 709, ex LAVAT. præfat. ad commentarium in Esræ librum.

b) v. LUTH. Opp. Jenens. fol. 183. edit. 1556. fol. 262. edit. 1564.

c) Ita PALLAVICINUS in Hist. Conc. Trid. L. 1. c. 19. pag. 27.

d) v. *Introduct.* loc. cit. pag. 130.

cum non intermiſſo ſtudio deinceps fuerit proſecutus, ita ut ejus Doctrina non minorem quam etiam Lutheri habuerit applauſum pariter atque ſucceſſum, quodammodo patet, illud quod circa prioritatem Zwinglii notavimus, non everti per ea omnia, quæ Theologi noſtri Reformati, quæ ipſorum eſt ingenuitas, perlubenter de Luthero tanquam *primo Evangelii renati præcone*, atque *primario Chriſti ſervo*, ex rei veritate referunt:

Sed, nec illud quod Cel. HEUMANNO a) adducere placuit Magiſtratus Tigurini in hac cauſa teſtimonium adduci debuiſſet, quippe quod in illis in quibus occurrit rerum circumſtantiis, plane aliter ſe habet: Referuntur ibi *Acta Diſputationis Tigurinæ* primæ, inter Legatos *Conſtantienſis* Epiſcopi & *Zwinglium*, menſe Januario A. 1523. habitæ, atque inter alia additur, „Hæc „ubi Zwinglius peroraſſet, magnum ſilentium

* * * * * „in-

a) Vid. *Bibl. Miſc. Hamb.* l. c. pag. 712. ex Zwinglii Opp. Tom. II. fol. 611. „Ich mus billig noch ein zeugniſs des Zürchiſchen Magiſtrats hinzuthun, welches ich in dem zweiten „bande der werke Zwinglii auf dem 611. blate antreffe: *Zwinglium HACTENUS multi CLAM hæreticum conviciati ſunt*, „wie kan man doch ſagen, daſs einer der noch im Jahr. 1523. „von den Papiſten nur *heimlich* der Ketzerey beſchuldigt wurde, ſchon A. 1516. die Kirche reformiret habe? „

,, inter omnes fuit, adeò ut *Tigurinæ civitatis consul* (M. *Reustius* a)) ad dicendum aut ,, respondendum hortaretur, si qui essent, qui ,, quod opponere possent, haberent. Sed, cum ,, ne sic quidem aliquis inveniretur, qui contra ,, illum (quem ANTEA hæreticum esse multi ,, CLAMITARANT) quicquam producere vellet, denuò consurgens Zwinglius ait: Oro & ,, obtestor per . . . ut qui ANTEHAC doctrinam meam reprehendere & me propter hanc ,, *infamare* soliti sunt .... prodeant, & hæreticum me esse *palam* convincant: Sed ne sic ,, quidem quisquam prodire volebat, unde tertiò ,, insurgens Zwinglius ..... nominatim se illos ,, provocaturum esse minitabatur, nisi tandem ,, prodirent, & quod *sæpe CLAM polliciti erant*, ,, nunc *publice præstarent*. ,, Hactenus certè eorum quæ à Viro Excellentissimo afferuntur, nihil; Sed deinceps fol. 619. tamen, cum disputatio finita esset, Senatus ita conclusum fecisse legitur; ,, Quoniam verò contra Huldr. Zwinglium majoris ,, nostræ ecclesiæ antistitem & ecclesiasten (*quem* ,, *hactenus multi clam hæreticum esse conviciati sunt*) ,, post articulorum ipsius promulgationem, ne-

,, mo

b) Conf. de eo *Introd. nostr.* §. CXIX. pag. 292.

„ mo prodire viſus eſt, qui illum S. Sæ Oraculis „ convincere conaretur, licet non ſemel eos „ provocarit, *qui illum ante hæreticum dixere:* „ Ego certè jam ex hiſce, id quod in quæſtione eſt, decidi poſſe, minimè arbitror, faciléque, niſi me omnia fallunt, mihi perſuadeo, ipſum Virum perſpicaciſſimum non admodum huic argumento quippe minus ſufficienti adverſus Zwinglii prioritatem inhæſurum eſſe; Quanquam etiam nunc, ne nimis fidenter me diſputare velle quis arguat, eam amplius cauſam non tractem, quam totam lubenter arbitrio Viri Excellentiſſimi relinquo, cum ſolam & ipſe Veritatem inquiram Hiſtoricam planeque aſſentiar Viro Venerando, id ante omnia uſu venire debere: *amicus Lutherus, amicus Zwinglius, ſed magis amica Veritas*, contra quam nihil poſſumus nec volumus, ſed pro ea omnia, ſi poſſemus, etiam vellemus. Mihi certè perinde eſt, omnibusque verum & ſimplex quod veri ſigillum eſt amantibus mecum perinde eſſe debebit, quisnam horum Virorum præclarorum primus in tam illuſtrem prodierit ſcenam, cum ſaltem conſtet, eos utrosque pariter in veritatis illuſtrationem atque defenſionem non proprio nutu adſcendiſſe, ſed Επιχορηγιαν Spiritus Sancti

ſuiſſe expertos, atque fuiſſe divinitus ad id excitatos, prouti, quod utriusque labores & conamina fortunaverit divina Providentia, lætamur meritò, atque gaudemus;

Utinam modo inſtar Fratrum in mutuum amorem ſemper quoque conſpiraſſet uterque! vel ii ſaltem, qui his ſuccedebant, deinceps in mutua fœdera coiviſſent, ſibique per certas fixasque animorum ac fidei ligaturas exoptatam conciliaſſent adverſus Papiſtarum molimina firmitatem! ne vel nunc gliſcentibus indies discordiis magis magisque tantopere ab invicem diſſentiremus, aut altera pars alteram, convitiis proſcinderet graviſſimis, atque ſchismatis accuſaret, aut multis modis infamaret. Uti noviſſimis hiſce temporibus non defuerunt, qui *non tantum* omnem navant operam, ne ſua pars in diſſidii primum facti vel ſuſpicionem adducatur vel crimen pertrahatur, *ſed &*, quò ejusdem illius criminis reos faciant alios, curam omnem & cogitationem intendunt; cum tamen utraque pars ut plurimum in hunc usque diem illud discidium, quod componi non difficulter poterat, continuet, atque præter omnem ſæpe modeſtiam Chriſtianam, cognatas inſtruat acies ac pila minantia pilis.

At

At verò, fuerunt alii, qui μετα πολλης φαντασιας signum ad labem Operi nostro inferendam, atque frivolam quandam vitilitigationem fovendam sustulerunt, ardoremque meum & impetum restinguere obtusa prorsus atque hebeti ratione sunt annisi: His autem, atque eorum uni, cum in *Miscellaneis* nostris *Groninganis* Tom. IV. fascic. III. p. 529. sq. quædam reposuissemus, ut occlusiorem deinceps haberet stultiloquentiam, tum factum est, ut instar Bacchæ bacchantis, quam si quis ei velit adversarier, ex insana plerumque reddet insaniorem, æruginosus ille quisquis fuerit auctor, lucifuga certè, longe adhuc sit redditus æruginosior, atque maleferiatam prodiderit insolenti stylo facundiam, non alia meliori ratione, quod jam in Præfatione Tomo IV. eorundem *Miscellaneorum* præmissa professus sum, quam silentio retundendam;


Atque subit hic meritò animum illud quod de *Isaaci Casauboni* controversia cum *Frontone Ducæo* vel *Eudæmono-Joanne* agitata, prudenter admodum refert THUANUS Historiar. lib. CXXXV. c. VII. fol. 347. ,, Casaubonum ,, melius facturum fuisse, si amicos audivisset, ,, neque se cum tali adversario commisisset: Nam ,, hodie

„ hodie in ejusmodi dissertationibus, à modera-
„ tione verborum quæ ubique servanda est, ad
„ jurgia & convitia per contentionem fere de-
„ scenditur, quæ homines maleferiati & suo alio-
„ rúmque otio abutentes, scriptis mandare mi-
„ nimè dubitant, famam, cum benefactis ne-
„ queant, ex maledictis scilicet aucupantes: Quos
„ probè ultus fuerit, quisquis eorum scripta non
„ responsione, sed ne lectione quidem digna ju-
„ dicaverit. „

De reliquo, me quanta fieri potest sedulitate perrecturum in hoc stadio emetiendo, eumque in finem, in eo quem adorno Tomo, qui hunc brevi excipiet, pertractaturum spondeo, Reformationis primordia in BELGIO usque ad mortem Caroli V. deinceps felicia ejus in GALLIA, BRITANNIA, SUECIA, DANIA, HUNGARIA, TRANSSYLVANIA, POLONIA, auspicia, quin imo etiam per eas Regiones, in quibus equidem exorta lux est Reformationis, sed & brevi tempore disparuit, quò ITALIÆ ipsius atque HISPANIÆ quædam singularia pertinent, itemque quæ de AUSTRIA Evangelica, & de regionibus BOHEMICIS, BAVARICIS & COLONIENSIBUS Evangelii luce quidem collustratis sed ad papales tenebras iterum depulsis, apud Scriptores fide dignos & in rerum gestarum memoriis reperiuntur.

Ipse mihi uberem quendam Operæ laboriosæ certè atque latè sese diffundentis fructum tulisse videbor, si vel Christi sponsæ me quandam hic prætulisse lucem percepero, sicque non plane inutilem aut inacceptum cognovero hunc laborem Ecclesiæ Dei, cujus commodis pro virili inservire, ac simul ejus in custodiendo Veritatis & Pietatis deposito curam & laborem deprædicare, atque ad seros propagare posteros, omni nisu atque labore contendo. Groningæ ipsis Kal. Septembr. Anni CIƆ IƆCC XLVI.

H I-



HISTORIA EVANGELII

SECULO XVI.

PASSIM PER EUROPAM RENOVATI,

DOCTRINÆQUE REFORMATÆ.

§. I.

VIxdum exſpiraverat Annus *milleſimus quingenteſimus decimus octavus*, quin in Germania MAXIMILIANUS Auſtriacus, Imperator, qui nuptiis Mariæ Burgundæ ad Principatum ampliſſimarum *Belgii* provinciarum quoque devenerat, & qui nuper pactionem de ſuæ familiæ, in utroque & *Bohemiæ* & *Hungariæ* Regno, ubi *Ladiſlai* tum regnantis maſcula poſteritas exſtincta eſſet, ſucceſſione renovaverat, fatis concederet. In ejus locum d. 28. Junii anni MDXIX. unanimibus ſuffragiis, poſthabito competitore Francisco I. Galliarum Rege, qui patrocinio gavisus ipſius Leonis X. P. R. ſummopere Imperatoriam ambiebat dignitatem, eſt electus Succeſſor, ipſius Maximiliani ex Philippo nepos CAROLUS, ejus nominis V. Is à Patre *Belgii*, à Matre totius *Hiſpaniæ*, & majoris *Italiæ* partis, à *Maximiliano* avo ampliſſimi in *Germania* patrimonii, ac

postremo, *Imperii* (a) quasi Hæres, totam Europam spe & fatali potentia complecti visus est: cumque tot locorum intervallis & moribus distinctarum nationum Princeps esset, ex Germania oriundus, in Belgio natus & educatus, in Hispania tamen, quamdiu per bella Gallica & Germanica licuit, sedem præcipuam habuit, & Hispanorum ductu maxima prælia fecit, ac postremò, renuntiato Imperio & abdicatis Regnis ibi privatus mori voluit. Erat Carolo Frater FERDINANDUS; Huic Austriacæ provinciæ in divisione hæreditatis erant adscriptæ, unde is *Archidux Austriæ* inde ab A. 1521. atque deinceps ex pactione modò commemorata ab A. 1526. *Rex* fuit *Bohemiæ* & *Hungariæ*, usque dum & A. 1531. *Rex Romanorum* crearetur, tandemque ad ipsum *Imperium* post Caroli abdicationem A. 1556. eveheretur:

§. II. CAROLUS autem, uti potentissimus erat Princeps, ita cum virtute in eo certabat fortuna, illiusque meritis supremum felicitatis fastigium imponebat. Atque, uti ingenium ejus celebratur & prudentia in consiliis, constantia in adversis, in prosperis moderatio, præsentia animi in periculis, temperantia atque justitia; Ita præcipuum in ipso Pietatis, id est, animi in Deum & Religionem propensi, laudatur studium, quanquam non sine intermixta superstitione, cui ut innutritus erat, ita tam facile renunciare non poterat;

§. III. Est verò, ne extimescenda illa Caroli Potentia nimis aut gravis evaderet, aut molesta Principibus Imperii, tum certis quibusdam (sub Capitulationis titulo) propositis Legibus cautum; Has ipse per Legatos suos in se recipere debuit, tanquam totidem Summæ Potestatis in ipsum ab Electoribus collatæ, conditiones (b); Erant autem ejusmodi.

1. Tueatur Rempublicam Christianam, pontificem & Ecclesiam Romanam, cujus sit advocatus.
2. Jus æquabiliter administret & paci consulat.
3. Leges omnes Imperii, præcipuè quam Auream vocant Bullam, non modo confirmet, sed de ipsorum consilio, cum res ita feret, amplificet etiam. 4. Se-

(a) Ita THUAN. Hist. L. I. §. III. fol. 10.
(b) vid. SLEIDAN. Comment. Lib. 1. p. 17. sq.



CAROLUS V. IMPERATOR. NAT. 1500. DENAT. 1558.

Ipse tamen Cæsar contatur tardus ad iram
Nec subito in cives tristia bella movet.
Atque in difficili causa quod principe dignum est.
Judicium sapiens præcipitare cavet.

4. Senatum in Imperio constituat ex Germanis delectum, qui rempublicam gerat, Jura, privilegia, dignitatem principum & Ordinum Imperii minimè convellat aut imminuat.
5. Electoribus liceat, cum erit opus inter se convenire, deque republica deliberare, nullum autem ipse, quo minus id faciant, impedimentum eis inferat, nec in malam partem accipiat.
6. Multitudinis & Nobilitatis fœdera vel societates initas adversus principes, aboleat, & ne tales in posterum fiant, lege prohibeatur.
7. De rebus Imperii nullum fœdus aut pactum faciat cum externis, nisi de Septemvirorum assensu.
8. Facultates Imperii neque distrahat, nec oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, & quæ sunt ab aliis nationibus occupata, vel ab Imperio divulsa bona, primo quoque tempore recuperet, sic tamen, ne quid fraudi sit illis, qui vel privilegio vel jure nituntur.
9. Si quid etiam vel ipse, vel ejus familiæ quispiam possideat, quod sit Imperii, non acquisitum legitimè, reddat interpellatus à Septemviris.
10. Cum vicinis aliisque regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus Imperii, nisi de Ordinum omnium, præcipuè Septemvirorum voluntate bellum suscipiat ullum intra vel extra fines Imperii:
11. Peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat, nisi consentientibus illis.
12. Quod si autem bello petatur ipse vel Imperium, liceat uti quibuscunque præsidiis.
13. Conventum Imperii nullum edicat.
14. Neque vectigal aut tributum imperet, nisi de consensu Electorum.
15. Conventus etiam non agat extra fines imperii.
16. Negotiis publicis præficiat non exteros, verum Germanos ex nobilitate delectos.
17. Et conficiantur literæ omnes latino vel populari sermone.

18. Extra fines Imperii nullum ordinem in jus vocet.
19. Quia Romæ multa fiunt adversus pacta quondam inita cum pontificibus, det operam apud pontificem, ne qua fraus privilegiis fiat, & Imperii libertati.
20. Quomodo mercatorum monopolia valde perniciosa Germaniæ coerceri debeant, rationem ineat cum electoribus, ac rem sæpe deliberatam ad exitum perducat.
21. Portorium nullum aut vectigal imponat, nisi assentiantur Electores, neque literis commendatitiis, electorum, qui sunt ad Rhenum, vectigalia deteriora faciat.
22. Si quam habet actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat iis, qui se cognitioni legitimæ sistunt.
23. Neminem indicta causa proscribat, sed juris ordinem in eo sequatur.
24. Imperii bona, quæ forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat.
25. Si quam alienam provinciam auxiliis ordinum acquiret, Imperio conjungat.
26. Si publicum quid suis copiis atque Marte recuperabit, Reipublicæ restituat.
27. Quod interregni tempore Palatinus & Saxo publicè egerint, ratum habeat.
28. Consilium nullum ineat, quo dignitatem Imperii, suæ familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, sed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli quarti legem, & Juris Pontificii præscriptum, quod secus factum fuerit, irritum habeatur.
29. Ubi primùm licebit, in Germaniam sese conferat, inaugurationis causa.

SEC-

SECTIONIS I.

CAPUT I.

DE PROGRESSU REFORMATIONIS IN GERMANIA, ab Anno 1520—1530. incl.

§. IV.

LUTHERI causa, cum integer Annus *decimus nonus* sine notabili progressu præteriisset, novos jam tum Fautores est nacta per universam pænè Germaniam, cumprimis Franconiæ & Sueviæ Nobilitatem, ex qua *Philippus* à FLEERSHEIM, aulæ Palatinæ magister, inde ab A. 1520. tutum Reformatoribus receptum in Palatinatu obtinuit; Uti ab hoc anno Nobiles, indulgente *Ludovico* Palatino, superstitioso quidem Principe (a), sed singulari Musarum Mæcenate, atque quod pacifica semper sequeretur consilia, *Pacifico* dicto, (b) suas ditiones reformare cœperunt. Ne *Sylvestrum de* SCHAUENBERG commemoremus, itidem ex Franconica Nobilitate Equitem, qui & tutum Luthero, ne in Bohemiam, quod constituerat, aufugeret, offerebat receptaculum, (c) suam ipsi & centum aliorum Nobilium tutelam pollicitus. Nam & quod *Ulricus* HUTTENUS itidem Franconiæ Nobilis, & *Franciscus* SICKINGIUS id fecerint, jam in Sickingii Vita indicavimus, prouti in Epistola ad Melanchtonem d. XIII. Kalend. Febr. 1520. data, testatur HUTTENUS*, Sickingio Lutherum speciali ratione à quodam ex *Comitibus de* SOLMIS fuisse commendatum. (d) Certè, quod

(a) ALTING. Hist. Eccl. Palatinar. ut hic Maimburgius qui Ludovicum Luthero faventem describit, rectè castigetur à SECKENDORFIO fol. 150.

(b) PAREUS in Hist. Palatina p. 262.

(c) Hujus frequens est mentio in Epistolis Lutheri v. g. T. I. p. 266. 272. 275. & p. 276. Dedit ad me literas *Silvester de Schauenberg Franciæ nobilis, rogans, ne in Bohemiam aut aliò, sed ad se confugiam, si diræ Romanenses prævaluerint: pollicitus tutelam eximiam centenorum nobilium equitum Franciæ.* Est autem hæc A. 1520. scripta. conf. SECKENKENDORF. Hist. Luth. fol. 111, 112.

(d) v. *Introd. nostr.* §. LXXIII. p. 164. not. (e) Fuit is forte *Philippus*, Comes Solmensis, cujus Spalatinus in diario fol. 594. edit. Menken. meminit.

Huttenus Lutheri hoc anno susciperet causam, ex quam variis ab eo editis patet libellis (a), non omnibus tamen æque prudentiam aut Christianam modestiam spirantibus. Ipse LUTHERUS (b) ad Spalatinum ita: „ Quid Huttenus petat, vides. „ Nollem vi & cæde pro Evangelio certari, ita scripsi ad hominem. Verbo victus est mundus, verbo servata est Ecclesia, „ etiam verbo reparabitur. Sed & Antichristus, ut sine manu „ cœpit, ita sine manu conteretur per verbum. „ Enimverò, *Johannis* BOTZHEMI ABSTEMII Doctoris & Canonici Constantiensis Literæ ad Lutherum V. Nonas Martii 1520. Constantia datæ (c) testantur, quam „ Lutheri scripta essent pharmaca „ efficacissima, quæ non literas solum sanent, sed & animas eo„ rum, qui opinionibus scholasticis nimium hactenus fuerant va„ letudinarii &c. „ Et *Caspari* HEDIONIS IX. Kalend. Julii 1520. Basilea (d) ad Lutherum datæ eum ita alloquuntur: „ Vi„ deo, doctrinam Tuam ex Deo esse, dissolvi non potest, in„ dies efficacior, quotidie multos lucrifacit Christo, abducit à „ vitiis, asserit veræ pietati. Sed quid tuam voco, quæ Lutheri „ non est, sed Christi. Nihil enim video, quod non solide trac„ tes & nervose ex Scriptura, nihil quod non firmum ex Verbo „ Dei & adamantinum. „

§. V. Sed Lutherus, cum non modò rescivisset Eccium Romam profectum, cœlum terram & maria movere, atque id agere ut anathematis Pontificii fulmen in ipsum vibraretur, verùm etiam, cum ad tantam in se & sua scripta exsurgentem multitudinem non parum exhorreret, ne inauditus saltem damnaretur, omni nisu contendere, eumque in finem, primò, ad ipsum nuper electum Imperatorem CAROLUM Epistolam dare die 15. Januarii,

(a) Sunt enim tum potissimum Moguntiæ editi dialogi Huttenici, quos ex illa editione 1520. servo. *Fortuna. Febris prima. Febris secunda. Trias Romana. Inspicientes* etsim. Unde & Val. à TETELEBEN in Epist. ad Alb. Moguntinum ea de re conqueritur.

(b) Lutheri Epist. A. 1521. dat. T. I. Ep. 232.

(c) v. KAPPII Spicileg. T. II. p. 431. De ipso autem *Botzhemio* ERASM. in Epist. cumprimis Ep. 650. p. 754.

(d) KAPP. l. c. p. 433, 434.

rii, (a) deinceps ad alios Imperii Status & Ordines, quin imo etiam denuò ad Papam Leonem X., (b) porrò, ad Episcopum Moguntinum (c) & Merseburgensem, aliosque Præsules, varios denique alios privatos, quorum vel ope vel consilio se foveri posse confidebat: In his id potissimum agebat, ut tum rixæ ortum atque causam, tum etiam invidiam inde ab adversariis sibi conflatam, quibus poterat modis à se amoliretur, id etiam spem faciebat, se adhucdum meliora edoctum, & ex verbo Dei convictum, palmas ultrò daturum esse, modò ne inauditus condemnaretur. Literarum ad Pontificem argumentum (d) hoc erat: „ Etsi ad concilium ab ipso provocarit, tamen interea suas preces „ ad Deum pro salute ipsius effudisse: magno sibi dari crimini, „ quod ipsius nomen atque dignitatem læsisse dicatur: eam criminationem admodum sibi dolere, & hanc esse causam, cur nunc „ ad ipsum denuo scribat. In reprehendendis erroribus atque vitiis acrem se quidem fuisse, de ipso autem præclare semper scripsisse, quod & libris suis demonstrari possit: quod autem falsam „ doctrinam adeò libere perstringat, illud à se fieri tum Christi „ tum Prophetarum & Apostolorum exemplo, sed quo minus id „ genus reprehensiones ac salutares admonitiones locum habeant, „ id adulatorum fieri nequitia, qui auribus hominum serviant: „ spectare se gloriam Dei, & hoc solum agere, ut veritas illucescat: hoc si possit obtinere, libenter in rebus aliis concessurum: „ ut

(a) Hæc Germanicè data d. xv. Januar. 1520. legitur in Tomis Jenens. T. 1. p. 212. b. Sed Latine scripta à Joh. *Brandtio* est edita in Centum Epistolis Claror. Viror. Amst. 1702. 8. quasi data esset d. III. Kalendar. Septemb. 1520. Inde eam repetiit Vir Clarissimus J. A. FABRIC. in Centifol. Lutherano T. 1. p. 68. sq. Uti eandem huic volumini. N. I. subjectam leget harum rerum curiosus Lector. Breve autem ejus argumentum habet SLEIDANUS l. c. fol. 24. b. & 25.

(b) Ea est scripta d. 6. Aprilis 1520. præmissa libello *de Libertate Christiana* tum publicato, atque reperitur Epistol. T. 1. p. 255. seqq. conf. de ea SECKENDORF. Hist. Luth. Lib. 1. fol. 98. & SLEIDAN. Lib. II. fol. 19. b. 20.

(c) vid. SLEIDANUS l. c. fol. 25. a. b. qui & harum literarum nobis argumentum recenset.

(d) Hæc ex SLEID. l. c. fol. 19. b. & 20.

„ ut autem à veri professione discedat, fieri non posse. „ Ad aulam deinde Romanam transit, uti vocant, eamque dicit, esse magis, quam fuit olim aut Babylon aut Sodoma, corruptam atque sceleratam, & ad illius impietatem nihil adjici posse, ne ab ipso quidem Antichristo: vehementer itaque sibi dolere, quod ipse Leo, velut agnus inter lupos, ibi versetur: indignam esse Romam, cui vel ipse vel ipsius consimiles viri boni præsideant: multa se quidem scripsisse, quæ ad doctrinæ pertineant emendationem atque vitæ, non quod Romam sanari posse credat, verum ut saltem aliquos ab illo vitiorum ergastulo liberaret: multo ipsi præstare, si vel tenui sacerdotio contentus, vel è suis copiis & patrimonii facultatibus vitam toleraret, remotissimus ab illis pestibus & assentatoribus, qui suis cupiditatibus & ambitioni nomen ipsius & authoritatem obducant: „ Bernardum deplorasse pontificis Eugenii conditionem, tunc, cum adhuc esset aliquanto „ Roma purior: nunc verò quando sit omnium locorum totius „ orbis terrarum fœdissima sentina & inexhausta quædam colluvies, multo rectius ipsum, qui præsideat ibi, deplorari posse: „ Hanc esse causam, cur ita sit invectus: pertinere hoc non ad ipsius ullam contumeliam, sed ad salutem potius, & optandum esse, ut qui sunt ubique viri præstantes ingenio & eruditione, vim omnem & nervos ad illius monstri conferant oppugnationem: libellis aliquot editis, cum frustra se moliri videret, ab incepto voluisse desistere, & iis qui secum essent in eodem collegio, studium & operam omnem impendere cogitasse: verum tunc fuisse excitatum *Joannem Eccium*, qui placidas illas cogitationes & optatum otium sibi prorsus everterit: institutam ab illo Disputationem contra se valde odiosam & acrem, de pontificis Romani principatu: qua quidem re nihil ille perfecerit aliud, quam quod urbis Romanæ scelus atque turpitudinem magis patefecerit. Post hæc, actionem illam cardinalis *Cajetani* paucis commemorat, in illiusque tum potestate fuisse dicit, causam componere, si voluisset: Huic ergo, non sibi tribuendum esse, quicquid ab eo tempore sit natum turbæ, venisse postea *Carolum Miltitium*, qui cum paci magnopere studeret, impeditus etiam fuerit importunis Eccii disputationibus, qui revera sit ipsius hostis, &

in-

incendium hoc primus omnium imflammarit: cum verò sit à Miltitio suisque Majoribus interpellatus, ut ad ipsum demisse & officiose scribat, nihil voluisse, quod ad reconciliationem pertineat, omittere, *primum* igitur esse, ut suos adversarios cohibeat, ne tam aspere contra se tumultuentur: *deinde*, ne scripta sua revocare cogatur, nec ad præfinitum modum interpretandi Scripturam alligetur: Evangelii doctrinam, quæ libertatem animis hominum adferat, non posse certis astringi finibus: hæc si permittantur sibi, facturum se quidvis: contentionem omnem admodum sibi displicere, veruntamen, si conviciis, ut antehac semper, & injuriis petatur, non se defuturum causæ: in ipsius jam esse potestate, ut litem componat, si videlicet cognitionem ejus ad se recipiat, & utrique parti silentium injungat: *inprimis* autem sibi caveat ab adulatoribus, eorumque voces, tanquam Sirenum blanditias atque scopulos, aure surda prætermaviget, qui divinitatem ipsi tribuunt, & totius orbis Monarcham esse prædicant, & omnibus Conciliis anteponunt: nihil enim esse perniciosius hoc genus parasitis: fidem potius illis habendam esse, qui suæ conditionis ipsum & officii commonefaciant: & quoniam in vitæ genere periculi pleno versetur, tanquam in medio mari, quod fluctibus variisque procellis agitatur, ideo se libere ad ipsum & sine adulatione perscribere, & hoc ipso veri amici præstare officium. *Postremò*, librum à se recens conscriptum, *de libertate Christiana*, illi defert, paucis eum commendans, quod veræ doctrinæ summam complectatur.

§. VI. Carolus equidem Imperator quo animo Lutheri receperit literas, non constat, nisi quod anno sequenti in Comitiis Wormatiensibus minimè faventem gravissimo in Lutherum pronunciato edicto testatus fuerit animum. Leo Pontifex, quomodo Lutheri iteratam scriptionem exceperit, ex ejus hoc ipso Anno adversus Lutherum publicata Bulla (a) colligitur. *Moguntinus* (b) autem

(a) Quam Bullam Papalem jam inter Documenta ad Introductionem spectantia n. XIV. exhibuimus, uti statim §. VIII. de ea quædam monebimus.

(b) SCULTET. Annal ad A. 1520. p. 49. & cumpr. SLEIDAN. l. cit. p. 25. b. ubi *Moguntini* & p. 26. a. ubi *Merseburgensis* responsiones breviter refert.

& *Merseburgensis* Lutherum, ut amore Jesu calamum temperaret, &, de aliis potius caritati & pietati proficuis, quam de Pontificis authoritate disputet, monent.

Dum ea, quæ suprà diximus (a) in Saxonia geruntur, Theologi Lovanienses ac Colonienses *Lutheri* libros aliquot, nempe *ad Sylvestrum Prieratem*, conciones item, *de pœnitentia*, *de excommunicatione*, de *indulgentiis*, de *preparatione ad mortem*, facto decreto damnant, ut impios & irreligiosos & incendio dignos, quorum etiam auctor sit ad revocationem cogendus. His rebus cognitis, LUTHERUS Mense Martio ad singula suæ doctrinæ capita, quæ illi damnarant respondet, in ejusque responsi præfatione, conditionem atque sortem ipsorum deplorat. Quum superioribus aliquot annis Capnionem oppugnarent, se spem adhuc aliquam de ipsis retinuisse: nunc autem, quando claram Evangelii doctrinam delere studeant, & tempore deteriores evadant, Deum in ipsos haud dubie graviter concitatum esse: quod si ita pergant, & si hanc ipsorum licentiam nemo coerceat, fore, ut sublatis è medio Sacris Libris, pro suo arbitrio quidvis decernant: ideoque sibi hæc omnia cogitanti, vel regnare nunc Antichristum, vel propediem esse regnaturum, videri: magnopere sibi dolere, quod ita se comparent; nam iræ divinæ magnitudinem ex eo satis intelligi posse: in omni ipsorum actione atque doctrina, nihil esse firmi, nihil certi, sed fluctuare ipsos animis, & nunc hanc, nunc illam opinionem suscipere defendendam: fuisse quondam ab Academia Parisiensi damnatum *Gulielmum Occam*, & tanquam impie sentiret, ejectum, nunc autem in scholas esse receptum & celebrari: quantum etiam Parisinis tribuatur dogmatis, vel ex eo satis apparere, quod vix etiam domi recipiantur, foris quidem illa non habere locum: ab Anglis enim proverbio dici, quod mare non transeant, ab Italis quod Alpes, à Germanis, quod Rhenum non transmittant: *Joannis Pici Mirandulini* dogmata, magnis odiis & acerbitate damnata, nunc esse in summo precio, nec sine præstantissimi ingenii admiratione legi: *Laurentium* quoque *Vallam* eodem fuisse

(a) SLEIDAN. L. II. fol. 22. b.

fuisse modo tractatum, sed homines literatos & judicio praeditos, multo sentire aliter, in ejusque scriptis magno cum fructu versari: litem illam adversus *Capnionem*, sic ab ipsis exagitatam esse, ut suam & ignorantiam & obstinatam malitiam vix ullo tempore magis patefecerint: mirabilia videlicet esse consilia Dei: Judaeos olim fuisse peculiarem ei populum, sed quum Evangelii lucem fugerent, & Christi beneficium aspernarentur, repudiatos, locum dedisse gentibus: ita quoque nunc fieri, ut qui sint & haberi velint, pontifices atque theologi, quique summam potestatem atque jus in ecclesia sibi vendicant atque sumunt, revera nihil praeter inanem titulum habeant, alii verò procul ab hac ostentatione remoti, nomen illud atque titulum jure sibi possint arrogare: breviter, omnes omnium temporum viros bonos & eruditos ab ipsis perpetuo fuisse divexatos, neque tamen ullum proferri posse documentum, quo demonstrent, solidis & veris argumentis esse pugnatum, ac non potius mera fraude, insidiis atque tyrannide: talem etiam fuisse actionem illam in *Joannem Hussum* & *Hieronymum Pragensem*, cujus quidem rei memoria sit ad omnem duratura posteritatem: sed imprimis admirari se temeritatem ipsorum, qui tot exemplis commonefacti non desistant tum sibi tum reliquis academiis ignominiam & maculam inurere sempiternam: ut enim maxime firmo fundamento nitantur ipsorum actiones, & ut verae sint atque legitimae ipsorum sententiae, quas hucusque pronunciarunt in multos insignes viros, tamen, quantum ad hanc suam causam & praesentem litem pertineat, inique factum ab ipsis & malevolè; quod ad hunc modum grassentur: si quid peccarit, non debuisse statim in pessimam partem interpretari, sed cogitare secum, id esse proprium hominis: debuisse potius lenitatem & mansuetudinem adferre ad suorum dogmatum dijudicationem: quod autem veluti furore quodam agitati, promiscue omnia damnent, in eo prodere ipsos animi sui morbum & odii virulentiam: *Aristotelem* ipsis in summo esse precio, & nihil ab eo dictum esse tam absurde vel aliene à nostra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantumvis longe petita circumvestiant, quo suus illi constet honos atque nominis existimatio:

Sibi verò non modo nullum tale beneficium aut adjumentum præstari, se non solum, si qua parte sit nudus, ab ipsis non vestiri, verum etiam quibus in locis atque partibus optime sit vestitus & armatus, magna cum injuria denudari: potuisse nimirum aliud adhiberi remedium, quod erat, si se commonuissent, ut sua scripta vel explicaret vel emendaret, vel non pertinaciter defenderet: quod si tum non obtemperasset, errore commonstrato, licuisse ipsis agere, quemadmodum Christus præcepit: Ad hæc, facere ipsos non levem injuriam Pontifici Romano, quod libellum ei dicatum & inscriptum ad se rapiant, & hac sua condemnatione, veluti præjudicio quodam videantur illi negligentiam & ignaviam exprobrare: quod autem in Pontificem hoc admittant, non esse novum aut mirum in iis, qui divinas etiam leges audacissime contemnant.

§. VII. Erat Friderico Principi (a) Electori, tunc temporis aliquid Romæ negotii, quod *Valentino à* TETELEBEN commendaverat homini Germano. (b) Is nunciabat, & hoc & quæcunque alia ipsius negotia Romæ parum esse grata, propter Lutheri temeritatem & immodestiam, qui & contra Pontificem & ecclesiam Romanam & Senatum Cardinalium odiose multa scripserit & acerbe, quem quidem hominem ipse foveat & defendat, ut plærique omnes confirment. His acceptis literis, FRIDERICUS respondet, nunquam sui fuisse propositi, ut suo patrocinio Lutheri doctrinam propugnaret, & ne nunc quidem ejus esse animi, neque sibi judicium sumere ullum eorum quæ doceat: audire se quidem, ipsius dogmata valde probari viris doctis & judicio præditis, verum se nihil quicquam pronunciare, & illi sua permittere defendenda: duas autem ab eo conditiones oblatas esse jam pridem, & adhuc deferri: *primum*, si fide publica idoneè caveatur, coram legato pontificio, quicunque tandem ille sit, rationem se redditurum esse doctrinæ suæ: *deinde*, si demonstretur error, paratissime discessurum à sententia, de eoque palam esse contestatum: & quanquam satis hoc ipso fecisse videri

(a) SLEIDAN. l. c. fol. 26. b.
(b) vid. Miscellan. Gron. T. III. conf. SECKEND. Hist. Luther. liu. I. §. LXIX. addit. fol. 102.

ri possit, tamen multo ante commonefactum à se, voluisse decedere finibus, nisi Carolus Miltitius aliud suasisset, huic enim fuisse visum, ut in iis locis maneret potius, quam ut aliò se reciperet, ubi majorem fortasse nactus libertatem, editurus esset acriora multo, quam adhuc fecisset: itaque nullam de se male suspicandi causam idoneam adduci posse: sperare etiam nihil sibi fraudi futurum apud pontificem: graviter enim molesteque sese laturum, si vulgo persuadeatur, errorem ullum suo tempore natum, ab se defendi & confirmari. Post, familiarius ipsum appellat iisdem literis, propter communem patriam, & audire se dicit, in eam contentionis acerbitatem nunquam fuisse rem deventuram, nisi *Eccius* & id genus alii quidam ex diversis locis, atque etiam ex urbe Roma litem excitassent: eorum scriptis admodum atrocibus impulsum ac prope coactum respondisse Lutherum, & occasione velut in manus atque sinum delata, patefecisse multa, quæ, nisi lacessitus ad eum modum, non fuerit dicturus unquam: hoc ita sibi deferri à viris doctis, qui rem omnem teneant, & ipsum quoque, non diffiteri Lutherum: in eos ergo totius turbæ conferendam esse culpam, qui dum pontifici fortasse gratificari voluerunt, non mediocriter eum læserunt: non eundem esse nunc, qui fuit olim, Germaniæ statum: excitari videlicet ingenia præclara, literas omneis bonas & artes efflorescere, & in discendis linguis ad veram eruditionem necessariis, complures utilem operam navare: breviter, eam nunc esse temporum conditionem, ut etiam homines plebeji, magno quodam teneantur cognoscendæ Scripturæ desiderio: quapropter multos ita putare, si conditiones à Luthero jam dudum propositæ rejiciantur, & ecclesiastica potestas vim suam in illum convertat, indicta causa, fore, ut multo magis omnia exasperentur, & post ad compositionem res difficillime deduci possit: illius enim sic esse plurimorum animis infixam doctrinam, ut, nisi legitime tractetur, & Scripturæ sacræ testimoniis ac solidis argumentis doceatur error, maximi sint per Germaniam & pleni discriminis orituri motus, unde nec ad Pontificem nec ad quemvis alium ulla sit utilitas reditura.

§. VIII. Cæterùm, licet sedi Romanæ (a) FRIDERICUS Elector ipse & alii declararent, Lutherum si vel diris Pontificiis Witeberga pelleretur, non modo in Bohemia, sed in media etiam Germania inventurum, qui expulsum contra omnia fulmina Pontificis defensuri sint, tandem tamen, suasore ECCIO, qui interea Romam erat profectus, *succensurus* uti loquitur Lutherus, *saltum Libani & abyssos abyssorum*, & instigatore CAJETANO, Bullam excommunicationis, (b) d. xv. Junii 1520. publicat LEO Pontifex, in qua Lutherum & ejus similes diris omnibus devovit, atque ejus doctrinam XLI. thesibus comprehensam (c) damnat, scripta verò omnia rogo adjudicat, atque ipsum Lutherum, ut intra LX. dies palinodiam caneret, sub anathematis fulmine denuò jubet. Hanc Bullam Marinus *Caracciolus* & Hieronymus equidem *Aleander* (d) Coloniam, *Eccius* verò in Misniam tulerant, & fuere abhinc scripta Lutheri, Lovanii, Leodii, Coloniæ publicè combusta, *Lipsiæ* tamen quod Eccius cum bulla sua fuerit derisus refertur, uti nec *Bambergæ* ipsa bulla, quod non legitime ut loquuntur esset insinuata, est admissa, quæ *Erfurti* publico programmate à Rectore Academiæ est prohibita; addita monela, (e) *ut si qui Bullam videant affixam, discerpant, & quo possint modo Lutheri hostibus se opponant; Moguntiæ* autem, eadem ab *Ulrico* HUTTENO (f) per glossas interlineares, non

(a) Conf. SECKENDORF Lib. 1. fol. 101, 102. & SCULTET. p. 49, 50.

(b) Memorabilia quædam de Bullæ hujus auctoribus, stilo & similibus habet ex Palavicino & Sarpio, SECKENDORF. fol. 115. Sed unum hoc ERASMI ad Peutingerum in Epistola d. 9 Nov. 1520. data Ep. T. 1. p. 591. præteriri non debet testimonium. „ Erant, qui in Bulla quam attulit nun- „ cius Pontificius, mansuetudinem illam desiderarent, dignam eo, qui mi- „ tissime Christi vices primarias gerit in terris, dignam hujus Leonis in- „ genio, multo hactenus placidissimo, quod tamen ipsi non imputant, „ sed instigatoribus. „

(c) vid. *Docum.* ad Introduct. p. 133--136.

(d) De Hier. Aleandro v. *Docum.* ad Introd. p. 146, 147.

(e) SCULTET. in Annalib. p. 52.

(f) Conf. *Introd. in Hist. Ref.* p. 160. Est verò hæc cum Hutteni Glossis interlinearibus bulla Leonis, inserta operibus Lutheri Jenensibus Tom. 1. p. 527. sqq.

non sine magna Pontificis contumelia refutata est: *Viennensis* quoque Academia exsecutionem Bullæ Pontificiæ, prius suspendit, usque dum CAROLUS (a) singulari edicto, sed quod ad annum sequentem 1521. spectat, Viennensibus paritionem injungeret & combustionem librorum Lutheri. Cæterum ipse Lutherus, post acceptum hoc Decretum, (b) & Appellationem interponit, & simul Scriptum (c) edit contrarium, & omnia sua dogmata, quæ Leo damnaverat, ordine confirmat & asseverat. Prouti notabilis est ipsius LUTHERI ad Ge. Spalatinum Epistola, (d) d. XIII. Octobris data; in qua, *se jam certum tandem esse factum profitetur, Papam esse Antichristum: & Satanæ sedem manifestè inventam.* Sed & eundem Lutherum nostrum ulterius tum progressum fuisse docemur, atque d. x. Decembris ejusdem anni, convocato omni cœtu scholastico, in Papæ ludibrium id effecisse, quod scriptis suis erat intentatum, sicque hanc Bullam & reliqua Pontificum Decreta rogo imposuisse, adjectis his verbis: *Quia turbasti sanctum Domini æterno igne comburaris.* (e) Ne-

(a) vid. SECKENDORF. fol. 190. a.

(b) SLEIDAN. p. 29. a.

(c) De hoc scripto, Valent à TETELEBEN in Epist MSS. d. 18 Novemb. 1520. ad Albertum Moguntinum data: *Modò versor*, scribit, *circà libellum Martini Lutheri de Germanico in Latinum vertendum, quem Pontifex & totum videre & intelligere cupit, quæ res multum mihi temporis adimit.*

(d) Epistol. Lutheri Tom. 1. p. 286. b. *Venit tandem bulla ista Romana per Eccium allata: de qua nostri scribunt ad Principem plura: ego eam contemno: & jam invado tanquam impiam & mendacem, omnibusque modis Eccianam, Vides in ea damnari Christum ipsum: deinde nihil afferri causæ, tandem me vocari non ad audientiam sed ad palinodiam, ut scias eos plenos esse furore, cæcitate & amentia, qui nihil videant neque cogitent, agam tamen adhuc presso nomine Papæ, tanquam in effictam & ementitam bullam &c.* conf. p. 287. a.

(e) v. Epist. Lutheri Tom. 1. p. 294. Est mihi *Valentini à* TETELEBEN Epistola d. 1 Febr. 1521. ad Alb. Moguntinum data, ubi ita de hoc negotio: *Scribitur*, inquit, *Pontifici, de statuis Beatitatis suæ ac Reverendissimorum Dominorum Cardinalium apud Wittenbergum per Martinum exustis, ac pontificio Jure ibidem cum bullis Apostolicis in ignem conjectis, res profectò nullo* Chri-

Neque verò tum Lutheri scripta solùm, quod diximus, sunt combusta, sed & ejus Imago *Romæ*, *Lovanii*, *Coloniæ* & *Moguntiæ*. (a)

Atque ab hoc tempore in Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum constans hic honor Lutheri Scriptis est habitus, ut ea pro non inficiando Pontificis in Lutherum odio inter hæretica primæ classis condemnarentur. (b)

§. IX. Quidquid sit, dum sua & suorum constantia id efficiebat LU-

Christiano, orthodoxoque homini ferenda, præterea passim indies novi ejusdem temerarii fraterculi codices seu libelli in urbem afferuntur: Reipublicæ Christianæ consulendum est, de cujus excidio exitioque agitur, pro qua ut Reverendd. sua & Ill. sua D. V. se constantissime etiam usque ad sanguinis effusionem canibus objiciat, gloriosum sibi fore existimet.

(a) LUTHERI Epist. d. 14 Jan. 1521. ad Staupitium: *Mea ter arserunt Lovanii, Coloniæ, Moguntiæ, sed Moguntiæ magno cum contemtu, atque adeo periculo comburentium:* Quam ultimam circumstantiam HUTTENUS & Epistola ad Lutherum data, & versibus Germanicis sub tit. *Eyn klag uber den Lutherischen brandt zu Mentz durch Herr Ulrich von Hutten* nobis suppeditat. Cæterum Val. à TETELEBEN d. 15 Jul. ad Elect. Moguntinum ita scribit: *Martinus Luther chartaceus tamen, proximo mense unà cum libris Romæ publice est crematus: id ipsum per Rmam & Illmam D. V. Moguntiæ præsente Cæsare factum, omni consensu est collaudatum.* conf. Bern. à LUTZENBURG Catal. hæret. l. v. partic. III.

(b) vid. *Dan.* FRANKI tractat. de *Indicib. Libr. prohib.* &c. Cap. III. p. 30. & seq. qui p. 33. lepidam nobis ex libello quodam vetusto narrat circumstantiam, quæ Lovanii contigerit, tum, cum Lutheri scripta flammis tradi debebant: verba ita se habent: „Dominicastri Lovanienses curaverunt suis pecuniis, ut opera Lutheri incinerarentur, concursus factus est, plures apportarunt libros, sed non Martini. Studentes itaque, & plerique alii parato jam igne, libros comportant. Ille sermones discipuli, alter Tartaretum, hic dormisecure paratum, & alios id genus. Ut plures ex illorum autoribus combusti sint, quam ex operibus Martini Lutheri. Venit postremo Carmelita nequissimus, & postposita verecundia, quo animum suum iniquissimum cunctis patefaceret, in ignem publice & cineres urinam projecit, videns hoc *Brassicanus* junior, qui tam nefario spectaculo aderat, fratrem observat redeuntem ad monasterium, qui cum vellet intrare, apprehenso pallio fratris, & gladiolo extracto, huc huc mecum perge frater, calcans, percutiens & semivivum relinquens abiit.

LUTHERUS, ut alteram adversus ipsum cuderet bullam (a) Pontifex, eamque d. IV. Januarii 1521. ederet, qua Lutherum Decreto suo priori refragantem & contumaciæ pœnam incurrentem, tandem anathemate percutiebat. Ipse Lutherus intereà (b) celeberrimum illud *de Captivitate Babylonica* Scriptum componit, in quo generale velut Ecclesiæ Romanæ indicit bellum, atque *optare se*, inquit, *omnes libros de Indulgentiis* (antehac à se editos) *exustos*, *& illorum loco supponi hanc unam* thesin: *Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ.* Optare item, ut, iis exustis, quibus negarit Papatum esse juris divini, admiserit, esse juris humani, substernatur hæc Propositio: *Papatus est robusta venatio Pontificis Romani.* Cæterum plerosque Ecclesiæ Romanæ errores in eo vividis depingit coloribus, & acri perstringit lixivio: Loco septem sacramentorum, tria, potiora saltem, ponit, Eucharistiam, Pœnitentiam & Baptismum, quæ ab Ecclesia Romana in miseram captivitatem abducta sint: In Sacramento *Eucharistiæ* conqueritur *primò*, calicem *Laicis esse subtractum*, id quod & malè ex Joh. VI. comprobetur, ubi tantum de manducatione spirituali agatur, & institutioni S. Cœnæ sit contrarium; *secundò*, *Transsubstantiationem esse introductam*, cum juxta veriorem Cardinalis Cameracensis *Petri de Alliaco* sententiam, panis & vinum post consecrationem maneat, *Tertiò* Missam malè pro sanctificante sacrificio haberi. In Doctrina *de Sacramento baptismi* desideratur, quod opus operatum introduxerint, differentiam inter sacramen-

(a) Quam huic Operi subjiciemus inter documenta N. II. Cæterùm in hoc citato Leonis X. progressu varios ipsi Scriptores Pontificii deprehendunt *nævos Politicos*, quò *Jac.* SADOLETI pertinent verba in Ep. ad Georgium Saxoniæ Ducem d. 14. Jul. 1537. data: *Angebat dolorem meum quod multa quoque ab hac Parte* (Pontificis) *fieri videbam parum accommodata temporibus illis. Nam neque ea quæ huic malo apta poterant afferri remedia ulla afferebantur, nec vox audiebatur bene monentium & suadentium, ut quæ mansuetudine & à quibusdam rebus abstinentia temperantiaque poterant vulnera sanari, ea ne ferro & asperioribus quasi medicamentis incrudescere cogerentur &c.* ap. FABRIC. Centif. Luth. T. II. p. 554, 555. conf. SURIUS in Appendic ad J. Naucleri chronicon. & Introduct. nostr. ad Hist. Ref. §. XVI. p. 29. not. (c).

(b) Is libellus prodiit mense Augusto A. 1520. v. Seckendorf fol. 112.

ta V. & N. T. quoad efficaciam malè posuerint, baptismi cerimonias Pontifici Romano subjecerint, & clerum votis adstrinxerint, quæ sit doctrina dæmoniorum. In *sacramento pœnitentia* conqueritur, abolita promissione absolutoria populo facta, omnia in quæstum adhiberi, contritionem pro opere meritorio haberi, confessionem auricularem, quæ non fundetur in sacris literis, in tyrannidem animorum converti. De reliquis addit, *Impositionem manuum* non esse sacramentum confirmationis; *Episcopos* non concionantes idola esse in mundo; *Matrimonium* non esse sacramentum, nedum Novi Testamenti; *Summam Angelicam* esse summam diabolicam; Per *nimios gradus*, compaternitatem &sim. conscientias injustè gravari; clero *matrimonium* non prohibitum fuisse à Paulo, prohiberi autem per tyrannidem; *ordinis sacramentum* non agnoscere ecclesiam; nec tale esse *unctionem* infirmorum. Neque tamen hic dissimulare nos oportet, in hoc libello de *Epistola Jacobi* minus digne judicasse Lutherum, quin imò etiam, de nimia stili acrimonia animique fervore immoderato, jam tum conquestos fuisse *Des.* ERASMUM (a) *Udalr.* ZASIUM, (b) *Wolfg. Fabr.* CAPITONEM (c) ipsumque FRIDERICUM Saxonem, (d) aliosque:

§. X. Ne-

(a) Inde Erasmi prognata vox ad ipsum Fridericum, qui tum Coloniæ valetudinis gratia moras nectebat *Veram esse Lutheri doctrinam, sed plusculum se desiderare moderationis.* Sed & altera illa, interroganti Principi, cur adeò invisus esset clero Lutherus, data est memorabilis: *Duo illum peccata magna commisisse. attigisse coronam Papæ, & Monachorum ventres: mirum igitur non esse, universum regnum Pontificium in ipsum evehi.* v. SCULTET. Annal. p. 54. conf. ERASMI Ep. ad Peutingerum, & ad Spalatinum apud SCULTETUM p. 57, 58.

(b) Hujus habetur Epistola ad Lutherum apud SCULTET. p. 63.

(c) Vid. CAPITONIS Epist. ad Lutherum apud Scultet. p. 68.

(d) conf. SCULTET. p. 55. Quomodo autem Lutherus ipse imputationem asperioris & immodestæ in adversarios linguæ excuset, refert SECKENDORF. L. 1. fol. 70. 1. & & fol. 120, 121. „Profitetur enim ipse „ se vehementiorem esse quam oporteat, sed sibi rem esse cum blasphe„ mis in veritatem Evangelicam, cum lupis, cum iis, qui non monitum „ damnaverint, & atrocissimis criminationibus in se & verbum Dei grassentur, ut vel saxeus animus moveri possit. „

§. X. Neque obstitit tamen ille Lutheri fervor, quò minus per hæc ejus scripta propagata jam tum fuerit doctrina Evangelica; Cujus rei tria quatuorve ut afferamus documenta memorabilia, operæ censemus pretium:

Primum nobis suppeditat Illustris SECKENDORFIUS (a) hunc in modum: „ Vixit eo tempore Venetiis illustris Mona- „ chus, *Burcardus*, ex antiqua in Thuringia Baronum *Schenkiorum* „ *Tautenburgi* dynastarum familia, quæ multos egregios viros tu- „ lit. Is *Burcardus* Spalatino familiariter notus fuit, extantque in „ *Archivo Vinariensi* ejus ad hunc literæ MSS. Reg. O. fol. 95. 99. „ Inter has sunt d. 19. Septemb. A. 1520. datæ, in quibus famam „ de Luthero optimam Venetiis esse scribit, his verbis: *Legi,* „ *quæ de Martino Luther petiisti, & certè bona fama viri diu apud* „ *nos fuit, dicunt autem, caveat sibi à Pontifice. Ante duos menses* „ *decem libri de suis apportati & statim venditi fuerunt, antequam* „ *novissem; In principio vero hujus mensis supervenit mandatum Pa-* „ *pæ, & domini Patriarchæ Veneti, inhibens libros, quos Dominus* „ *Patriarcha apud librarios investigando unicum imperfectum invenit* „ *& abstulit. Ego habere desideravi, sed præ timore librarius non vult* „ *adducere. Fratres autem nonnulli de provincia Saxoniæ, qui eos le-* „ *gerunt & cognoscunt personam Domini Martini, multa bona retule-* „ *runt mihi de eo, de scientia, de vita & de doctrina ejus. Deus* „ *dirigat eum per viam veritatis & charitatis.* In aliis verò „ d. v. Aprilis 1521. datis, publicationem Bullæ nescio qua „ causa in sequentem annum dilatam significat, scribens: *Unum* „ *dolens dico; quoniam Patriarcha Venetiarum secunda feria Paschæ* „ *jussu Papæ ab omnibus prædicatoribus fecit excommunicari Magi-* „ *strum Martinum Luther, & omnes habentes libros suos, quoscun-* „ *que & fautores ipsius, cujuscunque gradus & status, cum magna* „ *totius Germaniæ derisione, tanquam consentientis; In hoc tamen* „ *Domini Veneti prudenter egerunt, quod noluerunt hoc publicari,* „ *nisi postquam populus fuerat confessus,* dimisso nempe cœtu aut „ maxima ejus parte. „

(a) vid. SECKENDORF Histor. Luth. fol. 115, 116.

Alterum eſt, quod CHRISTIERNUS quoque Rex Daniæ (a) ſive bonorum eccleſiaſticorum cupidine, ſive purioris religionis ſtudio incenſus, ab avunculo Saxoniæ Electore Concionatorem Evangelicum ad ſe mitti peteret. Quando miſſus fuit M. Martinus quidam, vir eruditus, qui *Hafniæ* Daniæ metropoli diebus feſtis à meridie magno populi applauſu docuit. Is quia geſtum in dicendo minus decorum egit, à Canonicis ad D. Virginem ſalſe fuit irriſus, inventuſque eſt aſturco (b) quidam juvenis, qui in conviviis & alibi callide Paſtorem novum imitaretur & Mag. Martinus vocaretur. Ut ipſum illud tum temporis Reformationis in Dania negotium in ſpongiam incubuerit, niſi quod hinc inde veritatis Evangelicæ ſpargerentur ſemina, atque hominum cordibus injicerentur.

Tertium eſt, quod ditionis *Vratislavienſis* in *Sileſia* Epiſcopus *Johannes* THURZO, jam tum quoque renaſcenti Evangelio & hujus præconibus faveret, quod ex LUTHERI & MELANCHTONIS ad ipſum datis Epiſtolis (c) colligitur, quanquam etiam ipſe Epiſcopus, morte, quæ die ſecunda Auguſti eum auferebat, præventus, eas literas non accepiſſe referatur, quæ res Luthero gloriandi ſuppeditabat anſam, (d) *Epiſcopum hunc optimum in fide Evangelica fuiſſe mortuum.*

§. XI. Sed

(a) vid. Arnoldi HUITFELDI Chronicon Daniæ apud SCULTET. in Annalib. p. 58, 59. Sed notari debet *Huitfeldum* omni modo Chriſtierni famam denigrare ſtuduiſſe, quod Eric. PANTOPPIDANUS in Hiſtor. Ref. Dan. annotavit p. 122, 123. qui non pauca ad hanc rem ſpectantia refert ſingularia.

(b) vid. PANTOPPID. l. c. p. 126. qui & refert, quomodo ineptas ſugillationes quibus modum concionandi Martinianum irritum facere annitebatur, ordinario clauſerit rythmis Danicis, quorum lingua Germanica expoſita mens eſt hujuſmodi.

Ich habe mein Tag kein gut gethan
Auch habe ichs nicht imm ſinn
Es wiſſen alle Leute wohl
Was ich vor ein vogel bin.

(c) Quas ex SCULTETO depromtas huic operi N. III. ſubjungi curavimus.

(d) v. Epiſt. Luth. Tom. II. pag. 7.

§. XI. Sed inter primas regiones, quibus Evangelii repurgati lux affulsit, erat FRISIA ORIENTALIS, quæ indulgentia & favore EDZARDI Comitis, ductu Georgii APORTANI (vulgo dicti *Jorgenvan der Dähre*) primi Frisonum præconis Evangelici, quem Comes ex Swollensi schola evocatum, suorum liberorum studiis præfecerat, Evangelicam doctrinam accepit. Ipse enim Edzardus Comes omnium primus, primis Lutheri scriptis (a) magno studio lectis & relectis, non modò curavit, ut iidem publicè venum exponerentur, sed & lectitari ab omnibus, quibus animus esset, sine metu ac discrimine ullo sivit, imo exemplo suo, ad emendos & legendos Lutheri libros, præcipuos ex Nobilitate patria, atque alios doctrina & judicio valentes excitavit: Norat enim (uti EMMIUS loquitur) inesse hoc hominum naturæ, ut quo principes suos delectari sentiunt, idem quoque ipsi libentius sequantur. Nec multò post, (hæc ad A. 1519. annotata legimus) *Auricæ* primum, sacerdos *Henricus* scilicet *Brunius* (b) agnitis erroribus priscis, publicis in concionibus taxare eos liberius, ac meliora populum docere ausus fuit. Mox *Oldershemi* quoque sub patrocinio *Ulrici* Dornumani, qui sedem ibi dotalem habebat, & *Hicconis* Oldershemii, quem secum Ulricus trahebat, *Henricus* quidam, populari facundia egregius, idem est secutus. Horum concionibus plebs etiam exsuscitata non solum illis in locis sed passim tota in regione ad inquirendum verum mentes erexit, indignantibus nequicquam sacrificulis & monachis in gente libera, principe præsertim tacite favente. Sic in hominum animis sensim labascere superstitio, & lux aliqua veritatis oriri cœpit: Id hujus rei maximæ in Frisia Orientali initium fuit. Cui id videtur addi debere unicum, quod *Helmerus* BENINGA Borsumanus, jam referatur quoque ad Vete-

(a) v. *Ubb.* EMM. rer. Frisicar. lib. fol. 785. apud SCULTETUM in Annal. p. 70, 71.

(b) vid. BENINGA Chronyk p. 600, 601. qui & addit, Brunium tanta cum animi fiducia ea in re fuisse progressum, ut se ex S. Scriptura adversus quosvis hæc defendere, quin imo vel ipsa vita obsignare velle, professus fuerit: *Dat hy aannam tegen ieder een zyne predikinge met de H. Schrift te bewyzen, ja met zynen hals te verdedigen.*

ris & Novi Teſtamenti normam ſe ſuaque compoſuiſſe, poſthabitis næniis & inſtitutis papalibus etiam antequam Lutheri ſcripta (a) vel proveniſſent vel nota fuiſſent: Intereà certum eſt (b) in Friſia Orientali facem accenſam fuiſſe, à qua vicinæ regiones, in primis Belgica noſtra, lumen haurirent: Erant tum præter memoratum *Henricum Brunium* apud Auricanos qui docebat, (c) in munere docendi alii alibi, doctrina ac pietate & veri ſtudio inſignes, apud Leranos *Lubbertus Canzius*, apud Nordanos *Johannes Stephanus*, apud Weneranos quoque *Johannes Sculto*, quanquam hic deflexerit poſtea, ſed omnibus prælucens *Georgius* APORTANUS apud Emdanos. Hic Swollis in ædibus fratrum, uti nuncupant, cum minor annis eſſet, literis inbutus, dein adultior in docendis bonis artibus ibidem in ſchola verſatus aliquandiu, inde ab Edſardo vocatus, & inſtituendis filiis ipſius præfectus, cum veritatis lumen primum hauſiſſet, exarſit ſtudio, ut quod ipſe intelligeret verum, id alios quoque doceret. Quod ut plenius uberiuſque facere poſſet, aditumque ad ſuggeſtum ſibi aperiret, ſuadentibus amicis, pro illorum ſcilicet temporum more, ſacerdotium iniit. Inde cum Emdanos doctrinæ cupidos, ſed bonorum doctorum inopes videret, templis excluſus à ſacerdotibus quibus in odio erat, permiſſu Comitis patentibus in campis prope urbem concurrente magna hominum multitudine conciones habuit. Mox civium ſtudio, nequicquam obnitentibus ſacerdotibus, in templum urbanum ductus & in ſuggeſto collocatus eſt, principe (d) *Bernardo Campio* publicum munus gerente, qui apparitoribus ſtipatus dabat operam, ne quid turbarum per ſacerdotes conciretur, aut immodeſtè fieret à plebe: Erant tum (e) ſacerdotiis in urbe præditi, præter cucullatos,

(a) vid. BENING. Chronic. p. 610.
(b) EMM. Rer. Friſicar. Lib. 53. p. 824, 825.
(c) Quanquam non conſtet, quamdiu is vixerit, ut credibile ſit eum non diu hæc ipſa ſupervixiſſe initia, quin potius morbo correptum fatali brevi poſt diem ſuum obiiſſe. conf. MEINERS *Hiſt. der Ref. van Ooſtvrieſl.* Tom. II. p. 421.
(d) Hoc *Ubbo* EMMIUS l. c. p. 825. teſtatur *ſe à ſenibus accepiſſe*.
(e) Ita totam hanc cauſam laudatus Emmius deſcribit.

tos, numero XII. atque in his *Poppo Manninga* è prima nobilitate cum Comite ſanguine junctus, doctur æ titulo fulgens, *Jacobus Canterus* Groninga oriundus, in pöeſi lauream meritus, *Henricus Camponejus*, & *Chriſtianus Sizobuttelius*, & ipſi doctrinæ nomen ferentes, bonoque loco nati in urbe, eminebant. Qui cum gratia auctoritateque pollerent, haberentque potentiſſimos quoſque in urbe ſibi addictos, ſperabant haud difficile ſibi fore, quod ageret Aportanus, quóque animi plebis ferebantur, impedire. Sed fruſtranea ſpes eſt, quæ Dei decreto adverſatur. Aportanus magno ſilentio auditus, magnuſque aſſenſus concionem ejus ſecutus, alii in ſententia confirmati, alii in eandem tracti, denique civitas iſtuc inclinatà, aſpirante divino Numine. Et ferunt (a) *Canterum*, cum dicentem ad templi valvas auſcultaſſet egredientem cum Bernardo Campio, immodeſtius verbis eſſe aggreſſum, nec veritum dicere, dudum ſe quoque iſta non neſciſſe, ſed ne ſibi & cæteris obeſſet, neve plus aliis ſapere velle videretur, proferre ad populum noluiſſe, verùm eundem increpitum viciſſim à Campio, atque acrius reprehenſum, qui ventris cauſa ſumma in re veritatem ſe diſſimulaſſe fateretur, ſtomacho plenum minitabundumque cum ſacrificulis ſymmyſtis in arcem properaſſe ad Comitem, ut eum querelis inceſſeret, ſed morbi prætextu nec ad colloquium à Comite, nec in arcem eſſe admiſſum: Sic perſpecta Comitis mente de impediundo doctrinæ curſu deſperaſſe, neque multo poſt, relicto Sacerdotio Emdano Groningam rediiſſe. Qua in urbe natali, quod reliquum habuit vitæ conſumpſit, homo notæ impietatis, atque omnis religionis deriſor, Evangelium de Chriſto, vitam alteram, corporum reſurrectionem in anilibus fabulis habens, eorum qui ſecus crederent, ſtultitiam ſcommatis inſectans, denique etiam nunc eruditarum literarum quam bonorum ac honeſtorum morum fama apud poſteros notior.

Hoc fuit publicarum concionum Doctrinæ melioris apud Emdanos initium.

Datus Aportano collega primus Hermannus HENRICI ex ſacri-

(a) EMMIUS hoc *Majores tradere* affirmat.

crificorum oppidanorum numero abjecta idolomania ad veritatem conversus. Reliqui sacerdotes sensim altaribus & suggesto amoti, quotquot eorum concedere aliò noluere, retentis censibus suis unà cum civium parte, quibus papatus nondum fastidio erat, apud Franciscanos exercitium religionis solitæ sustentabant In quibus *Poppo Manninga* locum nomenque suum tenuit, ad annum Christi 1530. & defuncto Unicone Ripperda, qui Hicconi Cankenio in honore successerat præposituræ census prioribus quoque adjecit. Nec aliter factum in tota regione, stetitque aut concidit papatus, prout plebs aut sacris præfecti huc aut illuc inclinarunt; quippe cum cogeret neminem, neminem loco moveret Edzardus, plebi verò libertatem in hac re atque arbitrium omne relinqueret, nisi quod causam piam, quantum poterat, favore juvaret, atque hoc præstaret, ne quid immodestè, ne quid turbulentè usquam ob religionem fieret. Denique sine imperio religionis forma verbi divini vi brevi tempore sub ditione Edzardi conversa est, superstitioque vetus aut privatis parietibus hic illic, aut monachorum monacharumve cœnobiis inclusa.

Atque hæc quidem de primis in *Frisia Orientali* Evangelii initiis, ex quibus partim colligi potest, quam absona prorsus illa sit contentio, quam illi, qui tamen omnem in rebus fidei præscriptionem eliminandam esse rectè sentiunt, reciprocant, de eo, num *Lutheranæ* ita dictæ num verò *Reformatæ* doctrinæ adstipulati fuerint primi in *Frisia Orientali* vel *Confessores* vel *Reformatores?* deinceps, quam à veritate aberrent plane, qui referunt EDZARDUM I. æque atque etiam ipsos primos Reformatores in Lutheranorum non in Evangelico-Reformatorum castris (quasi verò etiam in eorum castris, quæ nondum instructa erant, uti nec pila tum minabantur pilis, quis militare posset) militasse; Sed hanc suscitare jam litem aut conficere non vacat.

§. XII. Quæ cum Luthero per *Miltitium* acta erant, ea in superioribus (a) jam enarravimus; Post hunc *Johannes Glapio* Francisca-

(a) vid. Introd. nostr. §. XCVII. p. 231-233.

ciscanus, Carolo V. Imperatori à Confessionibus, cum Electore Saxoniæ, qui Comitiis Wormatiensibus per Cæsarem Carolum V. indictis intererat, privatim agere magna cum contentione de negotio Lutheri est annisus, sed ita, ut cum Elector hanc rem, prætensis negotiis Comitialibus, & quod ipse causam Lutheri suam non faceret, declinaret, ea fuerit demandata ejus Cancellario *Gregorio Pontano*, Viro (a) prorsus eximio; Glapio equidem se Luthero atque Reformationi vehementer favere affirmabat, sed ut is dogmata in libro *de Captivitate Babylonica* nuper edito proposita revocaret, sicque cum Ecclesia reconciliaretur, dolose satis omnem navabat operam; Pontanus itaque, sæpius ab eo interpellatus, neque tamen in ejus mentem, quam is vaferrime atque insidiosè dicitur celasse, descendens, totum illud tandem abrupit commercium, quod non nisi ad meras tergiversationes atque ut toti Reformationis negotio injiceretur remora, erat comparatum:

§. XIII. Enimverò, ad eadem hæc Comitia tandem aliquando ipse etiam cum vocatus sit LUTHERUS, hanc rem ut à principio explicemus, operæ censemus pretium. Elector Saxoniæ quod Cæsar id non obscure (b) ipsi significasset, jam ante ad Lutherum scribi curaverat, *quid facturus esset, si vocaretur à Cæsare, id enim adversarios moliri.* (c) Cui quæsito per Spalatinum proposito, Lutherus (d) responderat, *se omnino venturum Cæsarisque vocationem pro divina habiturum esse, si autem vis fiat, sicut verosimile sit, Deo commendaturum esse causam, qui tres pueros in fornace ignis servaverit, si verò servare nolit, parvam rem esse caput suum, si ad Christum comparetur & quæ ille passus sit:* Varia illa, quæ deinceps intercesserunt negotia, quod ab aliis specialius annotata sunt, præterimus. Intererat autem ipsius Papæ atque ejus satellitum, ne Lutherus, quasi res nondum composita esset, audiretur, aut, ne ipsi, si vel maxime ad Comitia vocaretur, fandi concedere-

(a) v SECKENDORF. Hist. Luth. L. 1. §. LXXXVIII. fol. 143, 144.
(b) vid. SCHLEGEL. Vita Spalatini p. m. 43, 44.
(c) vid. SECKENDORF. fol. 147.
(d) Epist. data d. 21 Decembris A. 1520. v. Epistolar. Lib. 1. ep. 205.

tur copia, quippe cujus, ab aulæ Romanæ infallibili ſententia jam facta erat condemnatio, & cujus ſcripta jam edicto Pontificio igni erant addicta. Ut mirum videri non queat, quod *Hieronymus* ALEANDER, ob id ad Comitia ſpeciatim miſſus, quibuſcunque modis poterat, ne ulla Lutheri, niſi tanquam condemnati haberetur ratio, lapidem omnem moveret (a) ſed, Lutherus tamen, impellente potiſſimùm atque hanc cauſam prudenter dirigente FRIDERICO Electore, tanquam nullius hactenus criminis convictus, ut denuò cauſam adhuc diceret, ad Comitia vocabatur, miſſis ad ipſum literis publicis d. VI. Martii ſignatis, quibus is ut intra (b) XXI. diem Wormatiæ compareret, Cæſatem enim, quoniam libri quidam ab eo ſint editi, velle, communicato cum Principibus conſilio cauſam ex ipſo coràm cognoſcere, evocabatur, additis ſimul Cæſarei commeatus (quem ſalvum conductum vocant) literis, (c) quibus publica illi veniendi & redeundi ſecuritas præſtabatur, ſicque indicabatur quam ipſo jam facto conſtitutioni illi, *quod hæreticis non ſit ſervanda fides*, eſſet renunciatum; Neque adeò in Luthero, ita ſatis munito, atque per ipſum Cæſaris caduceatorem ſive Fecialem *Caſp. Sturmium* qui & proficiſcentem Witeberga comitari debebat, invitato, ulla erat mora, quippequi, vocationi, ſpretis amicorum dehortationibus, paruit; Erant enim, qui eum in itinere dehortarentur, (d) Wormatiam ut ne ingrederetur: alii, qui exuſtione li-

(a) Huc certe ejus ſpectat Oratio, quæ à Maimburgio recenſetur apud SECKENDORF. fol. 141. cujus clauſula hæc erat: *Cum fruſtra fuerint omnia, jam per 4. annos adhibita, ad liberandam Eccleſiam & Remp. ab ingenti hoc malo remedia, nullum jam ſupereſſe aliud, quam ut Edictum Imperatorium conderetur, quo ab omnibus Ordinibus plena ſubmiſſione obſervato, deteſtabilis hæc hæreſis cum autore ſuo communi odio & exſecrationi exponeretur.*

(b) Has Latine refert BZOVIUS ad A. 1521. p. 390. atque harum originale ſemet in Bibliotheca Senatus Lipſienſis, vidiſſe refert M. V. de la CROZE in *Hiſtor. Itineris literar.* A. 1736. edita.

(c) Has Germanicè ex Originali, quod in Bibliotheca Wallenrodiana Regiomonte aſſervatur, exhibet FABRIC in Centifol. Luth. P. 1. p. 79, 80.

(d) SCULTET. Annal. ad A. 1521. p. 72, 73.

librorum ipsius jam damnatum Pontificiorum calculo crederent: quin imò, qui factam denuò à Papa in die Viridium (d. 28 Martii) Lutheranorum in Bulla *Cœna Domini* excommunicationem (a) obtenderent: alii, qui Johannis Hussi, alii, qui Savonarolæ exemplis terrerentur: (b) *Franciscus* etiam *à* SICKINGEN, à Cæsaris intimis (c) rogatus, per *Martinum Bucerum* ad se invitasse Lutherum dicitur, subinnuens, in arce sua Ebernburga commodius, quam in strepitu Comitiorum causam ipsius posse disceptari. At verò Lutherus his omnibus nequicquam obtemperans, Wormatiam versus tendit, atque in ipso itinere alicubi, satis impavide professus est (d) *se, si tot dæmones Wormatiæ essent, quot lateritiæ tegulæ, eò tamen abiturum.* Et venit Wormatiam, comitatus caduceatore *Sturmio*, itemque amicis, *Justo* JONA, *Nicolao* AMSDORFIO, & *Hieronymo* SCHURFIO Jureconsulto, quo veluti Advocato uteretur, dieque XVI. Aprilis intravit urbem;

§. XIV. Quidquid sit, postridie (is erat XVII. Aprilis) in consessum is deductus est publicum à Pappenheimio Mareschallo, præeunte feciali Sturmio, monitusque, ne quid nisi interrogatus responderet, atque tum Cæsare & Principibus præsentibus, Joh. Eccius Officialis Trevirensis (à Joh. Eccio Disputatore Lutheri adversario diversus) mandatu Cæsaris verba fecit, & *duæ sunt*, ait, *causæ* (e), *cur Cæsar, de consensu principum omnium & ordinum, te jussit accersiri, Martine Luthere, de quibus*

(a) HANE Hist. Sacror. à Luthero emendator, p. 44. ex SLEIDANO l. III. p. 33. a.

(b) Extat HUTTENI scriptum Lutheri Wormatiam proficiscenti metuentis in Wolfii Memorabil. Tom. II. p. m. 81. & seqq.

(c) Sed conf. WOLF. in Memorabil. Tom. II. p. 187. qui censet eam tantummodò fuisse inscio Cæsare subornatam legationem, ad Sickingum, artibus Pontificiorum quorundam, Lutheri adventum impedire volentium.

(d) Ipso teste LUTHERO in literis ad Fridericum Electorem & Johannem Fratrem Epist. Tom II. p. 227.

(e) SLEIDAN. lib. III. p. 33. b. & 34, 35. & sqq. cujus verbis, quæ totam hanc causam nervosè pariter ac eleganter exponunt, hæc ipsa enarramus usque ad §. XVI.

bus ut ex te cognoscam, mihi mandavit. Primum, an hos libros, abs te conscriptos esse fatearis & pro tuis agnoscas? *alterum*, an retractare quicquam in iis, an verò, quæ scripta sunt, velis tueri? Aderat Luthero jureconsultus Wittembergicus, *Hieronymus* SCHURFIUS, Is librorum inscriptionem recitari jubet & edi: quo facto, LUTHERUS, breviter repetens quod propositum erat, *quantum ad libros*, inquit, *pertinet, meos esse profiteor & agnosco: sed an propugnare velim quæ scripsi*: ut ad hoc legitimè respondeam, quandoquidem res maximi est momenti, & ne quid præcipitanter à me fiat, *deliberandi spacium posco*. Re communicata, quanquam, ait ille, de scripto Cæsaris facile tibi fuit, causam, cur sis evocatus, intelligere, atque idcirco tibi non licebat moram ullam interponere, quo minus jam responderes, tamen Cæsar pro sua clementia diem unum ad cogitandum tibi largitur, & ut cras, ad hoc ipsum tempus, denuò te sistas, & quid tui sit propositi, non scripto, sed oratione testatum facias, jubet. Quod moram istam adhiberet, plærique putabant non fore constantem.

§. XV. Altera luce, quum ad horam adesset: *ei quod secundum fuit, postulato, heri non respondebas*, inquit Eccius, *petito ad deliberandum spacio, quod jure quidem tibi denegari poterat: nam de fide quisque sua tam debet esse certus, ut cuivis etiam petenti, rationem statim reddere possit: tantum abest, ut tu, tam peritus & exercitatus theologus, dubitare debeas, aut responsum aliquod prameditari: sed utcunque sit, age, quid adfers, num illa tua scripta vis tueri?* Tum LUTHERUS, ad Cæsarem & concilium principum oratione conversa, & magnopere illos obtestatus, ut æquis animis & patienter audirent, „si quid à me peccabitur, inquit, potentissime Cæsar, illustrissimique principes, vel verbis minus „ propriis, neque tanto consessu dignis, vel etiam moribus parum elegantibus atque decoris, totum hoc mihi peto condonari, propter vitæ genus, in quo nunc aliquam ætatis partem consumpsi. Nam certè de me nihil aliud polliceri possum aut testari quam quod simpliciter hucusque docui, quæ ad gloriam Dei & hominum salutem pertinere credo: de libris meis hesterno die respondi, & illos à me scriptos ac edi-

„ tos

„ tos agnosco: quanquam si quid forte sit adjectum ab aliis, id „ minime velim pro meo recipere: jam, ut ad alterum veniam, ad hunc modum res habet, ut dicam. Qui sunt *à me* „ *conscripti libri*, *non sunt ejusdem generis nec argumenti omnes*, nam „ ex iis *aliqui* solum ad fidei & pietatis doctrinam pertinent, „ quibus etiam adversarii mei præclarum dant testimonium, „ quos quidem si abjurarem, officium viri boni neglexisse, jure „ queam incusari: *sunt alii*, quibus pontificatum Romanum & „ pontificiorum doctrinam reprehendo, qui maximis incommodis rempublicam Christianam afflixerunt. Quis enim non videt, quam misere hominum conscientiæ legibus vexentur atque decretis pontificum? quis negare potest, quam fraudulenter & insidiose provincias omneis, imprimis verò Germaniam expilarint, & ne nunc quidem adhuc suæ rapacitatis finem aut modum ullum faciant? Si nunc & hos libros aboleam, tyrannidem illam confirmavero: quod ipsum eo majoris „ erit præjudicii, quum audietur illud à me factum, Cæsaris „ & principum authoritate. *Tertium genus est eorum*, qui scripti sunt in quosdam privatim, qui & Romanam illam nequitiam defendere volunt, & ubique calumniam mihi struunt, in „ iisque fateor me vehementiorem fuisse, quam deceat: sed nullam sanctimoniam mihi arrogo, neque de moribus aut mea vita, sed de vera doctrina professionem institui: & tamen in his „ ipsis nihil retractare velim, hoc enim ipso multorum insolentiæ fenestram patefacerem. Neque tamen hæc ita velim accipi, quasi hoc mihi sumam, errare me non posse: verum, „ quia proprium est hominis, falli & errare, ad causæ defensionem mihi sumo illud Servatoris nostri dictum, qui de sua „ doctrina locutus, quum à satellite quodam cæderetur, *si malè* „ *sum*, ait, *locutus*, *testimonium perhibe de malo*. Quod si Christus, in quem omnis cadit perfectio, non recusavit audire „ contra se vilissimi servuli testimonium, quanto magis ego, „ qui natura tota sum peccator, & non uno modo errare possum, sistere me debeo vocatus, & audire, si quis contra doctrinam meam aliquid testificari velit & adferre? Quapropter, per omnia sacra vehementer oro, si quis est omnium,

 „ qui

„ qui adversus doctrinam, quam profiteor, aliquid habeat, ne „ dissimulet, sed congrediatur & scripturæ testimoniis errorem „ doceat: *quod si fiat, adeò non sum futurus obstinatus, ut etiam* „ *primus omnium libros ipse meos in ignem sim abjecturus:* & hæc „ quidem argumento esse possunt: me non temere, nec animi „ quadam impotentia ferri, sed rei magnitudinem & istam per„ turbationem, quæ propter hanc doctrinam oritur, satis ex„ pendisse. Me quidem plurimum etiam delectat, dum video „ doctrinam meam his offensionibus atque turbis occasionem „ præbere: nam proprium hoc esse dicit evangelii, Christus, „ ut ubicunque doceatur, gravissimas contentiones excitet, eti„ am inter eos, qui naturæ vinculis & sanguine sunt conjunctis„ simi: diligenter itaque & graviter diu multumque cogitan„ dum est vobis, amplissimi viri, quid statuere oporteat, & „ providendum, ne damnata doctrina, quæ nunc beneficio Dei „ vobis offertur, maximarum calamitatum causam, Germaniæ „ toti concilietis ipsi: danda est etiam opera, ne Cæsaris, qui „ hic præsidet, adolescentis, Imperium, nuper susceptum & „ initum, fiat inauspicatum, & infœlix, aliquo minus laudato & „ utili ad posteritatem exemplo: plurimis enim sacræ scripturæ „ locis probari potest, maximum Imperiis periculum tunc in„ cubuisse, quum humanis tantum consiliis atque prudentia ci„ vili respublica fuit administrata: verum hæc non eo spectant, „ quasi vobis, clarissimi prudentissimique principes, common„ strare velim aut præscribere, quid sit agendum, sed eo solum „ dico, ut Germaniæ, quæ nobis ortum dedit omnibus, atque „ etiam vita nostra charior esse debet, officium meum perpetuo „ præstem: quod superest, ut contra vim adversariorum in ve„ stram fidem atque tutelam me recipiatis, etiam atque etiam „ obtestor.„ Facto dicendi fine, ECCIUS asperiori vultu, *non respondes*, inquit, *ad rem, neque tuum est, ea quæ conciliorum authoritate sunt olim definita, rursus in quæstionem aut dubium vocare; planum & simplex responsum abs te petitur, an tua scripta velis esse rata?* Tum Lutherus, „ quoniam jubetis, ait, maxime Cæsar, „ illustrissimique principes, ut plane respondeam, obtempera„ bo. Hæc igitur mea est sententia. Quod nisi scripturæ sa-

„ cræ

„ cræ testimoniis vel evidenti ratione convictus fuero, me non „ posse quicquam eorum, quæ scripsi vel docui, revocare: „ nam ut conscientiam ipse meam vulnerem, non committam: „ pontifici autem Romano & solis conciliis non credo, nec ip„ sorum authoritatem recipio. Nam & errarunt sæpius, & si„ bi ipsis pugnantia dixerunt, & errare possunt atque falli. „ Hoc ejus responsum ubi Principes in deliberationem vocassent: ille, *tu & immodestius*, ait, *quam te deceat, & non satis ad rem Luthere respondes, & librorum tuorum facis aliquod discrimen: verum si revocares eos, qui magnam errorum tuorum partem continent, Cæsar non esset permissurus, ut eis quæ recte scripta sunt, ulla fieret injuria: concilio Constantiensi quamplurimi ex Germania interfuerunt virtute & doctrina præstantes viri, tu verò hujus decreta contemnis, & errores ibi damnatos resuscitas, & sacra scriptura vis convinci: non recte facis, & vehementer in eo deliras. Nam quæ semel ecclesia damnavit, de iis nullam attinet instituere novam disputationem: neque permittendum est, ut de quacunque re sibi rationem reddi quisque postulet. Si enim hoc recipiatur, ut eum, qui conciliis & ecclesiæ contradicit, oporteat scripturæ locis convincere, nihil unquam erit certum aut definitum: hac igitur de causa Cæsar abs te postulat, ut quid statuas de libris tuis, aperte pronuncies.* Hic Lutherus, „obsecro vos, ait, „ ut per vos mihi liceat conscientiam tueri salvam & integram: „ respondi simpliciter, nec aliud habeo quod dicam: nisi enim „ veris & è scriptura desumptis argumentis adversarii me doce„ ant & errorem eripiant, fieri non potest, ut animo sim tran„ quillo: demonstrare enim possum, sæpenumero ab illis & gra„ viter esse erratum: ut autem à sacris literis recedam, quæ & „ perspicua est ac sola falli non potest aut errare, cum pri„ mis impium fuerit. „ Ille paucis obmurmurabat, doceri *non posse, concilium ullum aliquando errasse:* Lutherus contra profitebatur, *se & posse & velle*, atque ita tunc discessum fuit.

§. XVI. Cæsar intereà d. XIX. Aprilis missa in concilium [...]ipum epistola se fidem Luthero servaturum, sed finito [...] conductus tempore, proscripturum illum significat: Ea

Cæ-

Cæsaris epistola (a) diu multumque fuit in senatu principum disceptata: neque deerant, uti fertur, qui *Constantiensis concilii* decretum & vestigia secuti, fidem ei minime servandam esse dicerent: sed huic sententiæ, tum alios, tum *Ludovicum Palatinum* electorem restitisse vehementer ajunt, quod ad Germanici nominis labem atque dedecus sempiternnm ea res pertineret Quapropter, non modo servandam ei fidem, sed neque temere damnandum esse plærique censebant, eo quod magni res esset futura momenti, quicquid demum Cæsar decrevisset, quem, in hac ætate positum, à pontificiis administris impelli videbant adversus Lutherum, & exacui.

§. XVII. Diebus autem aliquot interjectis Episcopus Trevirensis (b) diem XXIV. Aprilis Luthero constituit, ut ad se veniat; aderant Brandeburgicus (c) princeps elector Joachimus, Saxoniæ princeps Georgius, Augustanus episcopus, & alii quidam proceres: cumque Lutherus ab episcopi sacrifico deductus & à Cæsaris caduceatore, venisset, ibi (d) VÆUS jureconsultus Badensis, *quod huc evocatus es*, ait, *à principibus, Martine Luthere, non eo factum est, ut ullam disceptationem ingrediantur, verum ut amice tecum agant, teque privatim commonefaciant eorum, quæ videntur ad te ipsum imprimis pertinere: ut enim hoc ipsis liceat, à Cæsare impetrarunt. Et primò quidem, quod ad concilia pertinet, fieri potest, ut diversa docuerint aliquando, non tamen contraria: & ut maxime erraverint, non tamen propterea sic corruit ipsorum authoritas, ut ea convellere cuivis liceat: libri tui, nisi caveatur, magnos excitabunt motus, & quem edidisti,* de libertate Christiana, *plerique*

(a) Hanc nobis declaratoriam conservavit *Bernh. de* LUTZENBURGO in Catalogo hæreticorum (edit. 1529.) Lib. V. Q. 6. & ex eo LOESCHERUS in C. Relation. Innoc. A. 1717. p. 171. sq. conf. SLEIDAN. l. c. p. 35. & BZOVIUS in Annalib. fol. 385. a.

(b) Is erat *Richardus à* GREIFFENCLAU Vir rerum secularium valdè peritus, atque Luthero favens.

(c) SLEIDAN. l. c. p. 35. & 36.

(d) Is erat *Hieronymus* VEHE, de quo SECKENDORF. lib. cit. p. 157.

rique omnes ad suum affectum interpretantur, quo licentius, quod libet, faciant: multo est autem hoc saeculum, quam fuerunt anteacta, deterius: quo cautius agendum est etiam: sunt quaedam tua scripta, quae non possint improbari, sed verendum est, ne Satanas hoc agat, ut alia quaedam interim edas, à religione & pietate aliena, quo sic libri tui promiscue damnentur omnes: quos enim edidisti postremò, satis indicant ex fructibus non autem ex flore cognoscendam esse arborem: non te latet, quam diligenter Scriptura commonefaciat, ut à daemonio meridiano & à sagitta volante nobis caveamus: ille humani generis hostis non desinit insidiari nobis, & sub specie pulchri saepenumero nos illaqueat & in errorem abducit. Cogitare igitur debes, tam de tua, quam de aliorum salute, & providere decet, ne, quos ab aeterna morte Christus morte sua redemit, tua culpa tuisque libris & concionibus ab ecclesia seducti, rursus pereant. Cujus quidem ecclesiae dignitatem omnes reverenter agnoscere debent: nam in rebus humanis nihil est legum observantia praestabilius, & sicut respublica sine legibus consistere nulla potest, ita quoque, nisi majorum sanctissima decreta religiose tueamur, nihil erit ecclesiae statu perturbatius, qui debebat omnium maxime esse tranquillus atque firmus. Qui coram adsunt Principes, magna sane virtute viri, singulari quadam erga rempublicam charitate, & privatim tua quoque salutis gratia, de his rebus omnibus te voluerunt admonere: nam profecto si sententiam tuam pertinaciter urgebis, deque proposito nihil remittes, futurum est, ut Caesar, qui jam non obscure, quid sui sit propositi, ostendit, extra fines Imperii te rejiciat, nec in Germania sedem ullam tibi esse patiatur: quò tibi de tua fortuna cogitandum est diligentius. Ad ea LUTHERUS, „ pro hac vestra erga me voluntate ac solicitudine, gratias, inquit, vobis „ ago maximas, viri principes: equidem tenuiori sum conditio„ ne, quam ut vos tantos viros pro me laborem hunc deceat & „ molestiam subire: porro, quantum ad concilia pertinet, equi„ dem non reprehendo simul omnia, sed inprimis Constantien„ se: & cur id faciam, causam habeo magnam & invincibilem. „ Definivit Hussus *Ecclesiam esse coetum praedestinatorum:* hoc ejus „ dogma, tum illud, quod dixerat, *se credere sanctam ecclesiam,* „ ejus consilii proceres damnarunt, ipsi potius damnandi. Re„ cte enim & Christiane dixit utrunque: quidvis ergo sane pa-

„ tiar, vitam quoque profundam potius, quam ut à manifesto „ verbo Dei discedam: *Est enim Deo magis quam hominibus obediendum:* & quod de scandalo mihi objicitur, id neque possum, „ neque certe debeo præstare: differunt enim charitatis & fidei „ scandala, quorum illud in moribus & vita consistit, & omnino vitandum est, alterum autem inhæret verbo Dei, nec ulla debet ejus haberi ratio: veritas enim & æterni patris voluntas atque mandatum dissimulari non debent, etiamsi totus terrarum orbis offendatur: Christum ipsum Scriptura vocat petram scandali, & hoc ad omnes, qui docent Evangelium, æque „ pertinet. Scio parendum esse legibus & magistratui: populum etiam ita semper docui, & scripta mea testantur abunde, „ quantum dignitati legum tribuam. Ad ecclesiastica verò decreta quod attinet, longe est alia ratio. Quod si pure doceretur verbum Dei, si præfecti ecclesiarum facerent suum munus, „ ita ut Christus & Apostoli sanxerunt, nihil opus erat jugum „ illud durum & intolerabile humanarum legum conscientiis & „ animis hominum imponere: non me latet etiam, admonere „ scripturam, cedendum esse proprio, quod ajunt, sensui: vere „ quidem istud dicitur, & libenter etiam præstabo, nec obstinate sum aliquid facturus: tantummodo mihi liceat Euangelii „ doctrinam profiteri. „ Quum hæc orasset, jussus est diverte-re. Re deliberata, VÆUS inter alia cœpit hortari, ut Cæsaris atque principum cognitioni sua scripta subjiceret. Tum ille, *Quidni?* inquit, *nolo equidem videri, unquam defugisse vel Cæsaris vel ordinum Imperii, sed ne aliorum quidem, judicium, modo id Scriptura duce fiat, & verbo divino, quod tam aperte pro me facit, ut, nisi hoc ipsum me redarguat erroris, non possim à sententia discedere: præcipit enim Paulus,* ne angelo quidem è cœlo venienti & aliam adferenti doctrinam esse credendum. *Itaque vos oro magnopere salvam mihi liceat tueri conscientiam, idque vestra potissimum ad Cæsarem intercessione: quod si obtineam, nihil non faciam.* Tum Brandeburgicus, Num hoc, inquit, vis, te non cessurum, nisi convictum Sacra Scriptura? Plane, inquit, Lutherus, aut evidentissimis rationibus.

§. XVIII. Dimisso igitur consilio, Trevirensis, aliquot suis ad-

adhibitis familiaribus, denuo illum cœpit admonere, per Eccium jureconsultum, qui pro pontificatu Romano multa locutus, nihil potuit proficere: atque ita tum discceditur. Altera die Trevirensis iterum interpellat, ut Cæsari ac principum senatui judicium permittat absque conditione: sed id frustra fuit. A meridie, quum ad Trevirensem denuo quidam venissent vocati, postulant ut futuro saltem concilio sua summittat. Assentitur ille, modo Scripturæ res agatur authoritate. Posthæc, Trevirensis, omnibus remotis, privatim cum eo collocutus, quomodo huic morbo tam gravi tamque periculoso sit medendum, exquirit. Ille, quod Gamaliel quondam suasisset Pharisæis atque Scribis, optimum esse consilium, neque Deo repugnandum esse dicit. Tunc demum Episcopus, quum nihil proficeret, benigne dimittit, seque curaturum ait, ut publica fide domum redeat. Non multo post, Eccius jureconsultus, episcopi mandatu venit: &, *Quoniam Cæsaris atque principum admonitiones repudiasti, faciet*, inquit, *Cæsar deinceps, quod erit ipsius officii: & nunc quidem tibi mandat, ut hinc è vestigio discedas, & in reditum dies viginti unum tibi largitur: quam etiam fidem tibi dedit, eam servabit inviolatam. Et hoc insuper mandat, ut domum profectus, neque scripto neque voce populum in via commoveas.* Ad hunc ergo modum dimissus, gloriam Deo tribuit, & ad XXVI. Aprilis diem discedit, comitatus eodem, quo prius, caduceatore Cæsaris. (a)

Est verò hic notandum, quod eo vespere adhuc FRIDERICUS Elector Luthero per *Fridericum Thunavium*, *Philippum Feilitschium*, & *G. Spalatinum* (b) consilium de occultatione ejus captum, summa posteà etiam diligentia & taciturnitate conse-

 ctum

(a) Memorabilia autem sunt verba Equitis *Georgii Frondsbergii*, quibus is Luthero abeunti, ejus humerum manu feriens valedixit: *Munchlein, Munchlein, du gehest jetzt einen gang, dergleichen ich und mancher Obrister, auch in unsrer aller-ernstesten slacht-ordnung nicht gethan haben. Bistu aufrechter meinung, und deiner sachen gewiss, so fahre in Gottes namen fort, und sey nur getrost, Gott wird dich nicht verlassen.* SECKENDORF fol. 156. *ex Spangenberg. speculo nobilitatis* fol. 54 a.

(b) vid. SECKENDORF l. 1. §. XCVI. Addit. 1. fol. 157. a.

ctum (Luthero quidem assentiente, optante tamen ut res aperte (a) gereretur) indicari fecerit, cujus consilii nemo præter hos, ac insuper JOHANNES Frater, atque secretarii *Hieronymus Rudolphus* & *Johannes Veibelius* erant conscii.

§. XIX. Sic die XXVI. Aprilis Wormatia rursus excessit, postquam illustre & memorandum in omne ævum edidisset invincibilis in veritate profitenda constantiæ exemplum, ab omnibus præter unicum Saxonem, qui tamen non apertè suam hanc causam faciebat aut profitebatur, derelictus: id præterea adhuc dolens, non una vice in Epistolis, quod non ardentius etiam atque obfirmatius tyrannis, Evangelium confitendo obstitisset, causamque Dei non plenius atque apertius egisset; (b) Quicquid autem malevoli, de gestis Wormatiæ à Luthero & cum eo, mugi-nentur, id negari nequit, ipsum Imperatorem, Principesque ac Proceres, perinsigne, itidem, atque posteritati admirandum dedisse exemplum in eo, (c) quod privatum, & monachum, tum, quod maximum erat, damnatum jam solenniter à Pontifice, in consessum suum splendidissimum admissum, benigne ac patienter audiverunt, securitatem promissam, spretis multorum, qui tollendum homuncionem dicerent, suggestionibus, servaverunt, amice & humaniter in colloquiis particularibus tractaverunt, & si præter unum, quod diximus Saxoniæ Electorem nemo tunc patrocinium ejus, neque hic tam aperte profitebatur ut causam suam faceret: (d)

Ad-

(a) vid. LUTHERI Epistol. Tom. 1. Ep. 226, 227. 250. pag. 324. a. 325. b. 362. b.

(b) vid. Epist. d. IX. Septemb. Tom 1. Ep. 243. ad Spalatinum: ubi ita: *Ego timeo valdè & vexor conscientia, quod tuo & amicorum consilio cedens, Wormatiæ remisi spiritum meum, & idolis illis non exhibuerim Eliam quendam: alia audirent, si denuò sisterem coram eis.* & ad Hartm Cronbergium anno sequenti Epist Tom. II. p. 103. b. *Wormatiæ*, scribit, *in amicorum nonnullorum gratiam, ne viderer reluctari pertinacius, spiritum meum pressi, nec tyrannis animosius & obfirmatius Evangelio confitendo restiti; quo nomine non semel post à perfidis & impiis malè audire coactus sum:*

(c) vid. SECKEND. fol. 156.

(d) Atque hæc fuit ratio, quod horum Comitiorum Epitomen aliquanto lu-

Adfuerat etiam Wormatiæ, ut obiter hoc moneam, Cimbriæ tum Princeps hæres, postea Daniæ Rex CHRISTIANUS III. societate avunculi Electoris Brandeburgensis adductus, qui jocum cum Franciscano Monacho, è suggestu declamante, ipso Cæsare præsente peregit, ut nodum funi dependenti innecteret, Monachumque adeò tantæ concioni daret ludibrio. (a)

§. XX. Ex itinere LUTHERUS (b) scribit ad *Cæsarem* (c) & actionem omnem paucis repetit, deinde, quoniam & antehac semper pacis conditiones detulerit, & nunc etiam deferat, nec aliud petat, quam ut æquo judicio de lite cognoscatur, interposita Scripturæ auctoritate, flagitat, ut contra vim adversariorum se tueatur: causam esse non suam privatam, sed publicam totius orbis terrarum, inprimis autem Germaniæ, cujus ipse salutem etiam vitæ suæ anteponat. In eandem sententiam ad reliquos quoque scribit *Principes* ac *Ordines* (d), quandocunque Cæsari visum fuerit & ipsis, venturum se fide publica, quò jusserint, causamque suam apud æquos & non suspectos Judices velle

E 3 dis-

luculentius, ex ipso SLEIDANO enarraverimus: Cæterum & brevem horum comitiorum epitomen à Spalatino consignatam exhibet KAPPIUS in *Spicilegio docum. ad Hist. Reform.* P. II. pag. 477. Uti non minus commemorari meretur *Ulrici* HUTTENI de iis quæ cum Luthero sunt gesta in his comitiis, Epistola ad *Bilib. Pirckheymerum*, apud BURCKHARDUM in Vita Hutteni Tom. II. p. 205. Nam & editus tum temporis est singularis quidam libellus jocularis sub titulo *Passionis Doctoris Martini Lutheri secundum Marcellum*, in quo verbis ex Historia Evangelica Passionis Christi (exemplo certè non laudando) depromtis, tota cum Luthero Wormatiæ acta causa enarratur: Eum ob rei memoriam, unà cum dialogo inter *Karsthans* & *Kegelhans*, cujus Ulricum *Huttenum* auctorem ferunt, inter documenta huic Volumini subjuncta Num. V. referre fert animus; Est autem memorabile quod & Fridericus Elector ad Johannem Fratrem ap. Seckendorf l. I p. 157, 158. ita: *Credas velim*, scribat, *quod non solùm Annas & Cajaphas, sed & Pilatus & Herodes Luthero adversentur.*

(a) v. HANE Histor. Sacror emendator. p. 36. qui hanc in rem citat. HOJERUM in Hist. Dan. vernacula p. 251. seq. & Jo. If. PONTANUM p. 47. sq.

(b) Ita SLEIDAN. l. III. pag 37 a.

(c) vid. LUTHERI Epistol. Tom. I. pag. 316.

(d) vid. LUTHERI Epist. T. I. p. 319. b.

disputare. Intereà Lutherus cum Fridbergam appulerat in Wetteravia, dimisso cum his literis à se feciali Sturmio, brevi post, non procul Isenaco ab hominibus personatis, equis qui vehebantur in sylva quadam è curru rapitur, atque sine omni strepitu in propinquam arcem in altissimo montium vertice constructam & vetustissimam Landgraviorum Thuringiæ sedem *Wartburgum* deducitur, (a) ubi per novem vel decem menses, sub nomine, Nobilis Georgii (*Junker Jörgen*) latitavit atque satis splendide est habitus, (b) variisque scriptis elaborandis (c) inprimis verò *Operi Biblico* concinnando (d) strenuam navavit operam. Cæterùm multis eundem angoribus cruciatibusque animi, imò & Satanæ tentationibus tum expositum fuisse & vexatum propriæ ejus edocent Confessiones, ut de eo diversimodè hac tempestate exagitato verè dicere liceat: *Hujusmodi Vexationes ipsi dedisse intellectum.* (e)

§. XXI. Lutherus, dum ita locum tutum recipiebat, cura & nutu *Hier.* ALEANDRI Nuncii Pontificii, conditur *Decretum Wormatiense*, d. VIII. Maji quod nomine Imperatorio promul-

(a) vid. LUTHERI Ep. Tom. I. Ep. 229. pag. 328. b.

(b) Epistolarum ejus abinde ad amicos datarum subscriptiones, modo referunt *ex Pathmo*, modo *ex insula Pathmo*, modo *in monte*, modo *è regione volucrum*, modo *ex eremo*, eas esse scriptas: vid. Differt. ANTONII de *Patmo Lutheri* p. 130. seqq.

Cæterùm, de variis rumoribus de Lutheri occultatione inter adversarios sparsis extat Epistola Nic. Gerbelii ICti Argentoratensis quam ex MSS. exhibet SECKENDORFF. Lib I. fol. 161. 171. 176. 200 Sunt etiam qui auctoritate CHYTRÆI in Saxon. P. I. p. 580. referunt Leonem X. Magos & veneficos consuluisse, de loco ubi Lutherus esset absconditus.

(c) Huc scripta *Apologetica* spectant adversus Jac. *Latomum* & Ambrosium *Catharinum* qui inter primos jam fuerant ejus adversarios, itemque adversus *Parisienses:* porro *dogmatica*, de *Confessione*, de *Missa*, de *Sacerdotio* Christianorum, de *Votis Monasticis*, aliaque, denique *Homiletica*, cum *Postillas* sic dictas *Evangelicas* hic elaboraverit. Ne de frequenti *literarum commercio* quicquam dicamus.

(d) Huc p. d. Leonis X. pertinet Epistola A. 1521. ad Saxoniæ Duces data, qua eos incassum monuit, ut Luthero interdicerent sacros libros in linguam Germanicum transferre.

(e) Conf. Lutheri Epist. ad Spalatin. apu SCULTET. Annal. p. 54, 55.

mulgatur, quo Lutherum proscribebat Cæsar: (a) Exordium ducit à sua persona; (b) sui nimirum esse officii, non modo stabilire Imperium amplificare, sed providere etiam, ne qua labes aut hæresis intra fines Imperii nascatur: & majores quidem suos in hanc curam diligenter incubuisse: multo igitur esse æquius, ut ipse, cui tantam tamque late patentem ditionem Deus concessit, illorum vestigiis insistat: nam si recens in Germania natas hæreses non coherceat, fore, ut & conscientiam ipse suam lædat, & in hoc regni sui primordio maximam nominis indignitatem sibi conciliet: notum esse dubio procul omnibus, quam impia dogmata Lutherus nunc aliquot annis divulgarit: ea re permotum Pontificem maximum, Leonem decimum, ad quem ejusmodi cognitio proprie pertineat, nihil non tentasse, ut ad saniorem mentem illum revocaret, & principio quidem lenissimis usum fuisse remediis: verum, ubi nihil profecit, ad eas rationes, quæ legibus & majorum decretis continentur, venisse, certumque denunciasse tempus, intra quod errorem deponeret, gravi constituta pœna, nisi pareret: illum verò, non solum non obtemperasse, verum etiam atrociores edidisse libros: cum autem graviter ipse à pontifice urgeretur, ut ecclesiæ suum præstaret officium ac hominem nocentem cohiberet, decretum illud evulgasse pontificis: verum ne ita quidem illum esse factum meliorem, imo tunc primum cœpisse furere, & editis libris indigne ac contumeliose multa scripsisse, nec aliud in ipsius libris quam seditiones, bella, discordias, incendia, cædes atque rapinas contineri: patrum & conciliorum ab eo contemni authoritatem, & Constantiensi concilio magnam inprimis fieri contumeliam, quæ quidem non solum ad ejus ætatis viros sanctissimos, verum ad Sigismundum quoque Cæsarem & ad Senatum principum pertineat: immanitatem ipsius atque rabiem nullius oratione

ne

(a) Edictum hoc Wormatiense Latina lingua habet BZOVIUS Annal. fol. 390. seqq. ex quo illud huic Operi subjecimus Num. VI. atque Germanicum reperitur inter Opera LUTHERI Jenensia Germanica Tom. I. fol. 456-463.

(b) Ita breve ejus compendium nobis tradit SLEIDANUS Lib. III. p. m. 39. a.

ne ſatis explicari poſſe: non hominem eſſe qui ſic agat, ſed dæmonem potius, humana ſpecie: his ergo de rebus cogitantem ſe magnopere perturbari atque dolere, pro ſuo erga rempublicam & dignitatem pontificiam affectu: ideoque, ne vel majorum ſuorum virtute, vel ſuo ſplendore atque munere aliquid admittat indignum, congregationem feciſſe omnium Imperii principum ac ordinum, & communicato conſilio, rem omnem graviter ac diligenter expendiſſe: & quanquam legibus cautum ſit, ne manifeſtus hæreticus, toties damnatus & ab eccleſiæ communione ſemotus audiatur, tamen, ne quis illi calumniæ locus eſſe poſſet, datis literis & miſſo caduceatore ac publica interpoſita fide, illum accerſiviſſe, ut coram ſui facti rationem explicaret: poſt, ordine commemorat quid ſit actum Vuormaciæ, tum publice, tum privatim, ut ſupra dictum eſt. Et quoniam errores ille ſuos pertinaciter defendat, Decretum illud pontificis laudat, ejuſque vindicem ſe fore profitetur. Itaque & ipſe illum damnat & proſcribit, ut authorem ſchiſmatis, ut manifeſtum ac pertinacem hæreticum: mandat etiam omnibus, gravi denunciata pœna, ut pro tali agnoſcant, & ut poſt XXI. dies, quos ad reditum ei conceſſerit, quiſque det operam, ut illum capiat, & captum in ſuam poteſtatem perducat: eos verò, qui quocunque modo faveant, aut operam ei ſuam communicent, æque proſcribit: libros etiam aboleri jubet, & librariis in poſterum gravem conſtituit pœnam: & hoc quidem ſuum decretum, quod communi principum & ordinum conſilio factum eſſe dicit, ſacroſanctum eſſe mandat. Ajunt Edictum hoc à paucis aliquot fuiſſe conflatum: nam ex Electoribus nonnulli fatentur, non ſe fuiſſe conſcios, (a) utcunque ſit, ea lata ſententia, permagnam Cæſar iniit gratiam, ita quidem, ut à Gallis abalienato prorſus animo, fœdus cum eo Pontifex iniret.

§. XXII. Ad

(a) Certè aſpera dictione quæ in Edicto illo erat, offenſi permulti, id ægrè tulerunt: Ex Aleandri ſaltem vena inter alia hi profluxerunt floſculi: *Den Martin Lutter nicht hauſet, hovet, eſſet, trenckt, noch enthaltet, ſondern wo ihr ihn betreten mögt, gefänglich annemht, und ihr um ſolch heilig werk auch eure müh und koſten, ziemliche ergötzlichkeit empfahen werdet.* v. Luth. Opp. Jenenſ. Germanica Tom. 1. fol. 461. a.

§. XXII. Ad hoc tempus, nisi fallimur, illa dogmatum Lutheri condemnatio referri debet, per Theologos Parisienses procurata, collectis quibusdam, & ex illo, qui est inscriptus *de captivitate Babylonica*, libro, (a) & ex aliis, certis capitibus de sacramentis, de legibus ecclesiæ, de operum æqualitate, de votis, de contritione, absolutione, satisfactione, de purgatorio, de libero arbitrio, de immunitate ecclesiasticorum, de conciliis, de hæreticorum pœnis, de philosophia, de Theologia Scholastica, deque multis id genus aliis. Lectorem verò & omneis, qui Christi profitentur nomen, admonent, ut ab ejusmodi perniciosis dogmatis diligenter sibi caveant: hæreticorum hunc esse morem, ut blanda quædam initio proponant, quæ semel in animum admissa vix unquam inde revelli queant: sub illis autem verborum illecebris latere virus præsentissimum: ordine postea multos enumerant singulorum temporum hæreticos, & in his *Wiclevum*, *Joannem Hussum* ac postremo *Lutherum*, quem, ut temerarium & arrogantem magnopere vituperant, quod se unum plus cæteris videre putet, quod sanctorum patrum & interpretum, quod conciliorum & scholarum omnium judicia contemnat, quod ecclesiæ morem atque consensum, tot sæculis observatum, repudiet, quasi verò credibile sit, Christum interea voluisse sponsam suam unicam in tantis errorum tenebris versari: sed hæreticis hoc esse proprium, ut scripturas ad suum sensum detorqueant. Enumeratis deinde nonnullis ab eo compositis libris, ostendunt, quibus in dogmatis quos imitetur hæreticos: quum autem ad ipsorum professionem atque munus proprie pertineat, nascentes errores jugulare, quantum quidem fieri possit, idcirco libros ipsius evolvisse diligenter, ut, quemadmodum sibi cavere quisque debeat ab illis, demonstrent: post multam verò lectionem eorum quæ scripserit, reperire se, doctrinam illius esse perniciosam, & dignam, quæ flammis ultricibus vindicetur, (b) ipsum

(a) *Hunc librum adeò* dicunt *Parisienses*, *esse variis respersum erroribus*, *ut jure cum Alcorano conferri mereatur.* Universam autem *Determinationem* pariter atque *Conclusionem Facultatis* nobis exhibet *d'*ARGENTRE in Collectione Judiciorum de novis errorib. T. II. p. II III. seq.

(b) vid. SLEIDAN. l. III. pag. 38. a. Nescio certè annon huc referen-

verò, ut eam deteſtetur atque revocet, cogendum eſſe. Huic illorum decreto reſpondet deinde *Melanchton*, ſed & *Lutherus*, verum jocoſe.

§. XXIII. Sed antequam, quomodo, latitante Luthero, Evangelium tamen felici ſucceſſu progreſſum fuerit, indicemus, unicum illud de *Lutheri* cum *Alberto Moguntino* commemorare fas eſt commercium Epiſtolicum; Inſtituerat enim *Albertus Moguntinus* poſt obitum Tetzelii novas Indulgentiarum Papalium menſas Halæ Saxonum, atque Parochum quendam, (a) ad Uxorem, quam duxerat, dimittendam & abjurandam carceris pœna cöegerat: Ea res cum Luthero viſa eſſet indigna, eum ut ex latebris ſuis d. 25 Novembr. 1521. ad Albertum Moguntinum & Magdeburgenſem Epiſcopum daret epiſtolam, admodum acerbam, inſtigabat: Ubi inter alia is minitabatur Alberto, *ni ab iſta indulgentiarum prædicatione, & Paſtorum conjugatorum perſecutione ceſſetur, ſe, licet pro perdito & velut mortuo habeatur, ita Albertum ſcriptis eſſe aggreſſurum ut omnis corruptæ religionis & morum impudiciſſimorum culpa in eo ſit hæſura:* Neque verò id tantùm, ſed & audet ab eo expoſtulare Lutherus, *ut intra dies quatuordecim reſpondeat, an petita Lutheri admittere velit?* Albertus *Wolfgangi Fabricii Capitonis* (b) conſilio & ſtylo, d. XXI. Decembris

renda ſit illa quæ *Pariſiis* in aula Regia dicitur acta fuiſſe *Tragœdia*, quam ex *Johannis Langi*, Prioris Erfurdenſis atque ſingularis Lutheri amici deſcriptione, ſibi per Cl. *Schlegelium* communicata, nobis retulit *Jac.* BURCKHARDUS in tract. de Fatis ac meritis *Ulr. Hutteni* Part. II. pag. 293-300. unde eam ob rei memoriam repetimus atque huic volumini ſubjungimus Num VII.

(a) SCULTET. p. 95. & SECKENDORF. L. I. §. CVII. fol. 175.

(b) De eo vid. Introd. noſtr. §. LV. p. 115. ſeqq. Cæterum quomodo *Phil.* MELANCHTON ipſam Lutheri cauſam *Capitoni* tum commendaverit, ſcripta ad eum Epiſtola, docemur apud SCULTETUM p. 96. ubi Melanchton ita ad Capitonem: *Mittuntur ad vos optimi & ſanctiſſimi hominis, Lutheri, literæ, quibus, quod à te fieri oportuit, officii Princeps tuus admonetur: eas quia contemnent, opinor, nonnulli apud vos, non enim ignoro, quid de Luthero ſentiat mundus, referre putavi, quod in rem eſſet Principis tui, tecum privatim commentari. Modis omnibus efficiendum eſt tibi, ne contemnatur Lutherus, & ut ejus hoc tempore literæ apud tuos valeant: id quod abs*

bris lenissimè Luthero respondet: & scribit, *Se literas ejus benevolè & in optimam partem accepisse, sperare etiam causas propter quas Lutherus scripserit jam cessasse: agnoscit se peccatorem esse, imò inutile & fœtidum stercus, nec recusare Christianam & fraternam Lutheri admonitionem, eique propter Christum optimè velle:* Promittit denique *se officio pii & Ecclesiastici Principis functurum esse.* Sed addebat CAPITO suas & ad Melanchtonem & ad Lutherum directas literas: In his Philippum hortabatur, „curet, ne subolescen-
„ tem Spiritum Alberti Lutherus lacessendo extinguat: se au-
„ ctore Principem hactenus clam cum Luthero fecisse, illique
„ vires atque auctoritatem confirmasse, si quid ille peccet, ma-
„ gis peccare amore religionis, & studio ad verum cultum quam
„ malitia: videre ipsum, Lutherum non solùm non contem-
„ tum, sed illi habitum honorem, tanquam Evangelistæ, cujus
„ reprehensionem ambabus, quod ajunt, amplectantur: Luthe-

 rum

abs te impetrabit pietas cum erga Evangelium, tum erga Principem tuum. Primum enim, si Lutherus, id quod multi sentiunt, divinitus missus est, qui mundum ad Evangelium revocet: cavendum est: ne non tam Lutherum, quam illum, cujus hic Ἀπόςολον *agit, contempsisse videamini. Sibi factum interpretatur Christus, quicquid acciderit minimo ex suo grege. Pharisæos* καὶ Νομικὺς, *qui Baptistam aspernati erant, Dominus queritur, consilium Dei sprevisse. Quid si idem his causetur, ubi contemtus fuerit Lutherus? Scio hunc partim stultum, partim malum videri mundo, sed oportet* Ἐυαγγέλιον *stultitiam esse Gentibus, scandalum Judæis. Negare non potestis, quin Evangelium doceat: id rejicitis, si Lutherus rejicitur. Nec ignoro, te acerbitate offendi. Sed quid, si divinitus accendatur?* ἐυαγγελίζεσθαι. *Obsecro vide, qui rerum ac temporum status sit, quo sale opus sit istis tam pinguibus Dominis. Nunc tibi contigit qui saliat, vosne conculcabitis? Paulus cavere præcipit, ne Spiritus extinguatur: quod ne a vobis præstetur, adnitere. Pluribus hæc agerem, nisi & Fabritio & Theologo scriberem, ut videri hæc quoque nimis multa possint. Deinde, quod privatim ad Principem tuum pertinet: proscindetur acerbissimo scripto, nisi dextre responderitis. Hoc ut prematur, quantillo incommodo efficere potestis. De indulgentiis, credo, agitur, quæ cum jam olim deploratæ sint, minimo negotio abrogari possunt. Nam vel hinc Lutheri candorem æstimes, qui præter indulgentias nihil attingit. Quid enim si commoveat reliquam vitiorum ac imposturarum τῦ ἄρχοντος Camarinam, id quod jure queat. Cedite hoc uno loco recta monenti tanto cum commodo vestro, si consultum vultis τῇ τῦ ἐπισκόπυ ἀξίᾳ. Ego hactenus sedulò præstiti, ne quid contra vos ederetur, & porro præstare cupio, modo recta velitis. Vale. Wittembergæ, sub Brumam.*

rum graviter monet, „ ne nominatim magnatum Ecclesiasti-
„ corum vitia notet: quia id sit facturus sine exemplo, multa-
„ que præter verum necessariò ficturus, cum vel spiritus homi-
„ nis nesciat quæ sunt in homine: quod si pergat aliorum inser-
„ vire affectibus, experturum Moguntinos quoque esse homi-
„ nes, quod sibi seriò dictum putare debeat, ne in necessitatem
„ inducat pusillos, ut animum exasperent: „ Hæc CAPITO; quibus sub initium anni sequentis 1522. d. XVII Januarii hunc in modum respondet LUTHERUS: (a) *Quantum literæ Cardinalis tui animum meum erexerunt, tantum literæ tuæ dejecerunt, mi Fabriti. Dejicit fortè & vultum tuum exordium hoc triste & ingratum. Sed tua culpa, qui & fidem & autoritatem literis Cardinalis tam intempestiva Rhetorica ademeris. Inter multa enim, quæ me moverunt, hoc erat unum, quod scribis, eum juvandarum Evangelii partium diversam à nobis iniisse rationem. Hoc enim quid aliud est, quam tuam aut nostram rationem damnabilem esse: cum necesse sit, ministerium spiritus sibi ipsi quam minime pugnare? Paulus enim iisdem vestigiis incedentem Timotheum Corinthiis commendat. Atque ego quidem pro meo in Te candore verbum hoc diversitatis tuæ aliqua ἐπιεικείᾳ leniissem, nisi tu ipse tuus interpres sic coegisses intelligendum, Evangelium tunc promoveri, si Principibus conniveatur, parcatur, eorum facta excusentur, &, ut tua verba sonant, ne procaces ad pugnam provocemus. Hæc tua ratio est, quæ juxta nostram rationem pulcra adulatio, & veritatis Christianæ abnegatio est, & ipsissima προσωποληψία, quam scriptura sic detestantur ut nihil vehementius. Ego nec inimicis optarim hunc amicum probari, & tantum abest, ut optem hac tua ratione juvari Evangelium, ut nihil vehementius deprecer. Et faxit Christus, non, ut nihil promoveas, sed ut servet te nobiscum, ne noceas. Mansuetudinem & benignitatem Christianam exigis, sed quid Christianis & adulatori? Res aperta est, & simplicissima, Christianismus, rem sicut habet, cognoscit, ita fatetur. Male valere volunt etiam Gentiles eos amicos, qui vitiis amicorum blandiuntur; & veritas Christi vitiis & impietati simul blandiri poterit? Nos autem nostram quoque rationem exponemus, & cum fiducia sub judicium tuum, & totius orbis*

(a) vid. LUTHERI Epist. Tom. II. p. 37. Cf. SCULTET. ad A. 1522. p. 112, 113, 114.

bis proponemus, nihil veriti, quod scribis, offendi vulgi judicium mordacitate. Quem autem non offendebat Christus, aut quem non arguebat? Et si spiritus veritatis arguit, non blanditur. Arguit vero non aliquos, sed totum mundum. Igitur nos sic sapimus, omnia prorsus esse reprehendenda, arguenda, confundenda, nihil parcendum, nihil conivendum, nihil excusandum, ut medio stet campo libera, & aperta, & pura veritas. Porro aliud est, eos, quos corripueris summa mansuetudine suscipere, tolerare, juvare. Hoc jam ad charitatis & officii exemplum pertinet, non ad ministerium verbi. Nam & Christus cum acerrime omnes argueret, tamen optat gallina illis esse, & sub alis illos colligere: Charitas est, quæ omnia sustinet, omnia suffert, omnia sperat. Fides verò, seu verbum prorsus nihil sustinet, sed arguit, devorat, seu ut Jeremias dicit, evellit, destruit, & dissipat. Et maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Aliud est, inquam, mi Fabriti, vitium laudare vel extenuare: & aliud, benigne & suaviter curare. Primum enim dicendum est, quid rectum & non rectum erit: deinde ubi id auditor susceperit, tolerandus, & ut Paulus ait, infirmus fide suscipiendus. Tua verò ratio id efficit, ut nunquam veritas cognoscatur, & tamen interim blanditiâ & fictâ humanitate præsumatur vitium sanari.

§. XXIV. Jam igitur, publica auctoritate cum proscriptus esset Lutherus, quomodo tamen Evangelium proscribi non potuerit est pervidendum: De ipsa proscriptione (a) Cæsarea diversa diversorum (ut fieri solet) erant judicia: aliis zelum Caroli collaudantibus: aliis Propheticum illud identidem ingeminantibus: *væ terræ, cujus Rex puer est.* ERASMUS quid de bulla Papæ & Cæsaris proscriptione senserit, epistola ipsius ad Georgium Saxoniæ Ducem d. III. Septemb. 1522. data docet: in qua hæc leguntur: (b) *Semper in hac fui sententia: tragœdiam hanc nulla ratione melius consopiri posse, quam silentio. Idem sentiunt, qui sunt inter Cardinales & magnates cordatissimi. Prodiit sævissima bulla à Pontifice. Nihil aliud quam exacerbavit incendium. Sequutum est etiam sævius Cæsaris edictum, qui totus in hanc rem propensus est. Ea res linguas quorundam & calamos coercet,*

(a) Conf. COCHLÆUS in Vita Lutheri & ex eo SCULTET. p. 75.
(b) vid. ERASMI Epistolar. Tom. I. p. 732.

cet, at non mutat animos. Laudatur quidem pius Cæsaris animus: sed judicium hujus rei adscribunt iis, quibus eruditi non multum tribuunt.

Erant qui dicerent: edictum Wormatiense plus profuisse Cæsari, quam nocuisse Luthero. Nam ut edictum illud Papam Cæsari, à Gallo alienatum, ita Luthero multorum hominum corda conciliavit.

Quidquid sit, quanquam illa Wormatiensis contigisset proscriptio, tamen quod Cæsar propter negotia sua expedienda, & sedandas in Hispania obortas seditiones, Germania excedere debebat, factum est ut illa non nisi lentè exsecutioni daretur, ut si Cæsaris terras (a) hæreditarias velimus eximere, atque Georgii Saxonis, Evangelio (b) admodum inimici, ditiones, fermè nihil eâ ad supprimendam veritatem, provido Dei consilio fuerit effectum. Ecclesiæ saltem variis in *Germania* locis ab hoc ipso tempore, contrà quam Cæsar & Papa existimarant, sunt cœptæ reformari. Certè in *Saxonia Electorali* liberius jam concionari, scriptis Lutheri ad Lectionem Biblicam incitati, inchoabant Theologi, sed ringentibus Episcopis, Misnensi præcipuè atque Merseburgensi, potissimum verò hoc, qui erat *Adolphus* ex Anhaltinorum Principum familia natus, quem Lutherus *Sancticulum Episcopum* vocat *superbissima & avarissima humilitatis*, (c) cunctantibus etiam ex clero & magistratibus, quibus periculum ho-

(a) Certè præter ea quæ in Belgio sunt gesta, quæque deinceps commemorabuntur, ipse Carolus V. ad Viennensem Universitatem hoc anno 1521. mense Novembri rescriptum dedit exprobratorium, quod ea exsecutionem Bullæ Pontificiæ hucusque suspendisset, atque jussit, ut pareant, & libros Lutheri publicè comburant. Quod edictum extat, cum præfatione *Hier. Emseri* ad Doctorem Udalricum Rulein de calvo civitatis Friburgensis Physicum. Legitur quoque in Operibus Lutheri Tom. 1. Altenb. fol. 924. b. add. SECKENDORF. p. 190. a.

(b) De His *Georgii* conaminibus veritati infestis, conf. SECKENDORF. pag. 177. qui simul *Lutheri* ea de re ad *Wenc. Linccum* Epistolam exhibet, in qua is inter alia: *Res seria est*, inquit, *quæ instat, & stolidum caput illud Dresdense nihil curat populorum causam, modo suas insanias & vetera odia impleat...... Non Luthero sed ipsis instat perditio, quam moliuntur, tantum abest ut eos timeam. Hæc certe in spiritu loqui me arbitror.*

(c) Lutheri Ep. L. 1. ep. 217.

honorum opumque ex Cæsarei Edicti rigore non videbatur spernendum; Adeò ut ipsa plebs fere puriori tum adhæserit Religioni.

Magnum verò inprimis ad mutationem sub hujus ipsius anni finem gradum fecerunt *Augustiniani* WITTENBERGENSES, (a) qui Solitarias Missas intermiserunt, confessionem auricularem aboleverunt, è templo imagines removerunt, & morem, sacram eucharistiam in os ingerendi abrogarunt; LUTHERUS, ut & vacillantes erigeret, & peritiores confirmaret, confecit illis in Pathmo librum *de abroganda Missa privata*, (b) magnoperè hortatus, ut in eo proposito perseverarent:

Quo cognito, FRIDERICUS (b) admodum sollicitus, ne turbas

(a) SECKENDORF p. 178. b.

(b) Est is libellus Lutheri *de Abusu Missarum*, *vom misbrauch der Meßen* Germanicus, quem A. 1521. die Catharinæ id est d. xxv. Novembris, ex eremo conscripsit, atque Augustinianis fratribus Wittebergensibus dedicavit: quam dedicationem ita inchoat: *Es ist mir mundlich und schriftlich kund worden, lieben brüder, daſs ihr für allen die ersten seyd, die in ihrer sammlung den miſsbrauch der messen habt angefangen abzuthun: Und wiewohl michs hoch erfreuet hat, als ein werk davon ich spühre, daſs das wort Christi in euch wirket, und es umsonst nicht empfangen habt. Idoch hab ich daneben aus Christlicher liebe die nichts unterläst, große sorg daſs ihr nicht alle gleicher beständigkeit, und gutes gewißen, ein solch groſs merklich ding habt angefangen.* Mererentur multa ex hoc libello adscribi, nisi temporis & chartæ ratio esset habenda, ita tamen, ut pauca quædam negligi non possint, propter recentiorum temporum quosdam, qui, nescio quod dirum & horribile carmen, adversus Missam, solos cecinisse *Heidelbergenses*, in *Catechesi Archi-Palatina* quæst. LXXX. ad invidiam ipsis creandum ingeminant, cum tamen, ut cætera prætereamus, nil quicquam hi pronunciaverint *in Missam* aliud, quam quod totidem verbis in hoc quoque libello jam pronuntiavit LUTHERUS; Huc certè pertinet, quod lit. B. 2. legitur: *drumm schlies ich das meſs halten, als ein opfer, und schmyrte beschorne Priester, wie itzt der brauch ist, nichts anders is denn Christum lestern, und verleucken, aufheben und wecknemen seyn Priestertbum, und alles seyn gesetz.* deinceps B. 3. *darum mögen die tollen Sophisten und Papisten eyns, wilchs sie wollen, erwehlen, laſs sie bewehren ihr Priestertbum mit der Schrift, odder bekennen, daſs sie nichts dan Teufels larven und verdamte götzen sindt.* Porrò C. 1. *die Papisten sollen eigentlich wissen das sie erger abgotterey mit iren messen thun, denn die Juden und*

bas ea res, ac majorem aliquem motum excitaret (a), totius Academiæ sententiam exquiri, & ad se referri jubet; Academia quatuor ad eam rem deligit, *Justum* JONAM, *Philippum* MELANCHTONEM, *Nicolaum* AMSTORFFIUM, *Joannem* DULCIUM. *Hi* cum Augustinianis collocuti, quid ipsorum esset propositi, renunciant, & simul, quanta cœnæ Domini fieret injuria, demonstrant. Itaque Principem orant, ut tantam impietatem non uno solum in templo, sed *omnibus in locis* aboleat, & verum usum cœnæ, juxta Christi mandatum & morem apostolorum instituat, & adversariorum contumelias omneis fortiter contemnat: sic enim esse comparatum, ut qui veram Evangelii doctrinam suscipit propugnandam, hunc oporteat multa perpeti: magnopere ei providendum esse, ut hoc præsentissimum Dei donum, quo præcipue sit ornatus, propter excitatam in ipsius populo evangelii lucem, reverenter agnoscat. Ad ea FRIDERICUS, nihil omnino se, quod ad pietatem pertineat, prætermissurum: sed quoniam res admodum sit ardua, sibi videri, non esse properandum, & per ipsos, qui pauci admodum sint, vix aliquid posse perfici. Quod si Scripturæ testimoniis causa nitatur, fore ut complures accedant, & tunc mutationem illam, quæ pia videbitur atque necessaria, multo posse commodius fieri: se, qui Scripturæ sit imperitus, ignorare, quando ritus ille Missarum usitatus, quem ipsi damnent, sit introductus, & quando ille, quem Apostoli dicuntur observasse, in desuetudinem venerit: plæraque omnia templa & ecclesiasticorum esse collegia propter Missas instituta, maximis ad eam rem collatis facultatibus: quod si nunc aboleatur Missa, fore, ut possessoribus auferantur ea bona, quæ Missarum nomine donata sint olim: quanta verò sit ex eo futura perturbatio, quemvis intelligere, & quoniam ad se totam actionem rejecerint, suum esse consilium, ut cum

und Heyden thun odder gethan haben C. 4. *des Pabsts priester, seyne gesetz, seyne werk sind nichts, denn eytel lügen des Teuffels.* Item: *Ich halte es mit einem iglichen frommen Christen, das die Bebstisch Priesterthum und Messopfern gewisslich des Teuffels werk sey.* Alia quædam ex hoc libello attulit Ill. SECKENDORFIUS apud ipsum p. 215. legenda.

(b) v. SLEIDAN. l. III. p. 40. a. & SECKENDORF. fol. 214, 215, 216.

cum reliquis Academiæ viris bonis atque doctis re communicata, negocium moderate tractent, & rationes excogitent ad pietatem & tranquillitatem retinendam idoneas. Delecti habita rursus deliberatione respondent, & sicut antea, *monent, ut abrogari Missam jubeat:* posse id fieri sine tumultu, & ut non possit, tamen quod rectum sit atque pium, non idcirco prætermitti oportere: quod numero superentur, nihil esse novi: semper inde à condito mundo majorem hominum partem restitisse veræ doctrinæ: fore etiam, ut hunc cœnæ Domini rectum usum ii solum recipiant & approbent, quibus sit datum divinitus: collegia quondam instituta, non propter Missas, verum ut juventus ad pietatem in iis erudiretur, & possessiones illas fuisse donatas in eorum, qui docerent simul & discerent, & in pauperum etiam usus: & hunc quidem morem ad Bernardi prope durasse tempora: verum annis *ab hinc* circiter *quadringentis*, natam esse *Missarum* illam *nundinationem*, quæ sit omnino tollenda: quod etiamsi vetustiorem haberet originem ista prophanatio, tamen idcirco non esse tolerandam: &, si forte motus ex ea mutatione nascantur, id non esse doctrinæ, sed adversariorum nequitiæ tribuendum, qui sui emolumenti causa, veritatem contra conscientiam oppugnent: ad hoc verò genus incommoda non esse respiciendum, sed progrediendum constanter, quomodocunque tandem tumultuetur mundus: hæc enim omnia fuisse jam olim à Christo pronunciata.

§. XXV. Inter reliquas autem Saxoniæ urbes ZWICCAVIA (quam Cygneam vocant) jam ab initio Evangelicæ veritatis sed occultè fovebat Doctores; Inter hos erat *Fridericus* MECUM sive MYCONIUS, (a) Liechtenfelsæ in Franconia natus, Annæberga, ubi in monasterio à Georgio Duce noviter extructo Franciscanum induerat cucullum, pulsus, celebris postea Gothæ in Thuringis Ecclesiastes, & Luthero conjunctissimus, aliique. Sed hoc anno pastorem accepit ex vicino Schneebergæ oppido, sive Nivemonte, virum Luthero carissimum, *Nicolaum Hausmannum*

(a) Hujus memorabile *Somnium* jam in *Introd. nostr.* §. XXXI. p. 54. & in Docum. n. IV. p. 29 sq. relatum est.

num de quo dicere solebat: *Quod nos docemus, ille vivit.* Huic consulenti, (a) an oblatum Pastoris munus accipere deberet, mense Martio responderat inter alia Lutherus: (b) *Si pasturam assumis, Papa & Episcoporum hostem te facies, illorum decretis repugnans, si repugnaveris, Christi hostis eris. Non stat Christi fides cum illorum laqueis & fallaciis.* Quæ quomodo verificata fuerint eodem adhuc anno, colligitur ex Epistola Hausmanni (c) ad Nicolaum Tilomannum data, in qua is de Papæ & Episcoporum insolentiis conqueritur: Eodem tamen tempore etiam Anabaptisticæ sectæ primordia Zwiccaviæ jacta fuerunt, uti deinceps narrabitur. (d)

FRIBERGÆ, quæ celebris Misniæ urbs est, argentifodinis & sepulcris Principum clarissima, *Henricus* Saxoniæ Dux imperabat, ad exiguam provinciæ portionem à Georgio Fratre primogenito ex paterni testamenti dispositione redactus. (e) Is Lutheri doctrinæ favebat, atque ut Lutherus ad se scriberet, ab ipso (f) petebat, bullamque Pontificiam detestabatur, sed ob metum tamen Georgii, publicato postea edicto Wormatiensi ulterius progressus non est.

Cæterum *Vinarienses* Monachi impiam ad Fridericum Saxonem in causa Lutheri Epistolam scripserunt, eundem hæreseos (g) incusantes, atque pestiferam doctrinam, adversus quam invigilare quemvis oporteat, in primis Principem, ei adscribentes.

§. XXVI. ERFURTI jubar Evangelicum hoc ipso anno (h) exortum est. Hi enim, visa Lutheri in itinere Wormatiensi constan-

(a) SECKENDORF. p. 178.
(b) LUTHERI Ep. T. 1. Ep. 222. p. 315.
(c) Eam KAPPIUS inseruit *Spicilegio suo* Part. II. p. 468. sqq. ubi simul observat quam in *Relat. Innocuis* sive in *Continuat.* earund. ad A. 1721. p. 1022. de *Hausmanno* hoc, plura reperiantur, uti *Ejus* Epistola ad *Stephanum Rhotium* legitur inserta A. 1727. p. 10.
(d) conf. SECKENDORF. p. 180.
(e) SECKENDORF. p. 178. 181. 182.
(f) Quod & Lutherus factum à se refert. Epist. Lib. Ep. 219.
(g) Hanc Doctiss. KAPPIUS inseruit *Spicilegio suo* P. II. p. 472. sq.
(h) SCULTET. p. 80.

ſtantia, atque audita ejus concione in æde Michaelitana, Dominica quaſimodogeniti, de verbis Chriſti, *Pax vobis*, ejus Doctrinæ adſentiebantur, uti in Academia *Eobanus* HESSUS, Francobergæ in Marpurgenſi diſtrictu natus, tanto cum applauſu legens ut ſæpe quingentos haberet auditores, eidem favebat, & *Joachimus* CAMERARIUS Bambergenſis, qui Græca ibi docebat, in Eccleſia autem *Joh.* LANGUS prior Auguſtinianorum eandem profitebatur. Sed facta eſt paulo poſt vis in ſacerdotum domos, quod Lutherus valdè improbat epiſtolâ ad Melanchtonem ſcriptâ. (a) Quidquid ſit, erant ejus Urbis Miniſtri, qui publicè Evangelicam Doctrinam prædicabant, quique ab ipſo magiſtratu adhuc Pontificio tolerabantur, & defendebantur, varii, quorum tamen quidam vel plebis vel clericorum clandeſtinum ſed internecinum experti ſunt odium: Concionati enim ſunt (uti ex archivis Scultetus (b) docet) præter Langum qui in æde S. Michælis ceperat, *Johannes Culſchamerus*, qui acerrimum adverſarium in *Bartolomæo Uſingio* habuit, amico olim tum verò hoſte Lutheri infenſiſſimo, quemque in ſuggeſtu veneno illito extinctum eſſe refert Scultetus, *Georgius Forchemius*, qui itidem propinato ſibi à Pontificiis veneno obiit (c) *Petrus Geltnerus*, Bambergenſis, *Ægidius Mechlerus*, & *Conradus Klingius*, Franciſcani, *Antonius Muſa*, *Johannes Rotelſtein* Dominicanus, *Nicolaus Fabri*, Auguſtinianus, *Chilianus* quidam ex regularibus Auguſtini, *Melchior Wedman* & *Juſtus Menius* paſtor ad D. Thomam. Papiſtici Doctores, quod Evangelicos hos odio Cainico fuerint proſecuti, partim ex modò dictis collucеſcit exemplis, partim ex eo, quod promotionem Magiſtrorum ſuſpenderunt, ne Lutheranorum filii gradu Magiſterii ornarentur. Crevit autem

(a) v. Luth. Ep. T. 1. ep. 230. p. 329.
(b) SCULTET. p. 80. 81.
(c) conf. LUTH. Ep. ad Jo. Langum d. XVI. Jul. 1522. Tom. II. p. 86. b. ubi ita: „ Forchemio & faveo & invideo hunc receſſum, imò „ vobis condoleo. Si veneficiis interemtus eſt, nec accuſatore nec ex„ ploratore opus eſt, Ipſe Chriſtus pro Habelo ſuo loquetur, & ſuo tem„ pore prodet Cain, juſtius & oportunius quam vos poſſitis, Patiamur „ iſta. „

tem brevi tantopere Evangelicorum ibi numerus, ut A. 1523. octo jam templa illis vix sufficerent.

In Urbe HALBERSTADIENSI (a) sinceriorem Evangelii Doctrinam primi tradiderunt Joannes *Wesselius* Brunsvicensis, & Henricus *Gebhardus* Helmstadiensis, ad S. Martinum. Quibus per Canonicos ejectis, duo Doctores Theologiæ, Eberhardus *Widensee*, Præpositus D. Joannis & *Valentinus Musteus* Carmelita, pro concione, & Widenseus etiam in schola sui Monasterii, purius docebant. Et in senatu Henricus Scriba Cos. plurimum suâ auctoritate Evangelium adjuvabat. Hunc Prætor urbis, & Capitaneus Episcopi, captum in salinas ducunt, ubi capitis damnatus ægre tandem se pecuniâ redemit D. Valentino Musteo, instinctu suffraganei & Capituli oppresso noctu & ligato virilitas excisa est: qui, sanato vulnere, Wittembergam profectus, in ea vicinia, Lutheri commendatione, functionem accepit. Eberhardus etiam ab Episcopo ad carcerem perpetuum damnatur. Sed in itinere noctu elapsus ea custodiâ, Magdeburgum pervenit, ubi ad S. Jacobum pastor factus, fideliter propagationem Evangelii adjuvit: donec ab optimo Principe, *Christiano*, postea Daniæ Rege, in Holsatiam vocaretur. Halberstadii interea Henricus *Winkelius*, & postea Joannes *Wimmenstedius* usque ad ann. 1529. inter varias persequutiones Ecclesiam puriorem plantarunt.

GOSLARIÆ (urbs est Imperialis in Saxonia) primus hoc anno purius Evangelium docere cœpit *Joannes Kleppius*, vicarius in æde S. Jacobi, à quo tamen vicariatu à Joh. Hardt remotus, in suburbio in templo ad S. sepulcrum, (b) liberius Evangelium annunciavit, adeò ut templum vix auditores caperet; Huic verò cum Senatus à Clero instigatus atque Cæsaris indignationem reveritus, non sine insigni novelli cœtus dolore indixisset silentium, prodiit *Theodoricus* quidam *Smedeken* (vel Schmidelinus) Goslariensis, Hardti Capellanus, & sub dio, in loco, quem vocant *den Lindenplan*, maximo hominum concursu (qui

(a) SCULTETUS p. 81, 82. ex CHYTRÆO Lib 1. fol. 249.
(b) vid *Chronicon Goslariense* ante aliquot annos editum & HEINECCII *Antiquitates Goslarienses* fol. 436.

(qui vulgo *die lindenbrüder* dicebantur) docuit, ad docendum tamen quam ad patiendum proclivior, unde captus à Senatu, & Episcopo Hildesiensi missus, diuturniore carceris & vinculorum molestia fractus, turpem palinodiam (a) cecinit d. VI. Octobris 1523. Iterum itaque à civibus in publicum protrusus est (b) *Joannes Cleppius*, & in æde D. Jacobi docuit ad Ann. 1524. quo Senatus permissu in illa ipsa æde *Joannes Wesselus* Halberstadio pulsus, Vir Doctus & eloquens Evangelium liberè profiteri, & Sacramenta secundum Christi institutionem sub utraque specie ad ministrare cœpit (c)

§. XXVII. Apud HAMBURGENSES hoc anno M. *Ordo Stifelius* vel ut alii *Stemmelius*, pastor ad S. Catharinam, & vicarius ad templum cathedrale, primus omnium Indulgentias vellicare atque vanitatis arguere, fidem Justificantem hominibus commendare, deque legitimo clavium usu, earundemque Pontificio abusu disserere cœpit, simul impiam quam sacri ordinis viri dicebant vitam (d) acriter taxare, ac doctrinam sanctiorem, nullis admixtis fabularum & traditionum humanarum quisquiliis, ad verbi divini trutinam examinare (e) atque pro concione proponere ausus est. Verùm quoniam ætate confectus, & adversariorum furori reprimendo impar erat, haud ita multò post à concionibus habendis planè abstinuit, atque cumprimis exacto biennio, *Stephano Kempio* qui A. 1523. Rostochio Hamburgum advenerat Ecclesiam erudiendam reliquit, qui ipse KEMPIUS brevem Reformationis Ecclesiæ Hamburgensis Historiam conscripsit, in MSS. quæ asservatur. (f)

Quid? quod ipsi etiam WORMATIENSES, eandem Lutheri in Comitiis Imperii constantiam intuiti, neque horribili Cæsaris

(a) Hujus ejurationis formula extat apud HEINECC. l. c. p. 439.
(b) SCULTETUS p. 81.
(c) HEINECC. l. c. p. 440.
(d) Sunt verba *Arnold Grevii* in vita *Joh. Æpini* p 14. 15, 16. Cf. SCULTET. p. 83.
(e) Certe Lutherus A. 1522. Jam ita ad Wencesl. Linceum: *Hamburgenses quoque verbum Dei quærunt, expulso officiali* (Archiepiscopi scilicet Bremensis) *cum suis, qui id prohibere tentarat.*
(f) SAGITTAR. Introd. in Hist. Eccles. T. 1. p. 534.

edicto territi, concionatores Evangelicos ad se vocarint, quibus, cum aditus ad Pontificiorum templa intercluderetur, hi portatilem suggestum confici curant, & ad audiendum Dei verbum in aliis atque aliis urbis locis conveniunt: Quod ubi Lutherus rescivit (a) A. 1523. scripta ad ipsos epistola consolatoria d. 24. Augusti, mirifice bonorum zelum confirmavit. Anno autem 1525. Pontificii metu rusticani belli perterrefacti, liberum Evangelicæ Religionis exercitium in omnibus urbis templis civibus permiserunt.

ULMÆ, quo pacto jam tum Evangelii lux plurimorum perstrinxerit oculos, ex *Wolfgangi* RYCHARDI Epistola A. 1521. data ad *Christophorum Hegendorfinum* apparet, ubi inter alia: (b) „ Tota Suevia Lutherum Evangelii tympanotribam, & syncera fontanalia celebrantem admiratur & succollat: ejusque nomine nihil spectatius apud nos emergit. Est autem olidus hirquitalus quidam Luthero Zoilus psoram suam scalpens: &c. &c.

Nam & in urbe ARGENTORATENSI *Mathias* ZELLIUS, Keisersbergæ natus, magna cum libertate jam tum Pontificis authoritatem (c) ausus fuit contemnere & doctrinam populo Argentinensi explicare Domini nostri Jesu Christi, uti cum eo paria faciebat *Symphorianus*, Presbyter ætate gandis, pastor in æde Martini. Is enim ex primis fuit, qui doctrinam Evangelii amplexus est, non absque multorum, propter vitæ mutationem admiratione, ita ut quibus primis annis fuerat familiaris, ad se plerosque attraxerit, quos hujus exemplo motos, pœnitere vitæ anteactæ statim cœperat. Ipse saltem Zellius, in Apologia adversus Fiscalis Episcopalis accusationes A. 1523. edita, cum edictum Wormatiense objiceretur, exemplo totius Germaniæ se defendit, *in qua non obstante edicto, nullam urbem, nullum oppidum, cœtum, monasterium, Academiam, capitulum, imò nullam fa-*

(a) v. SCULTET. p. 80. vid. LUTHERI Opp. Alt. Tom II. fol. 358.
(b) v. SCHELHORN Amœnit literar. T. II. p. 509. ubi hæc ipsa Rychardi Epistola tota exhibetur:
(c) vid. *Joh.* STURM. Antipapp. IV. P. I. p. 1, 2. & Introd. nostr. §. XLIX. p. 102. not. (a)
(b) STURM. l. c. p. 7.

familiam nec domum esse asseverat, in qua non sint, qui Lutheri, quam vocant, sectam profiteantur:

Intereà, populares hi magis concionatores erant, quam literati, sed insignis in Mathia probitas: atque his sese paulo post applicabat *Antonius Firnius*, pastor tum ad D. Thomam, qui primus in urbe hac sacerdos uxorem duxit.

§. XXVIII. Sed & in VALLE JOACHIMICA, quæ urbs est *Bohemiæ*, qua *Misnia* adjacet, Schlickiis Comitibus tunc subjecta, hoc anno Scholæ Rector *Philippus Eberbachius*, ad utriusque sexus homines conciones Evangelicas (a) habere cœpit.

In *Pomerania* autem Treptoviæ *Johannes* BUGENHAGIUS, & *Andreas* CNOPHIUS (b) scholam celebrem regentes tanto applausu docebant, ut ex Livonia aliisque remotis locis concursus scholasticorum eò fieret. Allatum A. 1520. Lutheri librum *de Captivitate Babylonica* Bugenhagius primò ut hæreticum exsecratus, (c) paulo post secunda cura perlegens, ita probavit, ut universum mundum cæcutire, solum & unicum Lutherum vera videre profiteretur. Sententiæ ejus, Abbas loci & quidam Ecclesiastæ accesserant; sed orto à petulanti plebe adversus Monachos Antonianos cum tintinnabulis & porcis pro more discurrentes, tumultu, secuta est ab Episcopo Caminensi *Erasmo* ex nobili *Manteufeliorum* familia, atrox persecutio, quam evitans Bugenhagius vere hujus anni 1521. Witebergam venit, antequam Lutherus Wormatiam iret, & postea Pastor urbicus factus est. Intereà tamen hac ipsa data persecutionis occasione, ex collegio sacerdotum Treptoviensi, purioris Evangelii doctrinæ semina in *Livoniam* quoque & alias gentes spargi cœperunt; Ipse enim *Andreas Cnophius* Treptovia ejectus in Livoniæ urbibus primariis *Revalia*, *Riga* & *Torpato* Evangelium purius annunciavit, qua de re deinceps agendi dabitur occasio.

FRANCOFURTI verò *ad Mœnum* quod hoc ipso tempore per Gu-

(a) v. SCULTET. p. 83. ex Chronico vallis Joachimicæ.
(b) vid. SECKENDORF p. 179.
(c) vid. *Introduct. nostr.* §. CIII. p. 246.

Gulielmum Nesenum (a) Virum Doctissimum, quique singularem Patriciorum Scholam ibi erexerat, Evangelii purioris principia fuerint animis instillata docemur, quæ anno sequenti, per *Hartmannum Ilbachium* exulem Christi in cœnobio S. Catharinæ, majora ceperunt incrementa, curantibus *Amando ab Holtzhausen*,

(a) Erat *Gulielmus* NESENUS, Vir Doctissimus & Desiderii Erasmi amicus singularis: Jam A. 1515. de eo B. RHENANUS Basilea scribebat ad Erasmum, hunc in modum: *Seneca belle procedit.... Nesenus est admodum in recognoscendo diligens atque utinam in restituendo tam essem ego felix quam hic in olfaciundis erratis non est naris obesæ.* v. ERASM. Ep. T. II. p 1537 & deinceps. *Nesenus te salutat, qui cuperet tam esse vicinus metæ, quam est à carceribus parum progressus adhuc.* A. 1516. ERASMUS ipse ad Gul Budæum: *Est Basileæ* scribit, *Gulielmus Nesenus, optimarum literarum ardentissimus consectator mihi sic unice deditus, ut Pyladem meum appellare jure optimo possim.* v. Erasm Ep. T. I. p. 184. Is cum aliquantisper studiorum causa versatus esset Parisiis, deinceps Lovanii bonas literas atque inprimis Geographiam docuit, quod ex quam variis Erasmi Epistolis addiscimus, & ex Thomæ Lupseti ad ipsum Nesenum Epistola A. 1520. ex collegio corporis Christi Oxoniensi data: ubi ita: *Illud maximopere abs te peto, Charissime Nesene per Sacra Musarum, quibus pariter sumus initiati, per jucundissimam vitæ consuetudinem, quam simul egimus Lutetiæ, ut persuadeas tuis Germanis, nullam esse gentem cui magis displiceat hoc Lei factum* (is adversus Erasmi N. T. calamum strinxerat) *quam Anglis.* conf. J. B RITTER *Evang. denkmahl der Stadt Frankfurt* p. 33. sq. Cæterum, is tædio stolidissimarum tragœdiarum quas Lovanii cum ipso egerant, quod is Pomponii Melæ Geographiam exponeret, atque elegantiora studia sectaretur, inde se recipere debuit, atque Francofurtum cum venisset, ibi Patriciorum quorundam liberis informandis operam dedit, ubi Lutherus eundem, quando is Wormatia redibat, salutavit, atque amicitiam cum eo erexit, quam & ad vitæ finem ipsi conservavit, unde & cum Nesenus jam A. 1523. Francofurto iterum abiisset, atque A. 1524. infelici casu, lintre, quo animi causa vehebatur, in Albi fluvio submersus esset, Lutherus eum acerbe deflevit, atque testatus est, *Dominum isto casu suam ecclesiam vehementer turbasse* vid. LUTHER. Epist. T. II. p. 220. veluti *Phil.* MELANCHTON ea de re ad Erasmum ita: *Nesenum hic amisimus hominem fidum & tui valdò amantem, quo casu vix aliud in vita mihi acerbius acoidit.* v. Erasm. Ep. T. I. p. 821. Nam & ceteroquin *Lutherus* A. 1523. cum Francofurti adhuc esset *Nesenus*, ipsi brevem illam dedicavit *invectivam in Johannem Cochlæum*, collegiatæ ecclesiæ Francofurtanæ ad B. Virginem tum Decanum, quæ reperitur in Ej. Operib. Jenens. Lat. T. II. fol. 562. sq.

sen, & *Johanne* (a) *Froschen*, Patriciis, Scabinis & Senatoribus, dictique Cœnobii patronis, connivente senatu.

§. XXIX. Parisiensibus autem Lutheri libros (b) damnantibus Melanchtonem scriptum opposuisse jam observavimus, in quo & eorum Epistolam præfixam & censuras refellit de libero arbitrio & de discrimine Legis & Evangelii &c. docetque recedere Sorbonam à Gersone pleno Christiani Spiritus, sequi natam Lutetiæ profanam Σχολαστικήν, qua admissa nil salvum reliquum sit Ecclesiæ, neque philosophari jam Sorbonam, sed nugari de parvis Logicalibus, nil nugacius esse Commentariis ipsorum in sententias Longobardi, in quibus multis paginis disputatur, *utrum ad equitandum requiratur equus, num salsum mare à Deo sit, conditum?* &sim. Esse equidem Lutetiæ, qui Luthero faveant, sed, & pauciores esse, & plurimum posse quos minimum oportuit. Sic ibidem cum Capnione causam per larvas septem, monachos scholasticos actam, ut non temerè dictum fuerit à quibusdam veteribus, *cerebro Gallos carere:* Summam controversiæ esse, quod ab Universitatibus, Patribus, Conciliis Lutherus discrepet, & Scripturæ sacræ inhæreat, nec in negato libero arbitrio ipsum tamen ab Augustino, Cypriano, doctioribusque recedere.

Hoc anno primus (c) Sacerdotum *Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius*, Præpositus in oppido Kemberg, prope Wittembergam, duxit uxorem, & facti sui rationem Archiepiscopo Magdeburgico primùm, deinde Electori Saxonico publicis literis reddidit, quæ Tomo secundo Operum Lutheri Lat. Jen. leguntur; Hunc sequuti sunt, *Justus Jonas*, Præpositus Witte-

 ber-

(a) SCULTET. Annal. p. 121. & RITTER lib. c.

(b) vid. SCULTET p. 94. Erat ejus scripti titulus erat: *Apologia adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum:*

(c) SCULTET. l. c. conferri debent quæ ea de re & cumprimis de Lutheri circa nuptias Cleri sententia primùm dubia, deinde magis determinata annotavit SECKENDORFIUS L. 1 §. CIV. p. 170. 1. Cæterùm notari debet, quod diem XXIV. Augusti quo *Velcurio* nuptias primùm contraxit, deinceps *diem liberationis pastorum* nuncupaverint quidam Theologi. conf. HANII diss. de Clerogamia restituta §. IV. & V.

bergæ, *Joannes Bugenhagius*, *Andreas Carolostadius*, cui facetus quidam Morio, Epithalamii loco, ut opinor, scripsit novæ Missæ nuptialis formulam, multo sale respersam. (a)

§. XXX. Interea dum variis in locis propagatur Evangelium, moritur inopinata quidem, sed Evangelio non incommoda morte LEO X. d. IX. Decembris Anni 1521. quo casu festino prorsus atque non expectato perculsi Europæ Reges atque Principes de Novo in papali folio constituendo Præside cogitationes sibi ineundas esse potius ducebant, quam ut Lutheri causam rigide prosequerentur. In ejus locum verò d. IX. Januarii A. 1522. HADRIANUS Ultrajectinus cum sit electus, tum equidem res Evangelica per eum ita non promota fuit, (quippe quem electum fuisse, quidam referebant, ut *Doctis hereticis quos vocabant doctiorem opponerent Pontificem*) ut tamen etiam eo sedente non multum ea passa fuerit detrimenti: Uti certè laudem merebatur quod *Ecclesiam non modò quoad membra* (b) *sed quoad caput etiam Re-*

(a) Hanc cum inter reculas meas servem, eandem Lectori harum facetiarum cupido, communicabo, inter monumenta huic volumini subjuncta. num. VIII.

(b) Conf. Introduct. nostr. §. XVI. pag. 29. Extat verò Integra JOHANNIS LAUNOJI de Hadriano VI. P. R. Epistola ad Henricum Barillonium inter Epistolas Launoji. P. IV. Ep. 7. p. 340. sq. ubi præ reliquis tria annotat doctrinæ capita, quæ Hadrianus antehac jam docuerat, sed quæ in ipsa sede Papali locatus exemplo suo confirmavit I. *Clerico de bonis Ecclesiæ nihil præter victum & vestitum sibi sumendum esse.* II. *Non quamcunque dispensationem Apostolicam, de pluribus beneficiis Ecclesiasticis sibi vendicandis, dum nulla necessitas subsit, hominem coram Deo excusare.* III. *Curiæ Romanæ abusus & vitia esse corrigenda.* Cæterum, est memorabile, quod ipsi consultanti, qua ratione indulgentias, dispensationes, aliaque mala corrigeret, quò Lutheranis occasio tantopere Romanam Ecclesiam reprehendendi eximeretur, Studium Reformationis dissuaderet Franciscus Soderinus Volaterranus, Prænestinus Cardinalis, hisce verbis: „ Minimè „ esse sperandum, ut per emendationem morum curiæ Romanæ deleantur & exterminentur Lutherani: eam potius esse rationem augendæ ipsorum & existimationis & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ „ ex eventibus solet judicare, comperto semel ex emendatione cœpta pontificiam ecclesiæ gubernationem parte aliqua jure reprehensam, facile „ sibi persuasuram, non minus justas esse causas aliarum rerum proponendarum, quæ similem requirant emendationem.: ipsosque hæreseon autores,



HADRIANUS VI. PONTIFEX ROMANUS

Natus Trajecti ad Rhenum A. 1459. Electus Pontifex A. 1522. d. IX Januarii. Denatus A. 1523. d. IV Septembris.

Reformatione indigere non negaret: Cæterum is cum Imperii Principes Noribergæ conventum celebrarent, eò quoque suum misit legatum; Quin imò etiam d. v. Octobris per *Hieronymum Rorarium* è suis cubiculariis unum, qui ante legatum in Germaniam venit, ad *Fridericum* Saxonem dat literas hujus argumenti: „ Gratum sibi fuisse, quum de conventu Noribergæ audiret, „ gratissimum verò, cum ipsum eò quoque venturum accepis- „ set, spem enim esse magnam, (a) aliquid ibi decretum iri, „ quod ad reipublicæ salutem ac dignitatem pertineat: hanc eti- „ am esse causam, cur de consilio senatus cardinalium, legatio- „ nem in Germaniam decreverit: voluisse autem interea dum „ legatus ille ad viam sese compararet, hunc præmittere, cui „ mandarit, ut ipsum, quem valde semper dilexerit, adeat, „ suumque erga rempublicam studium ac voluntatem exponat, „ quemadmodum ex eo, qui subsequetur, legato, copiosius sit „ auditurus: hortatur autem & petit, ut ipse, qui sit Imperii „ princeps, cujus quidem in Imperii tutela versetur ecclesia Ro- „ mana, diligenter elaboret, ac in medium ea consulat, quæ ad „ dignitatem ecclesiæ Apostolicæ & ad publicam tranquillita-

 „ tem

„ res, in uno aliquo victoriæ compotes, nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. In cunctis rebus humanis usu venire, ut cui in „ aliqua postulatione satis est factum, is postulata postulatis accumulans, „ omnia impetrare cupiat, & suo sibi jure deberi credat. Historias veteres „ volventibus liquere, ex quo tempore natæ sunt hæreses, ecclesiæ Ro- „ manæ auctoritatem vellicantes, omnes corruptos curiæ mores conatibus „ suis obtendisse. Præterea neminem unquam pontificum reformandi vi- „ am quasi rebus suis utilem sequutum, sed adhibitis primum monitis & „ præceptionibus continuo principes ad ecclesiam protegendam accivisse & „ ferro ac armis pontificis hostes subegisse. Neque verò reformationem „ ullam posse institui, quæ obventiones ecclesiasticas non insigniter demi- „ nutum eat. Quarum cum quatuor sint fontes, unus *temporalis*, status „ ecclesiastici reditus ordinarii, alii *spirituales*, indulgentiæ, dispensationes „ & beneficiorum collationes; nullum horum posse occludi, quin dere- „ pente de censu ecclesiastico quarta pars decedat. „ Hadrianus ubi animo hæc perpenderet, dixit, *miseram esse pontificum conditionem, quos deficiat recte faciendi facultas, etiam cum maxime velint & nullo labori eo nomine parcant.* vid. *Paul.* SARP. Hist. Concil. Trid. Lib. I. pag. 21.

(a) SLEIDAN. Lib. III. fol. 44. b.

„ tem pertinebunt, in eóque majorum veſtigia ſequatur: & „ quoniam in cæteris ab ipſorum virtute non degenerarit, ſpe- „ rare ſe, ne hic quidem eſſe futurum ſui diſſimilem: Hiero- „ nymo etiam mandaſſe, de his rebus ut cum ipſo loquatur, cui „ & fidem haberi petit. „ Sed & ipſos Principes per Legatum ſuum, additaſque literas adverſus Lutherum incendit hunc in modum. (a) Inde ab eo tempore quo ſit ad Apoſtolatus officium delectus, nihil habuiſſe magis in votis, quam ut boni paſtoris partes modis omnibus impleret: nec ullam ſui gregis oviculam ſineret longius aberrare, quantum quidem omnino ſua vigilantia & ſollicitudine fieri poſſet: ejuſque ſtudii ſibi Deum eſſe teſtem, qui ſe nihil tale meritum, præter omnem ſuam expectationem ad hoc munus evexerit: ut autem facilius, quo cuperet, perveniri poſſet, vehementer hortatum eſſe reges omneis atque principes, ut à civilibus bellis abſtineant, & ſi bellum ſit omnino gerendum, ut vim omnem atque robur adverſum hoſtes fidei convertant: & quod aliis perſuadere ſit conatus, illud ſe præſtitiſſe: & Equitibus Rhodiis, quos Turcarum Cæſar dura nunc ſervitute premat, magnam pecuniæ vim ſubminiſtraſſe: deinde, ab externis periculis revocata cogitatione, cœpiſſe mala domeſtica circumſpicere, & quidem magno cum animi dolore audire, Martinum Lutherum, qui ſæpenumero leniter & paterne monitus, tandem, quum nullum ſupereſſet aliud remedium, damnatus ſit atque proſcriptus à plurimis academiis, à Leone pontifice, tum etiam à Cæſare, de communi ipſorum voluntate, non modo non coerceri, verum etiam multo vehementius quam antea, graſſari, & novos quotidie libros edere: quibus & religio Chriſtiana & vitæ honeſtas omnis enervetur: hoc etiam eo ſibi dolere magis, quod ex nobilitate complures ei favere, & nunc eouſque factam eſſe progreſſionem intelligat, ut Eccleſiaſticorum & dignitas per Germaniam imminuatur, & poſſeſſiones etiam in diſcrimen veniant, & civile ſit excitatum bellum inter nonnullos: vere quidem à Paulo dictum, oportere exiſtere hæreſes: nunc autem eum eſſe rerum ſtatum, ut importuniſſime hoc malum

(a) SLEIDAN. l. c. fol. 44. b. & 45. a.

lum acciderit: diabolum in hoc esse totum, ut nos plurimis calamitatibus involvat: ipso nimirum authore & Turcicum furorem in nos longe lateque grassari, & simul hæresim istam Lutheri, in Germaniam, fortissimam gentem, invectam esse: De Turcæ potentia neminem esse qui nesciat, quanta ea sit, & ut fortasse debellari possit, nihilo tamen melius habituras res nostras, quamdiu domesticus ille hostis non sit expugnatus: multa se, cum esset in Hispania, de falsis Lutheri dogmatis audisse: & quanquam sibi doleret, malum illud in ea regione natum videri, unde genus ipse duceret, duabus tamen rebus animum se confirmasse: primum, quod doctrinam illam adeo frivolam & impiam speraret è plærisque omnibus contemptum iri, deinde, quod existimaret, plantam illam pestiferam, aliunde allatam, non esse radices acturam in ea regione, quæ semper procreasset hæresium oppugnatores: quum autem longe diversum acciderit, sive justo Dei judicio, sive negligentia quadam, & eorum, qui mature consulere debebant, incuria, providendum ipsis esse magnopere, ne, dum lentius adhuc & remissius agunt, videantur & obliti esse pristinæ virtutis, & hoc tantum facinus approbare: vehementer autem esse indecorum, tam fortem & constantem populum, ab ea religione, quam Christus & Apostoli tradiderunt, quam tot martyres ac præclari viri, quam etiam majores nostri tenuerunt, deficere, authore & impulsore fraterculo, qui & ipse plurimis annis eam secutus sit atque professus: quasi verò tot nunc sæculis erratum sit, quasi Christus, qui se nobis adfuturum confirmarit in perpetuum, ecclesiam suam in tantis doctrinæ tenebris immorari permiserit, quasi ipse unus tantummodo sapiat, & in hoc sit excitatus à Deo, ut totius orbis errorem patefaciat: non dubium esse, quin viris prudentibus hæc admodum ridicula videantur, sed tamen esse popularia & ventosa, quique novis imperiis student, maximas inde occasiones audendi aliquid captare: An non videant quid illi spectent, & quorsum evadant? hoc solum agi, ut sub specie libertatis Christianæ, jus & æquum & leges omneis projiciant: quomodo enim civilem magistratum agnoscant & observent, qui sanctissimorum pontificum & conciliorum leges ignominiose tractare, imo

 flam-

flammis abolere non dubitent? certe, qui non sint veriti sacrilegium facere, qui res Deo consecratas impuris & cruentis manibus diripiant, eos tandem ab aliorum etiam facultatibus temperaturos quis credat? qui sacerdotes non ferire tantum sed & trucidare audeant, eosdem haud dubie cogitare & paratos etiam esse, violare quemcunque alium ordinem: fore tandem, ut in ipsos adeo principes eorumque liberos & uxores & familias & possessiones hæc tanta licentia scelerumque impunitas aliquando desinat: rogare igitur & hortari, sed & pro suo munere atque potestate quam habeat, tanquam Petri successor & Christi vicarius, postulare, ut omni deposita offensione & reconciliatis animis, incumbant diligenter, & ad commune illud atque domesticum incendium restinguendum accurrant, ut Lutherum videlicet piis rationibus ad sanitatem reducant, aut, si non possint, ut tum secuti leges ac recens illud Cæsaris Imperiique decretum, plectant: hoc enim pertinere non solum ad eluendam illam maculam, quæ nunc inhæreat Germaniæ, sed etiam ad plurimorum salutem, qui ex illius contagione multum accipiant incommodi: se quidem & natura & moribus & vitæ quodam instituto, magis ad clementiam, quam ad severitatem ullam inclinare: sed quoniam hic morbus non possit lenibus medicamentis curari, veniendum esse necessario ad vehementiora: ejus rei non unum extare testimonium & exemplum in scripturis, & majores ipsorum in concilio Constantiensi rationem hanc secutos, in Joannem Hussum & Hieronymum Pragensem, pro ipsorum merito vindicasse: quod si & ipsi hanc illorum imitentur virtutem, non defuturum esse Deum, & tunc etiam in majorem spem nos venire posse, depellendi à nobis Turcarum immanitatem: se quidem facultates omneis ac vitam quoque, pro salute sibi commissi gregis impensurum: cætera, quæ ad Lutherum pertineant, fore, ut ex legato suo *Francisco Cheregato*, episcopo Aprutiensi cognoscant, & orare, ut ei fidem habeant.

Enimverò ejusdem sententiæ literas tunc etiam dabat HADRIANUS ad quosdam privatim, &, ab *Argentinensi* quidem Senatu post multam doctrinæ Lutheri detestationem postulabat, ne quos illius aut sociorum libros evulgari permitterent, & jam excusos non

non modo supprimerent, verùm etiam flammis abolerent, audire enim ejus quidem generis libros ab ipsorum excudi typographis, contraria verò scripta repudiari; nisi pareant, vindictam & iram Dei denunciat; nam ut in antiqua (a) religione maximè permaneant, tamen nisi peccandi licentiam in aliis & erroris occasionem tollant, non esse, quod impunitatem sibi promittant.

Quid? quod & *Erasmum Roterodamum* hortaretur Hadrianus, ut contra Lutherum calamum (b) stringeret. Ne multa commemoremus alia, ejus infestum erga Lutherum & Doctrinæ Reformationem animum satis prodentia:

§. XXXI. Quidquid sit, Lutherum ita Deus in Pathmo animavit, ut nec Principis sui indignationem, nec Cæsaris proscriptionem, nec Norici conventus (c) edicta moratus, Wittebergam reverteretur. Epistola (d) qua Saxoniæ Electori reditum suum excusat, cum admirabilem fidei Lutheri πληροφορίαν, & pectus vera pietate ardens, & instinctu ac impetu plane divino, velut ἐνθουσιασμῷ, ad gloriam Dei, & Evangelii Christi propagationem inflammatum, & omnia pericula præ pietatis & Evangelii amore, magno & excelso animo contemnens, demonstret, digna esse visa est, quæ hic loci apponeretur. *De mea causa*, in-

(a) SLEIDAN. l. III. fol. 46. a.

(b) vid. ERASMI Epistolar. Epist 639. Tom. I. p. 736. D. E. ubi inter alia: *An igitur contra istorum insaniam stylum tuum convertere dubitabis, quos Deus jam à facie sua projecisse, & in reprobum sensum manifestò tradidisse conspicitur, ut dicerent, docerent, atque agerent, quæ non conveniunt &c.* conf. Ep. 648. p. 744.

(c) Cæsare enim absente resque tum Hispaniæ componente, tum bellum contrà Gallos movente, apud Germanos Norібergæ interim sedebat Imperii sic dictum Regimentum, à quo promulgatum d. XX Jan. h. a. edictum, contra profanatores S. Cœnæ, & communionem sub utraque usurpantes, itemque Clericos uxoratos, Lutheranorum in capita equidem cusum videbatur: quod ipsum tamen, cum executione iterum careret, præter Georgium Saxoniæ ducem patronum fere nullum inveniebat: cf. HANE Hist. Emend. Sacr. p. 52. & RECHENBERG. diss. *de Imperii sic dicto Regimento* diss. T. II. n. 14. p. 366. sq.

(d) SCULTET. Annal. p. 104, 105. sq. ex quo hæc depromta sunt omnia usque ad paragraphi hujus finem.

inquit, *C. V. novit, aut si ignorat, nunc cognoscat, me Evangelion non ab hominibus, sed tantum de cœlo por Dominum nostrum Jesum Christum habere: ita ut merito potuerim, (ut deinceps faciam) me Dei servum & Euangelistam profiteri. Quod autem ad causæ cognitionem me obtuli, & aliorum judiciis subjeci: id non, quod ego de mea doctrina quidquam dubitarem, sed modestiæ causa feci, ut alios in vitarem. Postquam verò video, nimiam modestiam meam vergere ad detrimentum Evangelii: & Satanam, cum vix palmum ei cedo, totum campum velle occupare: cogor, conscientia mea urgente, alias rationes inire. Satisfeci, ut spero, C. V. quod hoc anno cessi, tantum ut C. V. gratificarer. Nam Diabolus bene scit, non metu aut diffidentia hoc à me factum esse. Cum enim Wormatiam ingrederer, ita animo constitutus eram: ut etiamsi scivissem tot Diabolos, quot in omnibus ædium tectis tegulæ sunt, in me intentos collimare: tamen læto & alacri animo in medium eorum insiliissem.* Et postea. *Redeo Wittebergam munitus præsidio multo sublimiore & firmiore, quam ab Electore Saxoniæ mihi præstari possit. Neque in animum unquam induxi, a. C. V. defensionem petere. Imo judico C. V. plus a me præsidii & tutelæ habituram esse, quam mihi præstare. Præterea si scirem C. V. velle & posse me tueri, plane non redirem. Huic causæ nullus gladius consulere, aut opem ferre potest. Solum Deum hic gubernare & agere oportet sine ulla sollicitudine & auxilio humano. Itaque in hac causa, qui firmissime Deo fidit, is fortissime se & alios defendit. Cum igitur videam C. V. adhuc valde imbecilla fide præditam esse, nullo modo tantum tribuere C. V. possum, ut ab illa me defendi aut liberari ex periculis posse statuam. Ego C. V. animam, corpus, & fortunas, omnis damni & periculi expertes in hac mea causa servabo, sive id credat C. V. sive id non credat. Sciat etiam C. V. & nihil dubitet, longe aliter in cœlo quam Noribergæ de hoc negotio conclusum esse, videbimus enim, eos qui se jam putant Evangelion totum devorasse, & extinxisse, nondum Benedicite absolvisse. Longè alius & potentior Princeps est, quam Dux N. cum quo mihi negotium est. Is me, & ego ipsum mediocriter novi. Si crederet Illustrissima C. V. tum magnalia, & gloriam Dei videret. Cum autem nondum credat C. V. nihil etiam eorum vidit. Deo gloria & laus in æternum.*

Causas sui ad Wittembergenses reditus Lutherus ipse commemo-

morat. (a) *Vocatus sum*, inquit, *literis Ecclesiæ & populi Wittembergensis*: deinde, *me absente*, *Satanas irruit in gregem meum*, *& eas excitavit turbas*, *quæ præsentiam meam necessario requirunt*: præterea *se metuere, inquit, ne qua magna seditio in Germania oriatur, quam conjunctis cum Ecclesia precibus aut avertere, aut aliquandiu differre cupiat.* Ad Melanchtonem literis octava Epiphanii hujus anni scriptis, aliam causam narrat. (b) *Para mihi*, inquit, *hospitium*, *quia translatio* (Bibliorum) *me urgebit ad vos reverti*. Rediit autem Wittebergam feria quinta post *esto mihi* sexta Martii.

Absente Luthero in Pathmo, Theologi & Professores Wittembergenses, *Justus Jonas*, *Andreas Carolostadius*, *Philippus Melanchthon*, *Nicolaus Ambsdorfius*, *D. Schurffius*, *D. Dolcius*, Missam privatam abrogârant, idola removerant, cœnam sacram sub utráque specie celebrârant, confessionem auricularem, preces ad sanctos, discrimina ciborum, & id genus alia sustulerant. Lutherus domum reversus ilico scribit ad Spalatinum, &, quantopere sibi mutatio ista displiceat, ostendit. *Damnare se*, ait, *Missam Papistarum tanquam βδέλυγμα*, *imagines quæ colantur*, *leges deni-*

I *que*

(a) vid. Luth. Opp. Jenens. Tom. II. fol. 515, 516. Quando autem Lutherus *turbas* commemorat, quæ ejus præsentiam necessario requirebant, observandum est, indigitari *turbas*, quas dicunt, *Carolostadianas*; De his enim LUTHERUS in Epist. ad Guttelium Epistolar. Tom. II. p. 56. ita *At ille* (Carolostadius) *cupiebat fieri subitò novus Magister*, *& suas ordinationes in populo*, *pressa autoritate mea*, *erigere*. Quæ verba facile quemquam inducere possent, ut credat, ipsam Lutheri ambitionem, non equidem reditus ejus Wittebergensis, sed tamen ipsius illius contentionis cum Carolostadio deinceps susceptæ sacramentariæ, fuisse primam originem: Sed hunc jam offensionis lapidem non volvimus.

(b) Idem ferme in Ep. ad *Amsdorffium* refertur Tom. II. p. 45. „Vetus „ verò testamentum non potero attingere, nisi vobis præsentibus & coope- „ rantibus. Denique, si quo posset fieri, ut secretum cubile apud vestrûm „ aliquem haberem, mox venirem & vestro auxilio totum ab ini- „ tio transferrem, ut fieret translatio digna... Responde super hæc, quid „ sit spei. Non opto, ut totus & omnino lateam, cum hoc sit impossibi- „ le, sed ut sciatur, me velle latere, vel nesciatur, me velle apparere. „ Arbitror enim hac ratione satisfieri timidisque & malis, cum senserint, „ me latere velle. „

que Papa, de confessione auriculari, de jejuniis, festis, invocatione sanctorum: sed damnare hac omnia per verbum prædicatum, non abrogationem violentam. A Dominica deinde *Invocavit* usque ad *Reminiscere* singulis diebus singulas conciones habet: & quos anno superiori in libello *de abroganda Missa privata* ob abrogatam Missam collaudarat, eos publicè perstringit, usus inter alia his verbis: „ Quamobrem omnes illi errârunt, (a) qui operâ suâ, aut consilio Missarum abolitionem juverunt. Non „ quòd hoc impium fuerit patrare, sed quòd non recto ordine „ factum est. Tu quidem objicis, hoc rectum esse, ipsa Scriptura etiam patrocinante. Hoc sanè & ego fateor: at ubi interim ordo locum habet? Nam hæc ausu temerario & præcipiti „ citra omnem ordinem, atque cum proximi offendiculo acta sunt. „ Quod si non ita abominanda res esset Missa, rursus eam „ instituere vellem. Nam vestrum factum propugnare & excusare „ commodè non possum, coram Papa & inflatis illis turgidisque capitibus facilè quidem pro vobis causam dicerem; Sic enim istis dicere vellem: Quid scis, an hoc recto spiritu vel secus actum sit, „ quando opus per se bonum est? Atqui coràm Diabolo vos purgare non ita proclive mihi est. „ Concione secunda docet: impiam Missam non per bipennem, sed Evangelii prædicationem abrogandam, quemadmodum ipse Indulgentias everterit Verbo, quod *Verbum se dormiente aut cum Philippo suo atque Amsdorfio Zythum Wittembergicum bibente Papatum ita laborare fecerit, ut nullus unquam Principum* (b), *aut Cæsar ipse tantum ei derogaverit.* Concione quarta inter res liberi usus refert simulacra. Idola, si

(a) *Derhalben haben alle die geirret, die darzu geholffen und verwilliget haben, die Mess abzuthun, nicht, das es nicht gut gewest, sondern das es nicht ordentlich geschehen. Du sprichst: es ist recht, aus der Schrift: Ich bekenne es auch, wo bleibet aber die ordnung. Dann est ist in einen frevel geschehen, ohn alle Ordnung, mit ärgerniss des Nechsten. Und wenn es nicht so ein böss Ding wäere umb die Mess, wolte ich die wieder auffrichten. Dan ich weiss euer furhaben, kan aber dasselbige nicht vertheidigen, vor den Papisten und andern unsinnigen köpfen wüst ichs gleich wol zu vertheidigen, aber vor dem Teuffel wüst ichs nicht zu suchen.*

(b) Quis hic non miratur Lutheri Spiritum!

si quis ea adorare velit, (a) abolenda sunt: alioquin autem ferenda. Quanquam optarem, ex toto orbe ea esse profligata, propter eorum abusum, quem certè dissimulare non possumus. Et paulo post: *Quanquam verum sit, (b) & inficias ire nequeamus: idola noxia esse, quòd iis multi abutuntur, ob id tamen non licet nobis ea damnare. Nam multi sunt homines adeo vecordes, ut solem & stellas adorent; nosne igitur & hæc cælo dejiciemus?* (c)

§. XXXII. Non ita multò post Lutherus adversus *falsò nominatum ordinem Episcoporum* edidit librum, in quo graviter invehitur in Episcopos, quòd Evangelii doctrinam damnent, & persequantur, neque tamen toties ab ipso ad controversiarum disceptationem provocati, puram Evangelii doctrinam refutare, neque Pontificios errores defendere possint. Tyrannide nihil ipsos effecturos, neque se vel Papæ excommunicatione, vel Cæsaris proscriptione moveri, ut veritatis Evangelicæ professionem abjiciat, sed potius Evangelicam doctrinam (d) subinde latius in orbe terrarum propagaturum, idque tantò animosius, quantò ipsi magis sæviant, neque oppressum iri Evangelium, etiamsi ipsum occidant, Deum autem ipsos, si insanire perrexerint, gravissime puniturum. Hoc libro lecto, Episcopi, Abbates, Monachi, totaque (e) Procuratorum Antichristi multitudo, conspiratione facta, ab

 Ele-

(a) *Sie sollen abgestellet seyn, wan sie angebetet sollen werden, sonst nicht, wie wol ich wolte, sie wären in der gantzen welt abgethan von wegen des misbrauchs.*

(b) *Man kans nicht laugnen, dass die Bilder böse seyn, wegen ihres misbrauchs, noch haben wir sie nicht zu verwerffen. Dan es sind viel menschen, die die Sonn und sterne anbeten, wolten wir darumb zufahren, und die sternen vom Himmel werffen?*

(c) Sed hæc cum initia fuerint illius dissensionis inter Lutherum & Carolostadium, quæ postea in bellum Eucharisticum exiit, nunc ulterius iis non immoramur; Uti nec, quæ circa Anabaptistarum molimina sunt acta, jam exponimus, neque etiam eam, quæ ipsi cum Henrico VIII. Anglorum Rege, intercessit, litem literariam nunc tangimus, de qua in Historia Reformationis Anglicanæ.

(d) SCULTETUS p. 111. 112. ex SLEIDANO l. III. p. 43. b. & 44. a.

(e) SCULTET. l. c. ex *Eberbachii* Epistola MSS. ad Hedionem.

Electore Brandenburgico petiverunt, hunc, aliosque Lutheri libros congestos ignis flammis absumeret. Idem Sacerdotes Magdeburgenses, Comitem à Stolberg, Cardinalis absentis vicarium rogarunt.

§. XXXIII. Quicquid sit, annus interim præsens labebatur, nec obicem hæc & alia Principum quorundam (a) molimina tantum ponere poterant, ut inde cursus Evangelii impediretur: (b) Certè hic annus initium fuit reformationis Ecclesiarum in SILESIA; Quanquam enim *Ludovicus*, Rex Hungariæ & Bohemiæ, *Uratislavienses* vi armata in obedientia (c) Papæ & cultu doctrinæ Pontificiæ retinere anniteretur, ipsique in aula Regis Episcopi Evangelio essent adversarii, & domi à domesticis hostibus, sacerdotibus, obsiderentur, tamen ita illustre fuit studium (d) urbis URATISLAVIENSIS, in emendatione doctrinæ cœlestis, & abolendis idolis Pontificiis, ut reliquæ Silesiæ suo quoque exemplo egregiè præluxerint, neque moti sint ulla periculorum denunciatione: Nacti autem sunt ab initio, ne de *Petro Nado* quicquam dicamus, qui jam tum Evangelium ipsis annunciasse dicitur, statim Doctorem pietate, doctrina & modestia excellentem, D. *Ambrosium* MOIBANUM, (e) qui circumspectè graviores abusus taxa-

(a) *Georgii* Saxonis molimina commemorat SECKENDORFIUS l. c. p. 240. Et *Ferdinandum* Austriæ, jam superiori anno adversus Lutherum sententiam vehementer ursisse, & in Ducatu Würtembergensi, quem tunc tenebat, gravissimum proposuisse Edictum d. 26. Novembris, refert SLEIDANUS p. 44. b. Nam & præmium is constituit delatoribus & passim in suis provinciis graviter in eos, qui Pontificiis legibus non parebant, animadvertit, *Henricus* autem Junior, Dux *Brunsvicensis*, & *Philippus*, Episcopus *Frisingensis* & *Naumburgensis*, tum quoque adversus Lutherum & ejus libros publicis programmatibus fulminant.

(b) Varia Lutheranismi incrementa hujus anni recenset J. M. KRAFTIUS in Præfat. ad memoriam Jubilæi *Husumensis*, § 1. & in specialiora argumenta exspatiatur *Alb. à* FELDEN in Analectis &c. p. 130. sq.

(c) v. SCULTETUS p. 100.

(d) v. CURÆI Annales Silesiæ, fol. m. 280. 281.

(e) De *Ambr. Moibano* præter ea, quæ hinc inde ab Ill. SECKENDORFIO notata sunt, est eximium MELANCHTHONIS testimonium, ad Joh. Hessum in Epistolar. libro Lugd. Bat. 1647. excuso p. 335 „ Am-

taxavit, & peritè monstrato Evangelii & ordinationum politicarum discrimine, animos multitudinis admodum incensos deliniit, ne orirentur seditiones, aut alii violenti motus: Electus etiam tunc in *Johannis Thurzonis* locum fuit Episcopus, *Jacobus Salzensis*, Legum Doctor, Vir sapiens ac moderatus, qui veritatem opprimere vi, quod petebant sacerdotes, non voluit, cum prævideret inde secutura gravissima mala. Is ipsum D. *Moibanum* adductum, ut manus ipsi imponeret, his verbis affatus esse dicitur; *Vade, doceas Evangelium Jesu Christi in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti:* Inchoavit verò primus ministerium purioris doctrinæ, vocatus in urbem ex collegio A. 1523. D. *Johannes* HESSUS, (a) præstans sapientia, & mirifica, eaque quasi Periclea eloquentia. Illi conjunctis sententiis & operis ceremonias Ecclesiasticas emendarunt, rejectis superstitiosis & idololatricis ritibus, tamen retinuerunt eos, quos prodesse judicabant ad ordinem & ad excitandos motus (uti CURÆUS loquitur) invocationis (b) in animis hominum. Cum

 etiam

„ Ambrosius Moibanus cupit, ut se diligenter commendes D. Nicolao „ Leubelio, patrono suo. Qua in re non illi tantùm, sed mihi quoque „ gratum officium feceris. Neque enim credas, quam velim optimè con- „ sultum Moibano. Meretur enim hominis virtus & eruditio amplissi- „ ma quæque. Proinde mihi judicabo te defuisse, si qua in re illi de- „ fueris. „

(a) De *Joh. Hesso*, Norimbergensi nato, sed Canonico primùm Vratislaviensi & deinceps Pastore in eadem urbe, & primo Evangelii in Silesia instauratore, vid. SECKEND. Hist. Luth. L. I. § 151. Addit. lit. c & d. fol. 270. 271. qui & refert, quam is anno seq. 1524. publicè per octiduum, adjutus à *Valentino Trocedorfio*, disputaverit de fiducia in solum Deum, & contra sacrificium missaticum, tum pro matrimonio cleri &c. Extant variæ MELANCHTHONIS ad ipsum datæ epistolæ numero 24. insertæ libro Epistolarum Lugd. Batav. 1647. 8 edito, p. 324-352.

(b) Quicquid etiam sit de hac ceremoniarum papisticarum retentione, de qua, num ea fuerit Evangelio proficua magis, an verò noxia, contentionis serram reciprocare nollem; Id saltem certum est, ADRIANUM Papam ægerrimè tulisse id *Vratislaviensium* factum, & datis ad Senatum literis, eum ab instituto Reformationis revocare voluisse, sed incassum, quandoquidem facti sui, cum primis in illa Hessi ad sacrum ministerium obeundum vocatione gravissimas reddiderit rationes, edita *Apologia* singulari, quam, quod

etiam in hac regione passim vagarentur errones Enthusiastici, Anabaptistæ & alii, qui homines abducebant à ministerio, & multos in doctrina turbabant, ipsi constanter conjuncti cum Academia Witebergense eos refutarunt, & ab Ecclesia sua deliria illa excluserunt. Hoc exemplum cum intuerentur alia pleraque oppida in Silesia, Enthusiastis non patuit publicè locus docendi, nisi alicubi, ubi singulari fato miseri & dementati populi irrepserunt, eosque aculeos in animis hominum reliquerunt, qui deinceps non planè potuerunt eximi. Ea fuit etiam prudentia amplissimi Senatus, ut semper frenum calidis motibus in religione injecerit, & voluerit dici necessaria, omissis inutilibus disputationibus aut criminationibus, & imprimis autoritatem superioris magistratus diligentissimè curavit muniri, ne ulla specie contumaciæ possent prægravari. Ideo mortuo etiam *Ludovico*, & evecto ad imperium *Ferdinando*, etsi multa crudelitatis flabella in aula fuerunt, & ipse Rex ter urbem eam revisit, anno 1527. Calendis Maji, rursus 1538. 9. Maji, & tertio 1546. 20 Martii, tamen urbs singulari modestia & demissa obedientiæ significatione, clementissimi Cæsaris (& hæc sunt CURÆI verba) animum ita flexit, ne propter emendationem religionis ipsis irasceretur: cui etiam concessione, non dissimili edicto Cyri, permisit usum rituum receptorum, donec in Synodo legitimè convocata posset fieri dijudicatio dogmatum. Hæc tanta moderatio non solum urbi, verum etiam reliquæ Silesiæ fuit salutaris, adeo ut ardente seditione rustica, fermè in tota Germania, hæc regio à contagiis furorum illorum fuerit immunis, & æquissimus Princeps nullam etiam ex minoribus civitatibus consentientem in doctrina cum Vratislaviensi perdiderit. Anabaptistas verò & alios, qui seditiosa & perniciosa dogmata circumferebant, hæc urbs & reliquæ maturè represserunt, & relegarunt, qui deinde in Moraviam profugerunt, ubi invenerunt domicilium, ibique singularem politiam Platonicam, plenam turpitudinis & scelerum (a) constituerunt. Fuit etiam hoc

quod vivam habet descriptionem & status Ecclesiastici sub Pontifice Romano, & Pontificis in illo, huic Operi inter documenta subjungere voluimus, Num. IX.

(a) Hæc omnia auctoritate *Curæi* dicuntur.

hoc beneficium Dei eximium, quòd in ea religionis purioris plantatione largitus est duos Episcopos huic regioni, sapientes & bonos, qui admodum propitii fuerunt adversarii, neque unquam ad sævitiam se accendi passi sunt, sed quietem publicam consiliis iracundis anteferre maluerunt. D. *Jacobo* enim successit *Balthasar Promicius*, nobilis *Freistadiensis*, Princeps doctus, eloquens & beneficus, qui cum imperio etiam Silesiæ, nomine regio præfuit, & urbem hanc sicut reliquam Silesiam totam amore verè patrio complexus est, fuit custos pacis, concordiæ & justitiæ assiduus, neque ullum ordinem propter confessionem veræ doctrinæ afflixit. Erant autem in ipsa Regis Ludovici aula nacti singularem patronum, Illustrissimum (a) Principem *Georgium*, Marchionem Brandeburgicum, magnum aulæ regiæ magistrum, qui, cum jam veritatis Evangelicæ gustum haberet, in benigniorem partem interpretatus est, quæ ad Regem Ludovicum deferebantur, querelas. Hic igitur annus initium est reformationis Ecclesiarum in *Silesia*. Nam & LIGNICII sub Duce *Friderico* circa Pentecosten *Fabianus Eckelus*, *Sebastianus* item *Schubartus* Evangelium prædicarunt: & *Carolus*, Dux *Munsterbergensis* & *Olsnensis* scriptis ad Lutherum literis, quid de Papa & ejus brutis fulminibus, quibus *Georgius Podiebracius*, ex quo Carolus ortus, percussus fuisset, sentiret, non obscurè significavit.

§. XXXIV. Sed & CIMBRIAM, quo nomine integer ille venit tractus Daniæ vicinus, Holsatiam & Ditmarsiam qui continet, hoc ipso anno Evangelii luce collustratam fuisse (b) docemur. Posteaquam enim amplissima Lutheri fama doctrinaque essent excitati quidam Theologiæ consecranei, & Wittebergensem Academiam invisere coepissent: Hi inde reversi, quæ ex ejus ore hauserant saniora dogmata sicut induerunt animo, ita retinuerunt firmiter, intrepidéque dein popularibus suis tam privatim, quam publicè professi sunt. Fuit autem inprimis *Hermannus* TASTIUS, Vicarius Ecclesiæ *Husumensis* Pontificius, qui ex sedula scriptorum Lutheri lectione ad meliora traductus, prima *Husumen-*

(a) SCULTET. p. 117.
(b) vid. MUHLII Diss. de Reform. Religionis in Cimbria, p. 34. sq.

mensibus Evangelii semina tradere atque exponere, una cum *Theodoro Pistoris*, qui socias ipsi deinceps præstabat operas, est aggressus: sed privatim primùm ista alea jacta est *Matthia Kanutio* sive, *Knutzen*, docto ornatissimoque Viro, Evangelii istum præconem omni studio operaque non tantum complectente, verùm & ipsam domum suam, ejusque partem extremam, veluti rei benè gerendæ occasionem, perfugium certè ac præsidium (a) sacræ concioni dedicante. Interea invalescente auditorum numero, majus luculentiusque theatrum sibi parandum aperiendumque putabat Tastius; Idque tanta animi contentione, ut, cum maximæ eo nomine agitarentur turbæ, eòque proficeret Clericorum Pontificiorum furor, ut omnes illi templi clauderentur aditus, in ipso etiam coemeterio sub tilia quadam versus austrum tum obvia, *Matre* vulgo dicta, sicque ab altera versus boream, *filia* appellata, diversa, congregatam ibi numerosam multitudinem docendam, instruendámque publicè hoc anno 1522. susciperet. Id quod à *Rostochiensium* itidem Proteuangelista *Joachimo Slütero*, (*Grisenio* & *Lindenbrogio* attestantibus,) ut & *Boitzenburgi* ad Albim à primo Doctore *Johanne Weskenio*, *Goslariæ* â *Theodorico Schmedeken*, (b) & ab aliis alibi factum refertur. Adversarii proinde vehementius obniti, nec vafris conatibus inceptisque desistere, sed & eò crescere magis atque efflorescere civium studium in *Tastium*, qui, cum ipsi viri vitæ insidias adornari multa nec levia indicia se proderent, armati quoque ad ædes ipsius accedebant, eumque in locum, ubi concio habenda, certatim veluti comitabantur, uno consilio animoque vel quodvis in illo defendendo subire discrimen parati. Hinc Tastius ad majora excitatus, nihil non fecit expertusque est, ut rectior & emendatior doctrina longius latiusque in vicinis etiam oris diffunderetur. Idcirco biennio post, anno nimirum 1524. primam *Gardingiæ* in Eiderostadia concionem Evangelicam in frequentissimo auditorio publicè habuit, cantatoque post à semet Hymno Lutheri: *Ein feste burg ist unser Gott*, nemine

(a) Inde in templo Kiliensi Nicolaitano, egregium Viri hujus perinsignis legitur Epitaphium, quod l. c. Cl. MUHLIUS p. 35. 36. affert.
(b) conf. §. XXV. p. 52. 53.

mine tamen rudiorum adhucdum auditorum accinente, cœtum tum præsentem dimisit. Inter hos actus & inter hæc initia, ut averterentur difficultates omnes, & ad majores subinde auctus adjumentum præstaretur, FRIDERICUS, Daniæ Rex, qui nuper ejecto Christierno sive Christiano II. regnum acceperat, in regnis juxtaque in ducatibus suis A. 1524. publico sanxit edicto, (a) *ne quis cuiquam propter religionem vel pontificiam vel Lutheranam cieret molestiam, simulque ut in subjectis sibi terris improbatis Pontificiæ superstitionis erroribus, Religionis incorruptæ doctrina populo commendaretur, explanaretúrque, seriò mandavit.*

§. XXXV. Hoc ipso autem anno 1522. jam inter BREMENSES quoque annunciatum est Evangelium; Erat scilicet *Henricus* à loco natali dictus ZUTPHANIENSIS, qui carcere Brabantino, in quem conjectus erat propter Lutheranam, uti tum loquebantur, hæresin, elapsus, occulto fati ductu, cum Wittebergam quam superiori jam anno visitaverat, repetere vellet, *Bremam* pervenit, atque ibi commorationis sedem invenit: Eò cum pervenisset, confestim aderant nominatissimi viri, *Speckhanius*, *Esichius*, *Fullgrevius*, *Hilmerus*, *Munsterus* & alii, (b) qui unius alteriusve exhortationis publicæ exposcerent officium; quod advena noster, ut votis ipsorum velificaretur, ipsa ante Martini ferias Dominica A. 1522. & quidem in sacello Anschariano præclarè præstitit. Cum verò tam piè, quam disertè erudientem audivisset populus, tum alteram exorabant in ipsa Anschariana æde habendam Orationem Sacram, in spem minimè dubiam subsecuturæ ad publicum docendi munus vocationis ipsum erigentes. Quam Vocationem deinceps ipsi oblatam, cum recusare non auderet, quin potius, ideò, ne quis abiret à regula (erat enim sub initio hujus seculi Augustiniani

K Or-

(a) Verba edicti ita se habent: „*Dass niemand bey halss, leib und gut, um* „ *der Religion pabstischer oder Luterischer willen einem andern an Leib, Ehre,* „ *und Zeitlichen gütern gefahr und Unheil solte zufügen, sondern ein jeder sich* „ *in seiner Religion also solte verhalten, wie ers gegen Gott dem almächtigen* „ *mit reinem gewissen gedächte zu verantworten*; „ v. Muhl. l. c. p. 37. Cæterum de ipsis Reformationis in *Dania* primordiis deinceps nobis erit agendum.

(b) v. MUHLII Dissert. Theol. in Vita Henr. Zutphan. pag. 426.

Ordinis monachus factus) literas obedientiales, quas vocant, à *Wenceslao Lincco* Ordinis sui vicario postularet, easque hujus quoque nomine, sed Prioris Witebergensis sigillo obsignatas Lutherus ipsi adferri curavisset, tum sedulò is in Ecclesia Bremensi purèque docuit Evangelium, suoque munere defunctus est (a) modestissimè, adeo ut amor & reverentia sui cultusque in dies proveheretur in majus, augereturque: Neque deerant tamen, qui, ut laboribus sanctis Viri hujus obicem ponerent, allaborabant, præjudiciis hæreticæ doctrinæ iniquissimis, hunc tuendæ & propagandæ Religionis ardorem onerantes. Eóque Canonici, monachi ac Sacerdotes reliqui, haud levem impendebant industriam, nec quicquam omittebant, quod ad ejiciendum evertendumque Henricum, apud Senatum juxta ac populum, permagnum afferre posse momentum videbatur: Sed prudentiam suam tum Senatus Bremensis, constantiamque populus manifestam faciebat, Zutphanium adversus clandestinas insidias tuendo, in parœciæ Anscharianæ ædiles, civesque primarios nonnihil oneris devolvendo, Clericorum impetus moderando, ipsamque Archiepiscopi Christophori (b) indignationem perhumaniter declinando, molimina denique A. 1523. destruentium cœnobium S. Paulo sacrum non fovendo; Atque hæc prima doctrinæ Evangelicæ in hac primaria Saxonum urbe fuerunt initia, circa quæ unicum illud singularis Providentiæ divinæ exemplum adhuc commemorare liceat, quòd scilicet, dum clerus quotidie sacellanos suos ablegaret (c) & subornaret, *ἵνα αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ*,

(a) Hoc ipsi testimonium præbet MELANCHTON in Danielis Cap. XI. Operum P. II. p. 506.

(b) Is erat fervidi alioquin ingenii Episcopus & ex Luneburgica domo oriundus Princeps.

(c) Hanc rem omnem RENNERI Chronicon MSS. Bremense luculenter & in omnibus suis enarrat circumstantiis, ubi & inter alia: *De Papen averst hedden Keine rouwe, sondern senden dachlickes öhre Capellane in de predige, dat se öhne fangen möchten in siner lehre, averst Gott bewisede sine wunder, und bekehrde etlike van den Papen, dat de meiste hoep van öhne, als se tho den Domherrn wedderquemen, Henricus Lehre vor recht bekanden, wente se van nehnem minschen solche Lehre öhr Levent lang gehöret hadden, derhalven seden se, se schölden dat wort nicht verfolgen.*

γῳ, non semel ipsi hi legati veritatis amore fuerint capti, ut nulla quoque formidine deterriti suis testatum facerent superioribus, veritatem, quam *Zutphanius* annunciabat, esse doctrinam à Deo, cui resisti non possit, seque nunquam ab ullo homine talem doctrinam audivisse, atque adeo ei credendum potius esse, quam sæviendum adversus eam: Quicquid sit, *Henricus* coram Concilio provinciali ideò, præter receptam consuetudinem *Buxtehudæ* habendo, ab Archiepiscopo citatus non comparuit, ab auditoribus, ne vitæ periculum subiret, commonefactus; Ita tamen, ut Archiepiscopo literas mitteret supplices, iisque Theses dogmata sua complexas (a) adjungeret, ceterùm fidem dans, se quemlibet errorem, cujus ex sacra Scriptura convinceretur, esse depositurum; sed loco responsi, cujus eliciendi non dabatur copia, Papæ Leonis X. Bulla & Edictum Wormatiense valvis templi cathedralis affigebantur. Interea biennio in ministerio Bremensi exacto, *Zutphanius* Meldorpium in Dithmarsia vocatus, relicta Brema eò se contulit, ubi intra quatuordecim dierum spatium, igneæ mortis in illum & pronunciata & exsecutioni data est sententia. (b)

§. XXXVI. Atque hæc quidem de celebrioribus hisce fundatis Ecclesiis, neque enim non potest esse jucundum homini Christiano spectaculum, (c) quasi coram cernere certantem Christum cum Antichristo. Quicquid enim Papa, quicquid Cæsareani molirentur contra Evangelium, id omne Christus in Evangelii commodum convertit. Bulla Papæ, Fulmen Cæsaris, non consternarunt, sed animarunt homines ad Evangelium amplexandum; id quod ante omnia in Republica ARGENTINENSI (d)

 fuit

(a) Hæ fuerunt eædem illæ theses, quas jam ante Wittebergæ A. 1521. publicè ventilaverat, & quas tractatui *de Vita & rebus gestis Henrici* nostri subjecit MUHLIUS in Dissertt. Theologicis p. 459. seqq. prouti eæ in Germanicum idioma quoque translatæ Bremæ 1526. d. 1 Februarii jam typis sunt impressæ, & ab eodem MUHLIO exhibentur p. 465. sq.

(b) Hujus martyrii historia à LUTHERO conscripta legitur in Opp. Jenens. Germ. Tom. III. fol. 30-35. conf. MUHL. Diss. loc. cit.

(c) Ita SCULTET. p. 117.

(d) conf. §. XXVII. p. 54, 55.

fuit conſpicuum. Hæc enim magnam eo nomine (a) fortitudinis & conſtantiæ laudem merita eſt. Nam undique Pontificiis, ut videbatur, Religionis tum hoſtibus, circum circa cincta, ad pericula, quæ expaveſcere debebat, non extimuit, &, cum poſſet intercedere, noluit: & *Matthiam* ZELLIUM paſſa eſt, propter innocentiæ & ſimplicitatis exiſtimationem, in eo, quod benè cœperat, perſeverare: & de re ipſa cogitans, quanti momenti ipſa eſſet, periculorum non maximam rationem habuit. Adverſabatur enim huic inſtituto, quantum potuit, *Gulielmus* Epiſcopus, ex familia *Hohenſteiniorum* Comitum, unà cum toto Canonicorum Collegio primariæ ædis: cum omnibus totius urbis, Canonicorum, & Abbatiſſarum & Monachorum Collegiis, quorum interpellationibus dimoveri ſe de ſtatu ſuo Argentinenſes minimè ſiverunt. Urbes etiam vicinæ, clientes Archiducum Auſtriæ: ut HAGANOA, SELESTADIUM, WEISSENBURGUM, cæteræque in Alſatia, hoc exemplum averſabantur. Marchiones *Badenſes*, vicini & his proximi Palatini Comites, majorum ſuorum atque parentum ceremonias deſerendas non eſſe ducebant. Tota *Lotharingia* minabatur, Ruſticana etiam ſeditio hunc metum augebat. Et tamen perſtitit Reſpublica, & pericula ſubire maluit, quam luci veritatis feneſtras ſuas claudere.

§. XXXVII. Atque eodem ferme modo per totam Germaniam multis in locis majori cum libertate doctrina Evangelica admiſſa fuit.

NORIMBERGÆ *Andreas Oſiander*, (b) menſe Februario publice concionari cœpit, & Monachus quidam Franciſcanus, *Gallus Kornius*, (c) cauſas deſerti à ſe monaſterii publicavit; atque

(a) SCULTET. Annal. p. 119.
(b) De eo v. SECKENDORF. L. I §. XXXIX. fol. 241.
(c) Is enim cum guſtum religionis veræ haberet, nec id diſſimularet in concionibus, in odium Fratrum incidit. Aperienti autem fortè Cyprianum, occurrit dictum Apoſtoli: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*, 2 Theſſ. III: 6. perculſus hoc effato, cum ſenſum illius ex *Ambroſio* didiciſſet, monaſterium deſeruit d. 12. Junii, quod ex ejus confeſſione refert SCULTETUS p. 121.

que debetur certè *Norimbergensibus* prima laus recepti in Franconia Evangelii, quod explanatius deinceps à nobis exponetur.

AUGUSTÆ *Vindelicorum Johannes Froschius* (a) Theologiæ Doctor, Carmelita, inter primos fuit, qui Evangelium sincerè prædicarent.

ULMÆ Monachi aliquot non sine periculo Evangelium docebant, inter quos *Johannes Eberlinus* Monachus Franciscanus (b) commemoratur, & *Henricus Kettenbachius*, qui Eberlini exemplo, ex eodem monasterio, veritatem Evangelicam prædicare cœpit, & (c) cujus quædam opuscula jam A. 1522. typis mandata exstant, itemque *Johannes Diepholtus*, quem vulgo *loripedem* cognominabant, quique in templo suburbano concionari cœpit adversus cultum Deiparæ & de Missa Evangelica, quæ ejus Homiliæ typis excusæ fuerunt, uti is alias itidem conciones, (d) unam de Dei verbo, alteram de tribus libris, scripturæ, naturæ, conscientiæ, divulgabat, in quibus Christum esse patronum nostrum inculcabat, & conscientiam hominis quietari per fidem Christi & spem divinæ misericordiæ. Cum verò etiam alius (e) nomine *Johannes Hostichius* in loco suburbano sub dio concionari cœpisset, eique populus immoderatius adhæreret, Senatus illum ex improviso capi jussit; & Episcopo Constantiensi vinctum transmisit, qui eum in carcere totum annum tenuit, torqueri etiam fecit, ab Evangelii tamen professione dimovere non potuit, sed tandem dimisit, Ulmam postea reversum, & alicui functioni Ecclesiasticæ præfectum.

WILÆ, quod parvum est, sed Imperiale in Suevia (f) oppidum,

(a) De eo quædam in KAPPII documentis ad Hist. Ref. P. II. p. 623.
(b) De eo vid. SECKEND. L. I. §. xxxix. p. 242.
(c) Is magno animo dicitur concionatus esse adversus abusus, & est mihi ejus apologia pro Luthero, dialecto Suevica A. 1523. scripta, quam SECKENDORF. citat. in Supplem. ad Indicem Historicum, num. xxiv.
(d) v. SCULTET. p. 134.
(e) v. SECKENDORF. p. 242. b.
(f) v. SCULTET. p. 134. Exiat autem hujus ipsius Epistola ad Senatum populumque Wilensem die omnium Sanctorum hoc anno scripta, in qua is profitetur, se primum fuisse Wilensium Evangelistam, eosque porrò in-

dum, *Theobaldus* à Bellican (quem itidem *Diepoldum* vocat Crusius in Annalibus Suevicis) hoc anno docebat: Virginem Mariam non esse Mediatricem, nec ceteros sanctos: Christum esse Mediatorem: nullum esse Purgatorium: sed monitus Senatus à regiis moderatoribus è Stutgardia, illum removit, ægrè id ferente, & pauca ad altaria offerente plebe.

In oppido CREILSHEIM *Adam Weis* (a) docebat Evangelium, & hæc sunt ejus ad Casparem Hedionem de statu Ecclesiæ illius verba: „ De ministerio verbi sic accipe. Si tam molestus ac ingratus „ essem populo meo, quam sum mihi ipsi, non rectè succede- „ ret, at Christo autore dici vix potest, quanto ardore, quam „ intentis auribus ac animis avidissimè verbum Domini excipi- „ ant, quam volentes ducantur, demiror ipse, ac sequacissimè, „ hujus, ut ut rectè vocas, plebeculæ, etiam lacrymis excipio „ piam facilitatem, qua tam imperitum & ineloquentem me fe- „ runt: spero optima omnia fore: fastidiunt & tam citò vete- „ rem concionandi ritum, suspectæ & jam hominum traditio- „ nes, Christus paulò familiarior eis fit, hactenus ignotus fer- „ mè, Paulus Aristotelem è suggesto pepulit. XVI. Martii. „

COTBUSII Lusatiorum Doctor *Joannes Griesman*, Minorita, Evangelium de Fide per charitatem operosa, de Justificatione ex sola fide, &sim. docet in Monasterio, & inde sequenti anno Wittebergam profectus, summam doctrinæ Evangelicæ (b) Cotbusianis à se propositæ, typis divulgat.

WEISSENBURGI (oppidum est (c) in Alsatiæ & Palatinatûs confinio) *Henricus Motherérus* Pastor evangelizat, à quo *Martinus Bucerus*, qui impetrata à Francisco Sickingensi propter tumultus belli aliquantisper secedendi venia, Wittebergam cogitabat, invitatus, dimidiumque ibi annum subsistens, ad D. Joannem

instruit, & ad constantiam hortatur. Cæterum *Theobaldum* hunc singularem urbis *Nordlingensis* in Suevia reformatorem celebrat SECKENDORFIUS L. III. §. LXVI. n. 18. p. 184.

(a) v. SCULTET. p. 135. ex epistola MSS.

(b) Quod scriptum J. *Griesmanni* prorsus eximium inter reculas meas servo.

(c) v. SCULTET. p. 122.

nem prædicavit. Sed à Vicario Spirensi uterque inde pulsus est. BUCERUS sub initium anni 1523. *Argentinam* venit, editaque summa eorum, quæ *Weissenburgi* docuerat, in veritate Evangelica animos civium mirifice confirmavit. (a)

HALAM *Suevorum* (b) de consilio D. *Johannis Issenmanni* vocatur *Johannes* BRENTIUS (c) ex Academia Heidelbergensi, ubi in contubernio Realium Matthæum Evangelistam in frequenti auditorio explicârat, hausto sincerioris doctrinæ lacte ex disputatione Lutheri, quæ anno 1518. Heidelbergæ de Justificatione fuit habita. (d) Specimen pro publica concione edit VIII. Septembris. Nec quicquam in eo, nisi grandior ætas, desideratum. Natus enim tantùm erat annos viginti tres. Etsi igitur juvenis erat: tamen gravitate, vitæ sanctimonia, (e) morum integritate, quodque officium sibi demandatum, ad quod divinitus erat vocatus, fideliter & cum autoritate faceret, tantum per Dei gratiam effecit, ne quis propter juventutem eum contemneret, sed ut omnium non solùm ora & oculos in se converteret, verùm animos etiam verbo Dei inclinaret, quò pristinis erroribus & doctrinis Scribarum & Pharisæorum, quos secum hactenus aluerant, valedicerent, qui & ipsi paulò post partim injussi, quod sua execrata sacra in vacuo theatro ab auditoribus & spectatoribus destituti, facere erubescentes, in alia se contulêre loca, partim verò conversi, partim etiam morte sunt abrepti. Magna autem in concionibus popularibus usus est prudentia & modestia, initio cum haberet adversarios vehementissimos,

(a) Quam summam à *Bucero* conscriptam unà cum rationibus sui discessus, tanquam egregium ejus temporis monumentum, inter reliqua ejus generis, mea servat Bibliotheca.

(b) v. SCULTET. Annal. p. 122, 123.

(c) Hujus magni postea inter Evangelicos nominis Theologi, quo titulo ipsum THUANUS ornat, vitam conscripsit *Jac.* HERBRANDUS, Theologus Tubingensis, in Oratione funebri de vita & morte ejus, ac nuper singulari industria *Joh. Justus von* EINEM edito libello Magdeb. 1733. 8.

(d) vid. Introd. in Hist. Ref. §. LXXXVIII. pag. 212, 213.

(e) Hæc sunt HEERBRANDI Verba in ea quam diximus Oratione encomiastica, apud *Scultetum* l. c.

mos, inter quos præcipui erant Guardianus, Theologiæ Licentiatus, & lector Monasterii Ordinis Minorum, qui conspirantes sæviebant importunis suis clamoribus, & Sophisticâ errores suos defendentes. Quæ cum indesinenter facerent fulminando, & virus suum evomendo, Dominicis & festis diebus, matutinis concionibus in magna populi frequentia, à prandio multò confluebant frequentius, sperantes Ecclesiasten suum eadem usurum vehementia in suorum dogmatum defensione, & par pari relaturum. Verùm ille prudenter dissimulabat ad tempus, & suo more docere pergebat, doctrinæ Christianæ fundamenta jaciendo, meritúmque Christi unici Redemtoris fide apprehendendum, sedulò & fideliter inculcabat: deinde ubi commoda se offerebat occasio, brevissimè & modestè, perspicuis sacræ Scripturæ testimoniis adversariorum dogmata & clamores, hæc pugnare cum illis, ostendens: Ita ut tandem pleríque Papisticam idolomaniam, dogmata & superstitiones detestarentur. Interea ipse quoque Missam celebrabat, sed non pro defunctis offerebat, verùm tantùm Angelicam, (quam sic vocant,) legebat Missam.

In tractu, qui CREICHGOA dicitur, in finibus Palatinatûs & Wirtembergici agri (a), in Equitum Liberorum, quorum ibi multi & opulenti habitabant, quibusdam etiam Palatinæ ditionis pagis & vicis, concionati sunt benè multi, erroréſque & idola Pontificia primi voce Evangelii taxare & abolere cœperunt, *Erhardus* SNEPFFIUS, (b) qui in oppido Guteberga, sub ditione & patrocinio Theodorici Gemmingen, & postea Wimpinæ, semina veræ Evangelii doctrinæ sparsit: M. *Bernhardus* GRUBLERUS, Gemmingæ: M. *Martinus* GERMANUS Furfeldæ: & *Johannes* GALLUS, Solisfeldiæ. Hos secuti sunt *Wolfgangus* BUSIUS, Gemmingensis Ecclesiæ pastor, & collega ipsius, *Franciscus* IRENICUS, qui Germaniam descripsit. Docuerunt eodem tempore in vicinis oppidis M. *Joannes* RUDOLPHI, & *Matthæus* CHYTRÆUS Davidis pater, Menzingiæ, *Nicolaus* TRABANTIUS, Flehingæ: & postea *Joannes* SIDERO-

(a) v. SECKENDORF. p. 240. a.
(b) v. SCULTET. ex Chytræi Oratione de Creichgoa. p. 124.

ROCRATES, Brettæ: *Georgius* junior, M. *Petrus* ERBERMAN, & *Thomas* RANA, in oppido Eppingen: M. *Melchior* HIPPORIUS (qui primùm Academiæ Regiomontanæ initia docendo adjuvit) in oppido Bischoffsheim. Ut ne commemoremus illam, quam in aula Francisci à Sickingen, instituit Sacrorum Reformationem *Joh.* OECOLAMPADIUS, de qua in ipsa jam egimus ad Historiam Reformationis (a) Introductione.

§. XXXVIII. MILTEBURGI ad Mœnum, Moguntinæ ditionis oppido, *Johannes Draco Carolostadius*, Theologiæ Doctor, Christi crucem & gloriam volentibus annunciat, non sine fremitu sacrificulorum Missaticorum (b);

Quid? quod in ipsa urbe MOGUNTINA quotidiana Evangelii incrementa audirentur, quæ per D. *Casparum* HEDIONEM (c), concionatorem in primaria æde, per CAPITONEM & alios, Spiritus operabatur, ac fovebat. Quanquam OECOLAMPADIUS modestiam Hedionis tacitè reprehendere videtur, quando sic scribit ad Hedionem: (d) *Quam gratiam, vel quem locum apud adversarios inveniant veritas & pietas, tute ipse, non dubito, experiris, cum illorum putida ulcera tangis vel extremo digito, teneris adhuc impendio parcens. Sed tu vide sis, an Evangelici sermonis libertati ad amussim hac tua respondeat modestia.* Ad constantiam eundem Hedionem inflammat epistola ipso die Parasceves hoc anno exarata, dignissima quæ hic ex Sculteto (e) apponatur: „Salve, Hedio Charissime; Declamavimus hodie uterque, tu ad Ecclesiam gravem, ego ad „unum & alterum, quo robore Christus hostibus suis iverit ob„viam: quod nobis modestiæ, patientiæ ac longanimitatis „exemplum retulerit. Verùm quid profuerit, vel ad ravim „boare? hoc faciunt & qui ultimæ regni cœlorum classis sunt.

 „Eni-

(a) vid. Introduct. nostr. §. LXXIII. pag. 166. & in adject. documentis num. XVI. p. 148. & sqq.
(b) v. SCULTET. p. 126.
(c) v. SCULTET. p. 133.
(d) vid. Inter documenta Introductioni subjuncta pag. 150.
(e) v. SCULTET. p. 133. & 134. itemque Epist. Oecolamp. & Zwingl. lib. IV. fol. 210. a.

„ Enitendum nobis, ut infractus sit animus, si quando bella ingruant, & sævire cœperit solutis vinculis Lucifer. Usque in hunc diem non nisi exilia præludia experti sumus: nempe ægrè ferunt quidam homunculi, parvæ autoritatis, minorisque Christianismi, libertatem Evangelicam, cui parum assueverunt: nondum ventum ad sentes, flagella, crucem, fel, atque cætera. Paremus animos, imo oremus, ut quacunque hora nos vocârit Christus, non cessemus, & ne verbo quidem, certi, felicitatem præcipuam vitæ hujus periclitari nomine Christi. Sat scio, nihil opus apud te ejusmodi inhortatione: sed patere, ut me interim confirmem. „

Apud SALISBURGENSES, *Paulum* SPERATUM, nobilem Suevum, jam ante hunc annum (a) in ipso templo cathedrali mysteria religionis Evangelicæ pro suggestu explicasse, sed violentiæ adversariorum cedere coactum, constat; Is igitur *Budam* ad verbi divini ministerium vocatus *Salisburgo* discessit, atque in itinere *Viennæ* (b) sermonem sacrum habuit d. XII. Januar. 1522. in templo S. Stephani, in quo abusus Pontificios liberè refutavit, quæ sermonis libertas ut à Theologis illius Academiæ odio ac invidia ipremeretur, effecit, uti & in vincula tum conjectus est, ita tamen ut inde dimissus tandem & in Germaniam reversurus superiorem, *Iglaviæ*, Moraviæ oppido, Evangelium magno cum fructu docuerit, tametsi & illic ab Olomucensi Episcopo nova passus est vincula, ex quibus elapsus, *Wittebergam* sub finem Anni 1523. vel sequentis initio venit, quam quadragenarius, à Luthero deinceps ad Albertum Brandenburgicum missus, ut *Borussicarum* regionum reformationem promoveret, reliquit, quod in sequentibus à nobis exponetur.

Sed

(a) v. SCHELHORN de Ortu progressu, &c. Relig. Ev. in provinc. Salisb. §. XX. p. 24. sq

(b) SCULTET. ex Rabi Martyrologio P. II. l. IV. c. 16. de ipso autem *Paulo Sperato*, Viro eximio vid. CHYTR. Saxon. L. X. p. 255. sq. & RAUPACH. *Evangelisch Oesterreich.* pag. 11. 12. qui plura de Sperato refert depromta partim ex ejus *Apologia adversus Universitatem Vindobonensem*, quam totam suæ Martyrologiæ l. c. p. 338 sq. inseruit *Ludovicus* RABUS, partim ex alio Sperati scripto *ad Iglavienses* A. 1524. strenæ loco misso & edito Witebergæ 1524. 4.

Sed & per vallem *Athesinam* (vulgò *Etschland*,) in comitatu *Tirolensi*, multos jam tum Lutheri partibus favisse, & *Urbanum* REGIUM, itidem Suevum, Theologum verè eximium, cum Augusta Vindelicorum pulsus esset, eam perreptasse, atque præcipuè in salinis, quarum illa regio ferax est, singulari domus Dei zelo accensum Evangelium A. 1522. & 1523. docuisse (a) certum est; & extant hodienum Sermones sacri eo jam tempore publicæ luci expositi, cum adhuc in salinis in *Oeni valle* (vulgò *Innthal*) sitis, ordinarii ecclesiastæ munus obiret Regius.

§. XXXIX. De initiis Evangelicæ doctrinæ in potenti tunc & celeberrima MAGDEBURGENSI urbe, ex archivo Vinariensi quam multa habet Illustris SECKENDORFIUS (b); Posteaquam Halberstadio pulsus, Magdeburgum venerat D. *Eberh. Widensee* (c) ipse hoc anno una cum *Melchiore Miricio*, Th. D. Augustiniano, & cum his *Joh. Fritschhans*, Franciscanus, aliique, purius docere, & Pontificias invocationes sanctorum (d), fiduciam operum humanorum, vota monachorum, sacrificia missæ privatæ, purgatorium, & alia taxare cœperunt; Sed & biennio post Consul *Nicolaus Sturm* & plurimi cives sincerioris doctrinæ cupidi Lutherum Witeberga evocant, qui & publicè tum annunciavit Evangelium, & paucos dies ibi moratus, consilium suum de emendatione Religionis Consuli & delectis civium exposuit, simul verò etiam *Nicolaum* AMSDORFIUM, qui totum illud cum reliquis negotium conficeret, eò misit, quem per totos

(a) vid. SCHELHORN. l. c. p. 26. 27. Certè jam A. 1521. die Johannis Baptistæ ad Jacobum Nepotem Tetnaugensem, *Henricus Phœniceus Roschacensis* perscripsit, cum alibi, tum in valle *Athesina* multos Lutheri partibus esse addictos, in dedicatione libelli, hoc titulo insigniti: *Anzeigung, das die römisch bull mercklichen schaden in gewissen manicher menschen gebracht hab, und mit Doctor Luthers leer.* Ipsa ejus verba ita se habent: „ *Der Luther hat das landvoll Jünger .... Es sind unser allein* „ *in Durgaw vier und zwantzig des Luthers Jünger, es sind vil in Schwaben* „ *vil in Bayern, Ostreich, Etschland, Frankenland, am Boden-See, von Costentz bis gen Antorff am Rin als voll das Evangelium muss herfür, daby wollen wir unser lib und leben frölich und frisch wagen.* „

(b) v. SECKENDORF. l. c. XXXIX. p. 240. & addit. IV. p. 246.

(c) vid. §. XXVI. pag. 52.

(d) vid. SCULTET. p. 125. ex CHYTRÆI Saxonia Lib X. p. 249.

octodecim annos Ecclesiam Magdeburgensem rexisse novimus, donec Ecclesiæ Naumburgensis Episcopus appellaretur.

In POMERANIA (a), cum deferbuisset persecutio Treptoviæ mota, & Princeps Bogislaus, &si edictum Wormatiense in Pomerania ordinibus promulgaverat, tamen exsecutionem non admodum severè urgeret, florentissima emporia, *Stetinum* & *Sunda*, illud quidem, petitis Witeberga concionatoribus, Nicolao Curiensi & Paulo à Rheda, (vel *Rhode*) Quedlinburgensi, hoc, exulem Treptoviensem (b) Christianum Ketelhut, recipiens, Reformationis initium fecerunt. Sic connivente Bogislao Duce (c), Evangelii semina paulatim in Pomerania, extremo vitæ illius tempore, spargebantur. Ipse Noribergam ad comitia profectus, & si Ferdinandus, Caroli Imperatoris frater & locumtenens, denuò controversiam cum Marchione cognoscebat, tamen re non composita rediit, ac in itinere cum Electore Saxoniæ Friderico egit, ut filio suo Barnimo, sororis Friderici & Henrici Luneburgensis filia, Anna, connubio jungeretur. Interea SUNDII quidam ex fece vulgi (uti Chytræus loquitur,) & opificum, invito & repugnante Senatu, imagines ex templis seditiosè ejecerant, & Sacerdotes ac Monachos omnes una die ex urbe fugârant, & in *Belbugiensi* cœnobio Monachi ipsi superstitiones veteres abjecerant. Itaque in patriam reversus Princeps, & à sacrificulis incitatus, Abbatem captum postea ex ditione proscripsit (qui prope Wittebergam deinceps in oppido Belzig pastoris officium gessit,) & cœnobium una cum reditibus omnibus suo præfecto administrandum tradidit. Id primum initium occupandi Monasteria in Pomerania fuit. Sundensibus etiam graviter ob injuriam, non religioni solum & Ecclesiæ, verùm etiam sibi patrono illatam, comminatus est. Sed statim in tabem lentam & lethalem incidit, qua prid. Kalend. Octobr. extinctus est: duobus filiis, Georgio & Barnimo, relictis, qui in gubernatione ipsi successerunt.

STOLPÆ (d) verò (quam Eoæ Pomeraniæ metropolin ad fluvium

(a) Conf quæ dicta sunt §. XXVIII. p. 55.
(b) vid. SECKENDORF. l. c. p. 240. b.
(c) v. SCULTET. p. 126. 127. ex CHYTRÆO. pag. 254.
(d) SCULTET. p. 128. 129. ex Chytræ p. 254.

vium ejusdem nominis sitam, bonorum ingeniorum feracem, honesta gubernatione, civium frequentia & commerciis, & Ecclesia & schola benè constituta, hoc tempore, uti Chytræus loquitur, florere cernimus) prima purioris doctrinæ semina sparsit *Petrus* SUAVENIUS, vir nobilis, in ea urbe natus, & Luthero familiaris & charus, qui in privata ad forum domo, civibus aliquot literatis & scholæ præceptoribus Pauli ad Romanos epistolam interpretatus est. Ab hoc excitati scholæ moderatores, studia sacrarum literarum non modò apud Scholasticos urgebant, verùm etiam Concionibus, in schola habendis, plurimos ad purioris doctrinæ studium invitabant.

LIVONICÆ civitates, *Riga*, *Derbatum* & *Revalia* Pontificiæ religionis ritus mutare cœperunt, auctore emendationis Ecclesiæ Rigensis (a) primo *Andrea Cnophio* Custrinensi, quem Treptoviæ in Pomerania Joannis Bugenhagii, scholæ Rectoris collegam, & persecutione Mandweliana inde ejectum, Rigam venisse, & mox ad ministerium Ecclesiæ D. Petri vocatum, modestè initio doctrinam de Justificatione peccatoris gratuita per & propter solum Christum pro nobis passum & resuscitatum, auditoribus inculcasse, & abusibus cum hac doctrina pugnantibus graviter taxatis, ritus tamen ipsos nondum mutasse, supra jam (b) commemoravimus. Accessit autem postea collega turbulentior, (c) *Sylvester Tegetmeierus*, qui Rostochio, ubi Ecclesiæ Divi Jacobi minister fuit, nuper effugerat, & adeundæ hæreditatis fraternæ causa Rigam profectus, exeunte hoc anno, in æde Divi Jacobi docere cœpit, & majore impetu Pontificiorum superstitiones & idola palam coarguit ac detexit: adeo ut vulgo abominationi esse cœperint, & paulò post, statuas omnes è templis ejicerent, & lapides sepulcris impositos removerent, ut solent in primis mutationum articulis multa inconsideratiùs & turbulentiùs geri. Quare LUTHERUS ad Rigenses scribens, gra-

(a) v CHYTRÆ. p. 256. conf. §. XLVII.
(b) Conf. §. XXVIII. p. 55.
(c) Hæc fide & verbis CHYTRÆI exponuntur v. loc. cit. p. 256. cui ferme quæcunque circà imaginum & idolorum Pontificiorum Abolitionem sunt acta, sordent, quod Lutherus ab ea tum adhuc esset alienus.

gravissimè monet, religionem veram & pietatem Christianam in fide rectè Deum agnoscente, & propter unicum Servatorem nostrum Jesum Christum, non propter ulla externa opera aut merita propria, se Deo placere & æternam salutem consequi statuente, in charitate, seu officiis dilectionis erga proximum à Deo mandatis, in spe salutis, non succumbente cruci & afflictionibus, fidei confessionem comitantibus: non in externorum rituum humanorum observatione aut abolitione, quæ libera sit extra casum scandali, & ædificationi veræ pietatis servire debeat, situm esse.

In urbe DANTISCANA sive Gedanensi, quæ celeberrimum est Borussiæ, qua Polonis paret, emporium, jam tum quoque Monachus quidam Alexander (a) dictus, in Monasterio, ubi hodie Gymnasium, irradiatus luce Evangelii, à Senatu & civibus in templum Marianum translatus est.

§. XL. ISENACI in Thuringia duo Monachi unus Franciscani, alter Carthusiensis ordinis, nomine *Henricus Plunderer*, (b) abusus & errores Pontificios publicè perstringunt, & Missam idololatricam, confessionem auricularem inutilem, invocationem sanctorum frivolam esse docent.

Docebat eo tempore ISLEBIÆ (c), Prior Augustinianorum, *Caspar* GUTTELIUS, Theol. Doctor, quem optimum Patrem nominat Lutherus; Hic, referente Sculteto (d) ad A. 1522.

ARN-

(a) SCULTET. p. 132. & conf. quæ deinceps §. XLVI. ulterius traduntur.

(b) Notatur hoc in eleganti historia MSS. *de Ecclesia Isenacensi* à M. *Nicolao Rebhan* composita, cujus notitiam breviter nobis suppeditat SECKENDORFIUS L. I. §. VIII. addit. 1. pag. 20. b. conf. SCULTET. p. 132. & SECKENDORF. L. I. §. CLII. addit. III. (c) p. 272. b. ubi & notatur, quod idem ille *Henricus* in monasterio *Hieronymi* nomen gesserit.

(c) v. SECKENDORF. p. 241. qui & deinceps Addit. VII. p. 247. & seqq. de ipso *Casp.* GUTTELIO eximia quædam refert, ex ejus scriptis, quæ fermè in oblivionem venisse conqueritur, excerpta, ex quibus magna viri virtus & non proletaria in doctrina Evangelica pariter atque Antiquitate Ecclesiastica eruditio colligitur, conf. quæ de ejus Sermonibus quadragesimalibus à nobis sunt notata in *Spicileg. libr. rarior.* p. 49. 50.

(d) SCULTET. p. 135.

ARNSTADII in Thuringia, Comitum Schwartzburgensium nobili oppido, à civibus rogatus in foro aliquot conciones habuit, quas sequenti anno Witebergæ typis excusas Comiti Gunthero, loci Domino, dedicavit, in qua dedicatione refert Auctor, se Sabbatho post nativit. Mariæ (8 Sept.) Arnstadium fortuita occasione venisse, & rogatum esse, ut aliquos sermones, ex veteri more in foro haberet: id se, quoniam muneris sui fuisset, non recusasse, proposuisse autem voluntatem Dei ex Evangelio, septem concionibus, præsentibus civibus, magnoque aliorum numero, absente verò Comite, monitum deinde ab amicis, ut typis publicaret, quæ dixisset, id se nunc facere, quanquam magna inter vivam vocem & mortuam sit differentia, sensum autem potius, quam verba expressisse, &c.

§. XLI. Quibus autem editis scriptis per annos 1522. & 1523. ipse Lutherus causam Reformationis adjuverit, ut enarremus, necesse non est, cum hic otia nobis fecerit Illustris SECKENDORFIUS, nisi, quod unicum illud præteriri non debeat, Lutherum cum sociis, quos sibi Wittebergæ junctos habebat, illis ipsis annis præcipuè occupatum fuisse in arduo illo *Versionis* BIBLICÆ opere; De quo nobili certè argumento, quodque Jo. Sleidanus sicco pede, dubium quibus rationibus, transmisit, paucis nobis est agendum: Lutherum in ipsa arce *Wartburgensi* (a) jam manum operi admovisse, duæ ejus edocent epistolæ, altera ad Langum data (b) d. XVIII. Decembris anni 1521. altera ad Nicolaum Amsdorfium (c) mense Januarii anni 1522. Et diligenter incubuerat in ista solitudine (d) sua Lutherus per totam æstatem anni 1521. excolendæ linguæ Hebraicæ atque Græcæ, ut Versioni, quam meditabatur, parem se præstare posset. Extabant quidem Bibliorum Versiones quædam. Germa-

ni-

(a) vid. §. XX. p. 38.
(b) vid. LUTHERI Ep. T. I. ep. 204. ubi tamen annus 1520. mendosè adscriptus est, cùm scribi deberet 1521.
(c) vid. LUTHERI Ep. T. II. p. 45. b. & §. XXXI. pag. 67.
(d) confer. SECKENDORF. p. 204. a. cujus auctoritate hæc scribuntur.

cæ (a), sed è Vulgata expressæ, quinimo & nullo populi fructu, cui nec legi permittebantur, nec ob styli & typorum horriditatem satisfacere poterant: Huic itaque malo ut succurreret Lutherus, operam cumprimis dabat, eumque in finem jam A. 1517. *Psalmos* 7. pœnitentiales ipse ex versione Reuchlini in Germanicum transtulerat (b), atque antequam Wormatiam proficisceretur, totum *Psalterium*, Johannis Langi, Theologi Erfordiensis opera adjutus converterat, quod jam 1521. præter Lutheri voluntatem Basileæ impressum fuit; (c) Sed in ipsa arce totus fuit in vertendo *Novo Testamento* (d) quod ab initio A. 1522. per partes (e) & mense Septembri totum prodiit: *Veteris* autem *Testamenti* translationis, cui interim incredibili labore & diligentia insudabat (f), nihil hoc anno 1522. lucem aspexit: Quandoquidem Anno demum 1523. Veteris Testamenti pars prior, *Pentateuchum* quæ complectitur, prodierit, atque etiam pars secunda, quæ

(a) vid. Introduct. nostr. §. IV. pag. 6. not.

(b) vid. LUTHERI Epist. T. 1. p. 33. b.

(c) vid. LUTH. Ep. ad Ge. Spalatin. T. 1. ep. 213. p. 306. Atque hæc prima Psalmorum versio magni hodie æstimatur, licet à puritate idiomatis Germanici, quod textui Hebraico nimis inhæret, sit alienior.

(d) Id discimus ex literis ejus post reditum ex arce 1522. ad Spalatin. Tom. II. p. 55. b. „ Non solùm *Johannis Evangelium*, sed totum *Testamentum novum* in Patmo mea verteram. Verùm omnia nunc elimare „ cœpimus Philippus & ego, & erit Deo volente dignum opus. „

(e) Est mihi A. 1522. per partes editum exemplar *Novi Testamenti*, ita ut quatuor *Evangelia* cum *Actis* separatim, dein *Epistolæ* omnes & denique *Apocalypsis*, sint edita, Witebergæ in fol. quodque ea sit editio omnium prima, etiam non addito impressionis anno, patet ex insigni differentia, quæ intercedit inter hanc & inter editionem A. 1524. Witebergæ curatam prelo & typis Melch. Lottheri fol, quam itidem servo: Utriusque autem editionis eadem præfatio distinguit *inter libros* N. T. *majoris & minoris pretii*, quinimo Epistolam Jacobi disertè *stramineam* esse *Epistolam* pronunciat.

(f) Sic enim d. 2 Novemb. 1522. ad Spalatin. scribit: „ p. 94 In vertendo Veteri Testamento sum modo in *Levitico*: incredibile est etenim, „ quam me hactenus literæ, negotia, societates & multa alia impediverint. „ Sed jam statui domi me claudere & festinare, ut ad Januarium *Moses* sub „ prælum mittatur. Nam *hunc* seorsim edemus, deinde *Historias*, ultimo „ *Prophetas*. Sic enim partiri & paulatim emittere cogit ratio magnitudinis „ & pretii librorum. „

quæ à *Josua* usque ad *Esthera librum* se extendit (a); sed anno sequenti accessit pars tertia, uti in ipso appellatur titulo (b), complexa *Jobum*, *Psalterium Davidis* (c) & tres *Salomonis* libros; Saltem quòd in *Jobo*, mense Martio 1524. demum occupatus fuerit multa cum difficultate, scribit ipse his verbis ad Ge. Spalatinum (d): „ In transferendo Hiob tantùm est nobis negotii, ob „ styli grandissimi granditatem, ut videatur multò impatientior „ translationis nostræ esse, quam fuit consolationis amicorum, „ aut certè perpetuò vult sedere in sterquilinio. Nisi fortè id „ voluit auctor libri ejus, ne unquam transferatur, ea res moratur præla in hac *tertia parte* librorum. „ In *Prophetis* verò deinceps transferendis, quòd majus temporis spatium fuerit insumtum, ipse iterum docet LUTHERUS, scribens die altera post ascensionis festum 1528. ad Spalatinum: (e) *Prophetas molimur vel parturimus potius in vernaculum. Esaias primus laboratur diligentia vertendi & illustrandi*, & Dominica post Barnabæ ejusdem anni ad Wencesl. Linccum: (f) „ Nos jam in prophetis vernaculè dandis sudamus, Deus, quam molestum & quantum „ opus, Hebraicos scriptores cogere Germanicè loqui, qui re„ sistunt, quam Hebraicitatem suam relinquere volunt, & bar„ bariem Germanicam imitari. Tanquam si philomela cucu„ lum cogatur deserta elegantissima melodia, unisonam illam „ vocem detestans, imitari. „ Integrum saltem *Bibliorum* Volumen A. 1534. editum demum fuit, dein 1541. & 1545. recusum non sine emendationibus (g), quas amici ejus ipsi suppeditarunt.

M Ha-

(a) Hujus utriusque partis editionem omnium primam Witebergæ editam servo.

(b) Quam itidem mea servat Bibliotheca, non tamen ex editione Witebergensi, sed Basileensi per Adamum Petri fol. A. 1524.

(c) Circa Psalterium notari debet, hanc esse illam Versionem, quæ strictius Hebraismos servavit, & à qua deinceps A. 1531. ipse Lutherus aliam adornando versionem secessit.

(d) vid Epist. Luth. T. II. p. 183. b.

(e) v. LUTH. Ep. T. II. p. 378. a.

(f) v. Ep. LUTH. T. II. p. 387. a.

(g) De glossis verò marginalibus, quæ primis hujus versionis editionibus

Habuit verò etiam in ipso opere adjutores Lutherus, *Johannem* BUGENHAGIUM Pomeranum, *Justum* JONAM, *Philippum* MELANCHTONEM, *Matthæum* AUROGALLUM, quin imò & alios (a), dum interea *Georgius* RORARIUS correctoris vicem subiret. Cæterùm, dici nequit, quanto labore opus hoc Luthero constiterit, cui, ut gemmarum nomina (b) cum coloribus & aspectu conciliaret, ex aula rogatu ipsius missæ fuerunt per Spalatinum gemmæ multifariæ, una cum nominibus gemmarum Germanicis, uti & per eundem tanquam concionatorem aulicum, rapacium avium, ferarum, & reptilium nomina (c) addidicit. Quid? quod consulti fuerint sæpe cives & opifices, & quatuor sæpe septimanarum spatium uni vocabulo commodè reddendo fuerit impensum. In *Jobo* saltem Lutherus, Melanchton & Auro-gallus, qui tum Hebraicæ linguæ Professor erat in Academia Witebergensi, ita elaborasse dicuntur, ut sæpe per quatuor dies vix tres lineas transtulerint; Neque adeo mirum videri cuiquam potest, quod tanti semper inter renati Evangelii confessores & asseclas hæc habita fuerit Versio, ut si nihil aliud omni in vita præstitisset Lutherus, satis hoc unum

bus adjectæ leguntur, notari debet, eas partim ipsi LUTHERO, partim *Ge.* RORARIO deberi, juxta illud Adr. Baieri in nomenclatura Professorum Jenensium, p. 448.

Cuncta revidisti Lutheri scripta, Georgi
Rorari, sacri ros adamate soli.
Atque notavisti sacras in margine glossas,
Quas hodie nobis Biblia sacra ferunt.

(a) Sunt notabilia verba Ev. REINHOLDI in Orat. de Vita Crucigeri T. III. Declamat. Melancht. p. 815. Etsi Lutherus Hebræam linguam probè callebat, tamen quia collationem judiciorum sciebat non adspernandam esse, adhibuit viros in ea lingua præclarè eruditos, Math. Aurogallum, Crucigerum & Joh. Forsterum. Hos & Judices in obscuris locis & suæ fidei ac diligentiæ testes habere voluit, add. SECKENDORF. l. c. p. 204. b.

(b) v. LUTHERI Ep. T. II. p. 55. b.

(c) v. LUTH. Ep. T. II. p. 171.

unum suffecisset ad æternam viri commendationem, & jam plus satis ille Germaniæ, omnique vicino Europæo orbi profuisset; Quæ res *Joh. Bugenhagium* Pomeranum induxit, ut quotannis cum familia sua illum diem per hymnos & sacras gratiarum actiones egerit festum (a), quo ultimam manum versioni primùm absolutæ imposuit Lutherus; Est autem hæc ipsa Versio in varias jam inde ab A. 1523. linguas exoticas transfusa, & cumprimis in dialectum Saxoniæ inferioris, Pomeranicam, Suecicam, Finnicam, Lapponicam, Sorabicam seu Venedicam, Esthonicam & sim. Interim, quantacunque Lutheri, & reliquorum virorum doctorum & eruditio fuerit & cura, tamen affirmandum est, nævis non carere multiplicibus hanc ipsam Versionem (b) eamque emendationem poscere & admittere, quin imo varias quoque subiisse censuras, non æque tamen omnes aut solidas, aut probè fundatas, in quem verò campum nos non immittimus.

§. XLII. In *Noribergensibus* Imperii comitiis, quæ à fine superioris in hujus anni initium continuabantur, fervebat omnino religionis negotium, inprimis postquam legatus Pontificius *Franciscus*

(a) v. CONRING. Ep. ad Augustum p. 62. ap. FABRIC. Centifol. Luther. p. 177.

(b) Quod restat, inquit Cel. C. M. PFAFFIUS Hist. Th. liter. T. 1. p. 132. vellemus utique, ut editio talis Versionis Germanicæ B. Lutheri imprimeretur, quæ exactissimè quoad omnia referret editionem illam Wittebergensem annis 1544. 1545. impressam, quæ ante mortem Lutheri fuit absoluta, ubi in notis optarem addi, (1.) Variantes lectiones ex editionibus Bibliorum Germanicorum ante & post Lutheri mortem, his verò saltem præciquis supra nominatis extrahendas: (2.) Emendationes textus Germanici ex textu originali, sed iis saltem in locis, ubi ἐξαγώνιος est error, ubi & Lutherus, vel Vulgatam, vel Græcam versionem est secutus, ubi alia puncta legit, ac in codice Hebræo sunt, ubi & confudit literas Hebræas, *Resch* cum *Dalet*, *Aleph* cum *Ajin* & vicissim, ubi nomina *propria* in *appellativa* mutavit, ubi *antiqua* vocabula *Germanica* apparent, quorum sensus hodie vulgo sciri desiit, ubi *omissa* quædam ex textu originali fuêre vel illi *addita*, ubi ejusmodi habentur expressiones, quæ vix quadrant, e. g. 1 Chron. II: 22. ubi Lutherus vertit: *Segub aber gebahr Jair*, quod primus mutavit B. CALOVIUS in Bibliis Luneburgensibus 1683. posuitque *Zeugete*. &c. &c.

ciscus CHEREGATUS accesserat, cui præter illas, quas diximus (a) literas, formulam quandam actionis dederat Pontifex (b), quam is publicè tum prælegisse in consessu Ordinum dicitur. In hac Instructione, præterquam quod Luthero multa falsissimè objicerentur, confessio corruptelarum sedis Romanæ & necessariæ reformationis, notanda est præcipuè, quas & apertè agnoscebat Papa & earum emendationem se procuraturum aliquando promittebat, ut ipsa Romana sedes, quæ causam damni dederat, medicinæ præberet & salutis initium, sed requiri tempus, atque *pedetentim* esse agendum, ne repentino quodam studio medendi gravior excitetur motus, aut ne nimium emungendo eliciatur sanguis, &c. &c. His itaque rebus ad concilium illatis, Principes ac Ordines dederunt responsum, de rebus aliis aliter, sed de Lutheri causa hunc in modum: (c) „ Si quid ex „ ejus doctrina sit ortum incommodi in Germania, graviter il- „ lud & molestè, pro eo ac decet, sese ferre, cupere etiam ei „ malo medicinam facere: nam ut ipsi atque Cæsari morem ge- „ rant, id agnoscere sui esse officii, nec in eo velle à suis dege- „ nerare majoribus: quòd queratur, non esse de illo sumptam „ pœnam ex formula decreti Cæsaris, id non levi de causa præ- „ termissum: omnes enim ordines gravissimè conqueri de Curia „ Romana, & plerosque omnes Lutheri concionibus atque li- „ bris ita nunc esse eruditos, ut, si decretum illud adversus ip- „ sum valere debeat, maxima sit inde dubio procul oritura sedi- „ tio, & fore, ut plurimi sic interpretentur, quasi eò fiat, ut „ op-

(a) vid. §. XXX. p. 60. 61. 62.

(b) Hanc SLEIDANUS breviter exponit p. 47. b. 48. 49. a. Sed *Edm.* RICHERIUS eandem libro quarto *Historiæ Conciliorum* totam subjunxit, additis egregiis monitionibus, in quibus demonstrat, quam necessaria fuerit, quam in hac instructione promittebat Adrianus, Ecclesiæ Reformatio, quantaque cum infelicitate tam benè animatus Pontifex eo ipso anno è vivis sublatus fuerit. Et Lutherus ipse hoc scriptum postea sermone vulgari convertit, & additis in marginem annotatiunculis, illud, quod Pontifex ait, *pedetentim* oportere procedi, sic accipiendum esse dicit, *ut singuli pedes atque passus intervallum* habeant *aliquot seculorum*, referente SLEIDANO p. 49. a.

(c) vid. SLEIDANUS p. 49. b.

„ oppressa veritate & extincta Evangelii luce, manifesta vitia, „ quæ tolerari diutius aut dissimulari non possunt, defendantur: „ quæ quidem persuasio certissimum sit excitatura populi contra „ magistratum rebellionem: negari enim non posse, ac ipsum „ quoque liberaliter fateri, multa perperam ac vitiosè Romæ „ fieri, cum maximo reliquarum gentium ac provinciarum in- „ commodo, nec absque detrimento religionis: quòd ergò non „ dissimulet neque morbos excuset Romanæ Curiæ, quòd emen- „ dationem quoque promittat, & omnibus ex æquo jus reddi- „ turum esse confirmet, summam id laudationem mereri, præ- „ sertim, si re ipsa, quod verbis & oratione pollicetur, præ- „ stet: quod ut faciat, orare se plurimum: alioquin enim nul- „ lam firmam aut diuturnam posse constitui pacem. Quod in- „ super consilium ab ipsis petat in hac religionis mutatione, si „ quid pro salute Reipublicæ possint in medium consulere, fa- „ cturos id cum libenter, tum ex officio: nunc ergo, cum non „ solùm de Lutheri dogmate sit agendum, verùm etiam de mul- „ tis aliis gravissimis erroribus atque vitiis, quæ longa consuetu- „ dine robur assumserint, & depravatis hominum judiciis atque „ moribus jam excusentur, quod & ipse fateatur, videri sibi „ non aliam esse commodiorem viam hæc omnia sanandi, quàm „ per pium, liberumque Concilium, quod ipse & Cæsar, præ- „ cipui orbis Christiani magistratus, facilè possint in aliqua Ger- „ maniæ civitate cogere: Moguntiæ videlicet, vel Argentora- „ ti, vel Meti, vel Coloniæ: fore etiam ex utilitate Reipubli- „ cæ, si primo quoque tempore & ad summum intra annum „ ejus fiat initium: sed hac lege tamen & conditione, ut omnes „ pariter, qui intererunt, cujuscunque sint ordinis, data fide „ per jusjurandum promittant, quicquid ad gloriam Dei & ad „ salutarem Reipublicæ constitutionem pertinere videbitur, ut „ id absque dissimulatione & liberè pronuncient: nam fore alio- „ quin, ut concilium habeatur suspectum, & aliquantò plus ad- „ ferat incommodi, quàm boni: quòque magis id fiat, se datu- „ ros operam, ut Lutherus interim & alii nihil emittant libro- „ rum, in eóque sperare se, Fridericum Saxoniæ principem, „ laudatissimum virum, ipsis velle gratificari: curaturos etiam,

„ ut concionatores nihil præter Evangelium doceant, ídque purè & modestè, juxta probatas & ab Ecclesia receptas interpretationes: item, ut pro concione nihil dicant, quod populum vel adversus magistratum excitare, vel in errorem ullum abducere possit: adhæc, ut controversias graviores, neque populo admodum necessarias prætereant, & ad concilii notionem reservent: ad eam autem rem cognoscendam oportere constitui ab Episcopis homines idoneos, qui leniter illos, quum opus erit, & ita castigent, ut ne qua possit oriri suspicio, quasi conentur Evangelii cursum impedire, qui verò admoniti non obtemperabunt iis hoc non fore impune: postremò effecturos, ne quid novi deinceps typographi excudant, & ut certi homines, viri docti & boni, quos singuli magistratus, in sua quisque ditione ad eam rem constituent, judicium faciant, & quod ipsis improbabitur, divendi prohibeant: hæc sibi videri ad reconciliationem animorum & ad emendationem esse idonea: nam etiam ut non omnia statim emendentur, tamen progressionem aliquam interea posse fieri, donec authoritate concilii reliqua definiantur. Quod ipsius legatus inter alia dixerit de Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris, qui uxores in matrimonium ducunt: quoniam jure civili nulla sit iis proposita pœna, videri ipsis non alienum, ut, qui deliquerunt, ex præscripto juris pontificii mulctentur: tandem orant, ut hanc suam de singulis rebus sententiam boni consulat: proficisci enim ab animo sincero & Reipublicæ studioso, & Pontificiæ dignitatis observantissimo. „ Ceterùm, cum de hoc inter Legatum & Status disceptaretur, commodum ducebatur, ex decreto d. VI. Martii 1523. facto, ut *centum Gravamina nationis Germanicæ* (a) contra sedem Pontificiam, legato, qui ea Papæ traderet, exhiberent: Neque autem hæc gravamina à solis Lutheri asseclis erant composita, sed cum jam in paulo præcedentibus Comitiis & sub Imperatoribus præcedentibus meditata, id

(a) De his singularis exstat tractatus *Jac. Frid.* GEORGII editus Lipsiæ 1725. 4 Extant ea verò apud GOLDASTUM, HORTLEDERUM, SCHILTERUM, & alios rerum Germanicarum scriptores.

id omne continerent, quod libertati Germanorum per Pontificum tyrannidem à multis retro seculis ademtum erat (a), tum Imperii Ordines omnes, tum ipse Cæsar Carolus V. subscriptione nomine suo facta, in eadem consenserant. Sic igitur horum Comitiorum exitus Lutheri partibus minimè gravis fuit (b).

§. XLIII. Intereà verò, cum Decretum illud Imperii Noribergæ factum, alii aliter acciperent, plerique etiam contemnerent, LUTHERUS datis literis ad Principes, reverenter & magna cum voluptate se legisse illud (c), & Ecclesiæ quoque Witebergensi profuisse dicit; verùm insidiis & arte diaboli fieri, ut auctoritas ei derogetur, nam ex prima etiam nobilitate quosdam esse,

(a) Conf. HAHNE in Histor. Sacror. à Luth. emendator. p. 54.

(b) Conf. SECKENDORF., qui L I §. CX. & seq. p. 253-262. varia ex Actis Archivi fideliter excerpta ad horum comitiorum Historiam spectantia suppeditat, ac tandem hunc in modum finit: „ Hæc Comitiorum „ Acta expendentes, mirum providentiæ divinæ ordinem observabunt, quo „ factum est, ut nec opprimi veritatis renascentis lux posset, neque tamen „ iis proficeret, qui inveteratis erroribus inhærere malebant. Videbant „ Imperii Proceres, nævos plerosque Hierarchiæ, eosque in centum illis „ gravaminibus, multa cum libertate ostendebant, ita ut nec illi querelas „ improbare possent, quorum interesse videbatur, ne fierent. Omnium „ enim conscientia eatenus informata & convicta erat, ut Concilio opus „ esse unanimiter statuerent, utque jam rigorem illum, quo Wormatiæ „ Lutherum, ejusque dogmata præcipitanter tractaverant, intempestivum esse „ agnoscerent. Doctrinæ publicæ, quæ ad populum erudiendum pertinet, „ emendationem, sive verbi divini sinceram propositionem & piam expli- „ cationem, uno ore flagitabant, quo ipso abusus priores evidenter argue- „ bantur. Quid autem hac rerum facie Pontifici, pro Pastoris universa- „ lis, quod gerere se dicebat, officio, magis curandum agendumque fuis- „ set, quam ut justissimis desideriis inclutæ nationis, cujus exemplum jam „ aliæ plurimæ probare & sequi incipiebant, & dum ex Proceribus nemo „ adhuc obsequium ei apertè denegaret, aures benignas præberet, viasque „ & modos vel proponeret vel admitteret, per quos ante omnia veritati di- „ vinæ satisfieret, dein & concordiæ & tolerantiæ in iis rebus ratio habere- „ tur, quæ salva veritate, cum aliquo licet commodi clericalis dispendio „ mutari potuissent. „

(c) Extat is Lutheri libellus non solùm Germanicè in Tom II. Altenb. fol. 290. Sed & Latinè Tom II Lat. Witeb fol. 387 Est ejus titulus: *Wieder die Verkehrer des Kayserlichen mandats.* Martinus Luther.

esse, qui & nolint obtemperare & varias interpretationes affingant. Quòd

(1.) Evangelium doceri jubeant (a) secundum interpretationes ab Ecclesia receptas, à plerisque sic intelligi, docendum esse juxta morem hucusque usitatum, ex præscripto Thomæ, Scoti & aliorum, quos Romani Pontifices approbarunt: se verò de vetustioribus illis accipere, Hilario, Cypriano, Augustino, & horum similibus. Ac ne his quidem tantam esse tribuendam fidem, ut non longè præferantur Biblica scripta; non dubitare se, quin & hæc sit ipsorum sententia: & argumento esse, quòd nonnulli, qui veram Ecclesiæ emendationem ferre non possunt, recusarint huic edicto subscribere, & ne nunc quidem illud suis proponi patiantur.

(2.) Ut Episcopi deligant homines idoneos, qui concionibus adsint, & leniter admoneant, si quid erit: rectè quidem esse decretum, sed illos, quibus mandatum sit, etiam ut velint, tamen non posse decreto satisfacere, quòd viris doctis careant, & illis utantur, qui præter sophistica nihil unquam didicerint; Quòd interdicant, ne quid librorum deinceps exeat, nisi prius viri docti ad eam rem delecti judicium fecerint, non se recusare quidem, sed tamen sic illud accipere, ut ad Sacræ Scripturæ libros non pertineat. Quò minus enim hi prodeant in lucem, non posse prohiberi. Quòd

(3.) Statuerint de Sacerdotibus, qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, juxta leges pontificias mulctandis, nimis hoc esse durum: nam si purè docendum sit Evangelium, ut ipsimet fatentur, jam certè mitigandam esse legem illam pontificiam. Deplorat deinde nostri temporis miseriam ac pertinaciam, quòd in hac tam clara Evangelii luce non abrogetur lex illa durissima cœlibatus, quæ plurimorum & gravissimorum scelerum occasionem atque causam præbeat: ipsos tamen, qui pontificia pœna contenti sint, propter eam moderationem admodum esse laudandos, illos verò, qui sacerdotes ob contractum matrimonium vel professionem desertam carcere & vinculis

(a) vid. SLEIDAN. p. 52. b. 53. a.

lis & omni suppliciorum genere excarnificatos interficiant, magnopere detestandos. Orat igitur principes, quandòquidem adversarii non pareant huic ipsorum decreto, sed magna quadam licentia & impunitate resistant, ut iis etiam ignoscatur, qui naturæ quadam imbecillitate, ne conscientiam suam ipsi lædant, aut in manifesta vitia ruant, postremum hoc ipsorum decreti caput non exactè servabunt: valde enim esse iniquum, ut illis præpotentibus impunè liceat ea violare, quæ facillimè servare & possint & debeant, aliis verò tenuioribus pœnam infligi, ob violatam legem, quam ut servent, non sit in ipsorum potestate: nec enim omnibus esse datum continentiæ donum, & quæ fiunt de castitate vota, non solùm esse stulta, verùm etiam contra bonos mores ac vitæ honestatem omnem. Quicquid sit, ipse Cæsar per literas (a) cum Principibus de facto hoc decreto iracundius expostulavit, & per legatum prorsus id infringere connisus est. Sed nec Cæsaris & Pontificis rigor, nec Principum moderatio cursum Evangelii morari potuerunt. Longè enim aliter in cœlo, quam Noribergæ de hoc negotio fuisse conclusum, scitè ad Fridericum Electorem Saxoniæ scribebat Lutherus. Itaque certatim Principes & civitates Pontificiæ religionis mutationem admiserunt.

§ XLIV. Ipse Lutherus ineunte anno 1523. libellum *de Potestate seculari* (b) emittebat, inscriptum Johanni, Saxoniæ duci, Electoris Fratri, quo Magistratus politici, ut superiori anno Ecclesiastici ordinis, munia ad examen revocabat, veramque ac rectam ejus indolem ostendebat; Negari autem non potest, hunc Lutheri librum quibusdam visum fuisse nimis illam potestatem (c) imminuere, unde & multiplici calumniæ dedit ansam, referente in Comitiis Georgio Saxoniæ duce, Principes in hoc libro convitiis proscissos fuisse (*wären schälke und buben gescholten*) & adscribentibus quibusdam ejus lectioni, motus illos, quos postea per Germaniam suscitarunt rustici, uti quan-

 do

(a) SCULTET. p. 142.

(b) Titulus libri Germanico idiomate conscripti est: *Von Weltlicher Obrigkeit, wie weit man ihr gehorsam schuldig sey.*

(c) vid. SECKENDORF. L. 1. §. CXXVII. p. 211. Addit. II. (a) qui egregia nobis ex hoc libello suppeditat excerpta lectu dignissima.

do v. gr. *Mirandum non esse*, ait, *quod Principes adversus Deum & Evangelium sæviant*, *id enim iis consuetum ab initio mundi fuisse*, *nihilque rarius quam pium Principem*, *imo pro miraculo habendum esse*; Et deinceps, *se de Principe loqui*, ait, *qui Christianus esse & cœlum intrare velit*, *quanquam id rarò fiat* (a) &c. Emisit tum quoque *de instituendis Ecclesiæ ministris* librum (b), rogatu quorundam ad Senatum Pragensem Calixtinis addictum, ceteroquin autem Papæ adhuc adhærentem, eique scriptum adjungit, quo demonstrat, Ecclesiam habere jus ac potestatem judicandi de quavis doctrina, & constituendi ministros. Prius autem definit Ecclesiam, eamque dicit esse, ubicunque purè docetur Evangelium; Episcopos autem & id genus alios proceres ait esse statuas & capita sine cerebro, nec ullum esse in ulla gente vel populo, qui suum faciat munus, in Germania præsertim. Eodem prope tempore scripsit (c) etiam *de Doctrinis hominum vitandis*, ac præfatus, ait, hoc scripto se minimè patrocinari illis, qui leges & traditiones hominum audacter quidem contemnunt, sed interim, quod sit hominis Christiani, nihil agant. Editus tum quoque est tractatus (d) *de abominatione Canonis Missæ* Germanicus. Porro ad Equites ordinis Teutonici ob impudicitiam malè audientes tum edidit *Parænesin*, quæ ipsa in Borussia effectu non caruit. In *Johannem Cochlæum* quoque invectiva (e) tum prodiit, ne varia commemoremus alia: Nam & formula Missæ & communionis à Luthero tum est edita, in qua, (f) mirum dictu, omnes ritus usitatos, introitum ex Psalmis, Kyrie, Collectam, Epistolam, Sequentiam, Evangelium, Symbolon, Concionem, Preces, Præfationem, Sanctos, Precationem Dominicam, Verba Cœnæ, Elevationem, Agnus Dei, Gratiarum actionem retinet. Canonem verò Missæ, transformantem cœnam Domini in sacrificium

(a) Dicit ibi: *Ein fürst ist ein wildpret im himmel.*
(b) SLEIDAN. l. iv. p. 53. a.
(c) SLEIDAN. ibid
(d) *Vom Grewel der Stil-messe*, *so man Canon nennt.* Conf. SLEID. l. c.
(e) Ex hac excerpta quædam nobis dat SECKENDORF. §. CLX. p. 283, 284.
(f) SCULTET. ad A. 1523 p. 163, 164. Hujus libelli exordium integrum dat idem SECKENDORF. §. CXXXVI. pag. 233.

ficium pro vivis & defunctis prorsus omittit. Atque hæc fuit prima ab ipso Luthero tentata Reformatio rituum Missæ & communionis in Ecclesia WITEBERGENSI, quanquam Carolostadius (a) tale quid etiam ante hoc tempus ausus fuerat. Revocata autem est in usum Confessio auricularis, & privata Absolutio, quam Carolostadius aboleverat.

Ad Fridericum Saxoniæ Electorem (b) vir quidam doctus libellum scribit Germanica lingua, quo docet: tres esse capitales errores, quibus in Papatu Christiani fuerint seducti. (1) De libero arbitrio, quod revera sit servum arbitrium. (2) De meritis operum, quæ potius sint fidei. (3) De traditionibus hominum, cum in solo Dei Verbo fuerit acquiescendum. Huic libello *Nic.* AMSDORFIUS præfationem præfixit, qua demonstrat è scripturis: *Papam esse AntiChristum.* Hoc eodem anno (c) publicabatur & alius libellus, suppresso auctoris nomine, in quo docebatur, quam horribiliter doctrina Christi de castissimo Dei cultu, precatione, depravata fuerit in Papatu, dum à vero Deo ad venerationem creaturarum homines sunt avocati. Hujus generis complures alii libelli Germanica lingua (d) prodierunt hoc anno, quibus velut è profundo somno sensim suscitabantur, qui in idolomania Pontificia indormierant.

§. XLV. Propriè tamen, dici non potest, quod in Saxonia ipsa, ante Annum 1525. nempe post Friderici Electoris mortem, sicque sub fratre ejus Johanne, publicè fuerit recepta Religio Evangelica, nedum in aliis Germaniæ Ducatibus, nisi uni Ducatui BIPONTINO, qui pars est Palatinatus, sed ab Electoratu secreta, hanc gloriam asseramus; Is enim primus inter

 omnes

(a) vid. §. XXXI.
(b) SCULTET. l. c. p. 164.
(c) SCULTET. ibid.
(d) Horum libellorum numerum satis copiosum cum Bibliotheca asservet Guelpherbytana, tum non possumus non *Herm v. d.* HARDT, Viri Doctissimi, laudare diligentiam ac laborem, qui horum omnium nobis titulos dedit atque indicem in illo opere, quod sub tit. *Autographa Lutheri* &c tribus partibus sibi invicem succedentibus prodiit, Brunsvigæ 1690, 1691. & 1693. in 8.

omnes auctoritate Principis sui, LUDOVICI Comitis Palatini, jam A. 1523 Evangelicam susceptit religionem; Estque adeò Ludovicus Ducis Wolfgangi Pater, inter primos imperii (a) Proceres censendus, qui Evangelium sunt amplexi; quippe qui A. 1523. fæces fermenti Papistici ex ditionis suæ Ecclesiis expurgavit, missificos omnes eliminavit, & quoad inter initia fieri potuit, doctrinam & cultum ad normam verbi Dei composuit. Qua in re usus est ministerio *Johannis* SCHWEBELII, qui Landsteinio, ubi cum HUTTENO, Equite Franco, cum BUCERO & *Caspare* AQUILA (b) apud inclytum illum Heroa *Franciscum à* SICKINGEN vivebat, Bipontum evocatus fuit, quippe cui & conficiendi jam tum Ordinationem Ecclesiasticam Bipontinam est demandatum, uti varia ejus extant de Religione reformanda Ludovico Principi data consilia (c) Nam & is auctor fuit Principi, ut *Joh. Sturmium* Argentoratensem Doctorem prudentissimum in negotiis Ecclesiasticis consuleret, qui & ipse consilia sua ad Ecclesiarum Bipontinatus rationem direxit, uti ex Actis publicis (d) Germanicorum Operum Schwebelianorum collucescit. Intercedebant quidem vicini Episcopi, maximè Trevirensis, & Principem minis ab instituto dimovere conabantur, sed frustra, tuentibus etiam ab obitu ipsius, qui incidit in Annum Christi 1532. novellam Reformationem fratre RUPERTO, tutore filii ipsius Wolfgangi, atque ipso quoque WOLFGANGO, qui provinciæ gubernationem adiit A. 1544. Sed

(a) Ita *Henr.* ALTINGIUS in Histor. de Eccles. Palatin. p. 40. edit. ult. conf. STRUV. in Histor. Eccles. Palatin. p. 27, 28.

(b) Legitur hic equidem Agricola, uti & apud SECKENDORF. p. 131. hæc Altingii verba eodem modo ex MSS. afferuntur, sed ita, ut certum sit, non Agricolam, sed Aquilam hic intelligi, *de cujus vita & scriptis* extat Tractatus singularis.

(c) Conf. STRUV. l. c. & Melch. ADAMI in vita Schwebelii pag. 30.

(d) Non ex hisce solùm, (quæ an lucem viderint, ignoramus) sed & ex aliis rationibus, quænam & qualis fuerit Reformatio Bipontina omnium prima colligitur, talis nempe, quæ plene planéque cum doctrina Reformatorum superioris Germaniæ consentiret.

Sed &, ALBERTUS Marchio Brandenburgicus (a) Magister ordinis Marianorum Teutonicorum in Borussia Orientali post Comitiorum Noribergensium exitum, consilia emendandæ religionis Pontificiæ & instituendæ purioris doctrinæ, (cujus ab Andrea Osiandro, qui Noribergæ tum publicè docere cœperat, semina imbibit), primum suscepit, & per Georgium à Polentia, (b) Episcopum Sambiensem, ipse ex Borussia absens pertexuit. Ipse Dux Albertus (c) Noribergam proficiscens Lutherum in Saxonia salutaverat, jamque cum ipso de regimine Prussico in melius commutando consilia contulerat, quæ res Luthero præbuit ansam, ut Epistolam ad Equites ordinis Teutonici scriberet (quam diximus §. XLIV.) eosque ad conjugia contrahenda invitaret. Anno itaque 1523. misit Lutherus, postulante Alberto, duos in Prussiam Theologos, *Jo.* BRISMANNUM (d) & AMANDUM. Ille, primam Evangelicam habuit

(a) Hac occasione & de Borussia quædam & de Equitum Teutonicorum in Borussiam adventu & gestis refert SECKENDORFIUS p. 296. qui & suo tempore circa finem scilicet seculi superioris decimi septimi 386. populosas parochias Lutheranas ibidem florere observat.

(b) Fuit is *Georgius Polentz*, cujus elogium habet LUTHERUS Epistolar. Lib. ii. fol. 286, 287. ex familia in Misnia & Lusatia nobili ortus, Episcopus tum Sambiensis: Erat enim in quatuor Episcopatus divisa tum regio Borussica, *Culmensem*, *Warmiensem*, (qui duo nunc Polonici juris sunt) *Pomezaniensem* & *Sambiensem*, quos sub Ducibus postea, Præsides & Superintendentes & Consistoria administrare cœperunt, cedentibus aut abolitis Episcopis.

(c) Ita hanc causam exponit HARTKNOCHIUS in Diss. xiv. de rebus Prussicis p. 246, 247.

(d) *Johannis* BRISMANNI, Cotbusii in Lusatia nati, Lutheri discipuli vitam singulari studio descripsit *Th. Sigfr.* BAYER Antiquit Prof. Petropolitanus insertam parti xvii. & xxvii. *des Erläuterten Preussens.* Is inter varias ac multiplices Commendatorum, Sacerdotum, & aliorum Pontificias persuasiones pertinaciter retinentium adversationes & insidias magno & constanti animo, & pietate ac prudentia singulari emendationem Ecclesiarum paulatim provexit, donec accedente publica Principis au-

buit concionem in urbis *Regiomontensis*, (quæ ex tribus oppidis composita primaria Ducum urbs est, egregia arce & æde Pomeranensis dioecesis cathedrali instructa,) templo cathedrali, quod in insula Kniphoviana est die 27. Septembris. Hic (a) verò, in templo veteris urbis primùm pro cathedra Ecclesiastica verba fecit dominica prima Adventus ejusdem Anni, sed postmodum à Senatu veteris urbis ob conciones acriores loco esse dicitur submotus, dum *Brismannus* laboris socios *Paulum* SPERATUM (b) A. 1524. reciperet (c) & A. 1 25. *Johannem* POLYANDRUM; (d) quorum trium virorum ope ab erroribus & idolis Pontificiis repurgata est Borussia (e), uti ipsi hi conjunctis animis & consiliis, summa cum pietatis, constantiæ, moderationis & prudentiæ laude an-

auctoritate, & ordinum cæterorum approbatione forma doctrinæ & rituum certa & æquabilis, ubique in illius partis Borussiæ Ecclesiis constituta est, Obiit is A. 1549. ejus Epitaphium exhibet HARTKNOCHIUS in Histor. Borussiæ Ecclesiast. l. II. c. I. p. 307.

(a) De *Johanne* AMANDO, deinceps Goslariensi Evangelista, ad A. 1528. quædam monebuntur. vid. §. LXXXI.

(b) De *Paulo* SPERATO vid. §. XXXVIII. Est is Auctor celebris illius Cantici, cum quo Ecclesiæ Heidelbergensis Reformatio in templo ad Spiritum S. incepit *Es ist das Heyl uns kommen her*, &c. vid. SECKENDORF. L. I. § CLII. add. I. (a) p. 271. b.

(c) Quando feria tertia post Invocavit, statuæ in templo cathedrali Regiomontensi per pueros & senes sunt dejectæ, & tabulæ altarium ablatæ, idque de consilio Pauli Sperati, uti ex Hennebergeri Chronico addiscimus.

(d) Fuerat is *Eccii* in disputatione Lipsiensi amanuensis ac famulus vid. *Introd. nostr.* §. CVI. p. 254. autor celebris hymni *nun lob mein Seel den Herrn*, vid. SECKEND. p. 271.

(e) SCULTET. p. 144. & p. 204. quo in loco posteriore ad A. 1524. traditur, quod LUTHERUS Commentarium in Genesin *Georgio de Polenzia*, Episcopo Sambiensi inscripserit, quodque Georgius ipso illo anno 1524. civibus Braunsbergicis petentibus concionatorem Evangelicum miserit *Christophorum* quendam, eumque per illustrem Dn. Petrum Burggravium & Comitem à DHONA, Capitaneum Braunsbergensem, populo præsentaverit, addita hac clausula, in sua ad Capitanum epistole: *Wir versehen uns, es sol, ob Gott wil, Christliche Liebe und alles guts daraus entstehen.*

annos amplius viginti Ecclesias illas, puritate doctrinæ & disciplinæ sanctitate & concordia florentes & tranquillas rexerunt & conservarunt. Cæterùm, ut constet, quibus fundamentis hæc præcipue per Brismannum procurata sacrorum Emendatio fuerit innixa, juvat ejus contemplari Theses, quas pro circulari disputatione is ventilasse dicitur; Sunt verò hæ sequentes, (a) 1. *In nobis nihil est periculosius ratione nostra & voluntate.* 2. *Firma fides abstrahit ab omnium creaturarum fiducia, quæ in cœlo sunt, atque in terra, trahitque ad solum Deum.* 3. *Rursus quantum abest fidei in homine, tantum adest tenebrarum & impietatis, aversionis à Deo, conversionis ad creaturam.* 4. *Aversio dicit, Deo non esse curam de hominibus, sed vivendum esse secundum cordium nostrorum consilia.* 5. *Hinc ex Dei ignorantia & impietate, sicut aliarum rerum, ita quoque venerationis sanctorum ortus est abusus.* 6. *Qui a sanctis precantur & exspectant auxilium, idololatræ sunt, etiamsi putent, sese colere Deum.* 7. *Signa tamen & portenta evenire finit Deus, ut tentet nos, an credamus.* 8. *Sic ad seducendos homines, pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ signa magna & prodigia daturi prædicuntur à Christo.* 9. *Ut à spiritu serpentis anei à Mose facti laudatur confractio, itidem & excelsorum (in quibus etiam Deo immolabatur,) destructio.* 10. *Ita hodie in domibus nostris, quas vocamus ecclesias, arularum, adeo multiplicatarum eversio, gratissimum Deo opus foret factum in fide.* 11. *Atque sic forte, deploranda miseraque privatarum, ut vocant, missarum numerositas abrogaretur, in quibus peccatur adeo horribiliter.*

§. XLVI. Sed ut urbis DANTISCANÆ (b) quoque Reformationem attingamus, æquum arbitramur. Anno Christi 1522.

(a) Has nobis suppeditat Doctiss. KAPPIUS in Docum. ad Hist. Ref. P. II p. 595, 596. qui & p 676, 677 datas ad Lutherum A. 1525. literas Brismanni exhibet, in quibus, Deum sibi præter opinionem suam dono dedisse refert puellam conjugem, atque de ipso Episcopo Sambiensi idem quoque refert, eum matrimonium contraxisse cum Virgine Nobili de Truchses &c. &c. Cæterum ex concione *Brismanni* Cotbusiensi quædam refert SECKENDORF. ad h. ann. p. 272. nisi forte Vir Illustris, *Brismannum* cum *Griesmanno* (vid. §. XXXVII.) commiscuerit.

(b) v. §. XXXIX. Sub finem. Hæc iterum omnia ex HARTKNOCHII Diss. XIV. de Rebus Prussicis sunt depromta §. XXVI. p. 248, 249.

1522. erat in veteri urbe sacerdos, cui nomen *Jacobus Finkenblock*. Hic dicto anno d. 13. Julii die S. Margarethæ in monte, *Hagelsberg* dicto, primam habuit concionem Evangelicam maximo cum omnium Auditorum applausu, qui eum postea ad S. Gertrudis deduxere, ubi subtilia suggestu exstructo Dominicis festisque diebus verba ad populum faciebat. Imminente verò hyeme in templo Corporis Christi conciones habebat, ingenti hominum multitudine undique confluente. Cum hoc ipsum Sigismundus I. Rex Poloniæ crebris certisque nunciis intellexisset, frequentibus edictis An. 1523. nimirum in Januario, Februario, Augusto, Septembri, Novembri & Decembri missis, severè mutationem omnem in Religione prohibuit. Itaque *Jacobus Finkenblok* Wittebergam abiit, unde nihilominus paulo post à Cive quodam Gedanensi opulentissimo *von Pelken*, aliisque revocatus est. Proximè subsequente anno (1524.) Episcopus Cujauiensis cum Archiepiscopo Gnesnensi Dantiscum veniens, inquisivit in Sacerdotum doctrinam & mores, cumque aliquem, cui nomen *Paulus*, ad D. Joannis Luthero addictum deprehendisset, in vincula ipsum conjecit, Populus autem Gedanensis cum in urbe, quid ageretur, percrebuisset, palam concursare, fremere, hospitium Episcopi circumsistere, liberationem denique Pauli minis etiam intentatis postulare. Hîc Episcopus cum concitatæ plebis furori resistere se non posse cerneret, reddidit ipsi sacerdotem. Nihilominus neque eo modo securitati suæ satis prospectum animadvertens, clam se ex urbe, infecta re, subduxit. Non cessavit tamen postea variis fulminare interdictis. Plebs autem hæc nihil morata, postquam semel, quantum in viribus suis esset, didicerat, jam palam Sacerdotibus Pontificiis illudere & obloqui. Exemplo est quidam *Bernhardus ab Eyden*, qui D. Alexandrum Ord. Francisci Minoritam An. 1525. die Dominico ante Conversionem Pauli horis matutinis cathedram conscensurum maledictis incessere non dubitavit. Et cum propterea in carcerem esset à Magistratu conjectus, orta est in populo seditio, quæ à meridie demum in nervum erupit. Cum enim in templo B. Virginis *Jacobus Schwartze* concionem haberet, *Johannes Schultz*, non unus ex Magistratu, (ut vult *Paulus Piase-*

se-

fecius in Chron. pag. 48.) sed nauta, ad altare S. Annæ tumultum excitavit, quo concitatus atque inflammatus populus convolare; portas cardinibus suis dimovere, Magistratum veterem deturbare, novumque creare. Hos tumultus ut componeret Sigismundus I. Rex, primò Gedanenses dicto anno, mense Decembri in aulam citat, facti rationem reddituros. Illis autem non comparentibus, ipse Rex itineri se accingit (a), venitque An. 1526. d. 8. Martii *Mariaburgum:* inde d. 17. April *Gedanum* ingreditur, ubi inquisitione instituta *Johannem Schulzium*, cum tredecim aliis, qui tumultus illius antesignani & coryphæi habebantur, capite plecti jubet, Magistratum veterem restituit, aliaque multa successu temporis (quatuordecim enim hebdomadis Gedani commoratus est) mutat. Repressus tunc purioris defæcatiorisque doctrinæ cursus, eò validius posthæc refractis obicibus prorupit, totumque ferè Gedanum fœcundavit. Siquidem An. 1536. *Pancratius Klein* omnium Ordinum consensione incorruptam jussus est docere fidem; nondum tamen ausus est quisquam sacramenta more Evangelicorum administrare. Quin & ipsam Verbi divini puram & ex præscripto Christi & Apostolorum institutam prædicationem inhibere conati sunt plurimi. Nam An. 1544. Gedanum venientes *Samuel Maciejowki* Plocensis *Nicolaus Dzierzkowski* Cujaviensis & *Tidemannus Gise* Culmensis Episcopi, statim *Pancratium* ad se, ut doctrinæ suæ rationem reddat, citant, cumque ille sese sisteret intrepidus, parum abfuit, quin ex urbe abductus fuisset: sed vigilantia populi Gedanensis periculis subductus est innocens. Posthæc Anno 1552. venit Sigismundus Augustus Gedanum, instinctuque Episcoporum Lutheri sectatoribus interdixit, ne suas opiniones disseminare auderent, sed placatus postmodum liberum religionis exercitium indulsit. (b) Hinc An. 1555. (ex quorundam sententia 1556.) in

O tem-

(a) Vid. quædam de hoc Sigismundi in urbem Dantiscanam ingressu apud KAPP. Spicileg. T. II. p. 678. ubi mense Majo A. 1726. id factum, docetur.

(b) Sed & de Gymnasio *Gedanensi* quædam strictim nobis erunt ex Hartknochio l. c. commemoranda. An. 1555. d. 22. Septembr. templum SS. Tri-

demque generis persecutiones atrocissimas ipsis quoque exspectandas præmonet, ad quas sustinendas ut sese præparent, animumque obfirmatum habeant, atque in agnita veritate Evangelica fortiter perseverent; graviter ac piè cohortatur, de fide justificante, & tandem vera ratione bonorum operum, breviter & perspicue eos erudiens.

De *Silesiacarum* Ecclesiarum Reformatione in superioribus actum est, ut nunc solùm adjiciamus, quod LIGNITII (a) jussu Principis Friderici jam hoc ipso anno *Valentinus Crautwald* Græcæ linguæ Lector, magnæque deinceps apud Silesios auctoritatis, publicè Epistolas Paulinas exposuerit, & quod ejusdem Principis cura GOLDBERGÆ illustris schola fuerit erecta, professoribus Witeberga evocatis, *Valentino Trocedorfio* & M. *Joanne Helmerico*.

HAMBURGUM (b) M. *Stephanus Kempe* Franciscanus hoc anno venit, ingenio & facundia (c) & magnitudine animi M. *Ordonem Stifelium* vel *Stemmelium* superans, qui à præfectis Cœnobii S. Magdalenæ ad docendi Evangelii munus in eo templo vocatus, inter acerrimos cum sacrificulis conflictus, magno concursu & applausu civium triennium ferè solus æstum & laborem diei sustinuit, donec *Johannes Zegenhagius* Magdeburgo ad Ecclesiam D. Nicolai, & paulò post *Johannes Fritzius* Lubeca, ad parochiæ D. Jacobi gubernationem vocati, fideliter in Evangelii propagatione Stephanum adjuverunt.

HALAM Suevorum (d) *Joannes Isemannus* Halensis à Senatu vo-

(a) Conf. §. XXXIII. p. 68-71. SCULTET. Annal. 1523. p. 156. Cæterum *Crautwaldi* cum *Schwenkfeldio* commercium epistolicum, inprimis de vero sensu verborum S. Cœnæ, ejusque sententiam de Humanitate Christi, & de novo homine, exponit SALIG. in Hist. Aug. Conf. T. III. L. XI. Cap. I.

(b) v. §. XXXII. pag 53.

(c) SCULTET. p. 160. conf. SECKENDORF. L. I. C. CXXXIX. Addit. III. p. 244, 245. ubi initia Reformationis *Hamburgensis*, ejusque progressus primi breviter & nervosè recensentur ex ipsa Kempii Relatione MSS.

(d) Conf. §. XXXVII. pag. 79. & Scultet. p. 160, 161.

vocatur, ut defuncto pastori succedat. Is non solùm eadem cum Brentio docebat, sed impias Papismi ceremonias abrogare incipiebat. In odium igitur multorum incurrit: præsertim cum Brentius hucusque Missas celebrasset. Ibi tum Brentius publicè se excusavit, rationem sui consilii exponens in hanc sententiam: „ Optimi auditores, audio quosdam vestrûm nostris actionibus „ offendi: & quidem verum est, ego quoque aliquoties Missam „ hîc apud vos celebravi, sed non per omnia sacrificulorum mo- „ re, impietate horrenda, sacrificii scilicet pro vivis & defun- „ ctis oblatione, omissa: idque propter vos à me factum est. „ Nam cum primùm huc à vobis essem vocatus, in profundum „ idololatriæ vos immersos reperi, ideo aliquid erat faciendum: „ & ad vos in lacum descendi, ut vos educerem & liberarem „ paulatim erudiendo, & nonnihil etiam, exemplo Apostoli, ad „ tempus cedendo & simulando. Jam verò rectius ex verbo Dei „ à me estis instituti, & horrendam Missæ abominationem, & „ cœnæ Dominicæ prophanationem intelligitis. Ideo abro- „ ganda.„ Cæterùm Missa anno demum 1527. abrogata est; (a) nisi quod Joannitæ missificarunt usque ad annum 1534. ad quos multi patritii exiverunt: donec & hæc Missa silere jussa est, templo concluso, ut 1540. omnis Missa in ipsorum ditione extra urbem.

AUGUSTÆ *Joannes Speiserus*, Theologiæ Doctor, Parochus Augustanorum cœpit concionari sincerius, tanto concursu & fructu, ut meretrices quoque ejus concionibus motæ, ad meliorem frugem redirent, ac prostibulo, quod tunc publicè propè Geggingensem portam tolerabatur, deserto, aut honesta conjugia quærerent, aut aliò inde diffugerent. Sed rediit *Speiserus* ad Pontificios, & miserè periisse dicitur. Cæterum hoc ipso anno Lutherus (b) ad *Augustanos* mittit epistolam, qua eos, qui propter sacerdotis cujuspiam nuptias, ab adversariis suis & Evangelii hostibus, ignominiosè atroci injuria affecti fuerant, consolatur, & confirmat, ne propter istam persecutionem abjiciant Evangelii cog-

(a) Ex CRUSII Annalib. Suevicis SCULTET. p. 161.
(b) vid. Epist. LUTHER. Tom. II. p. 171. seqq.

cognitionem: docens, hanc esse hujus doctrinæ, thesauri omnium pretiosissimi in terra, conditionem, ut quicunque eam amplectatur, injustè ac duriter à Satana & squamis ejus in mundo prematur, nec non omnis generis injurias perferat; Esse enim verbum & crucis & vitæ, & non æquiore loco fuisse Dominum & Magistrum nostrum, ipsum Filium Dei. Postremò rogat, ut illam consolationem boni consulant, suosque Evangelii sinceros doctores commendatos habeant.

ESLINGÆ (a) Imperii oppido *Michael Stifelius*, Augustinianus, discipulos Christo colligit, quibus cum Parochus Pontificius articulos aliquot opponeret, Lutherus per Epistolam mense Octobri datam Eslingenses docuit, quomodo articulos psychotyranni sui deberent confutare: Et sunt memorabilia Lutheri (b) hanc in rem verba: „ Principio quidem ad hunc modum prædicamus, docemus ac scripsimus, omnes conatus nostros, vires „ nostras, opera nostra nihil posse & nullius pretii esse coram „ Deo, esseque prorsus de viribus nostris desperandum. Sed, „ quod tantum per Christi sanguinem & meritum servemur à „ peccatis liberati & justificati. „ Et deinceps: „ Secundò „ Christianam vitam, charitatem erga proximum esse docuimus, „ quæ secunda doctrinæ nostræ pars est, nosque posthac nullis le-

(a) SCULTET. p. 162. Hujus *Stifelii* exstat de doctrina Christo conformi & solida D M. Lutheri, hymnus pulcherrimus & artificiosus, ut dicitur, absque die, loco & anno, dialecto Suevica sub insigni civitatis Eslingensis excusus, cum notis prolixis, in quibus capita doctrinæ de fide & bonis operibus, ut & de gratia & libero arbitrio doctè & piè explicantur, sed poëma ipsum pro illius seculi more & captu horridum est, & jambicis imparibus, ad modum, nescio quem, qui *Bruder Veit* dicitur, illo tempore sine dubio notissimum, compositum v. SECKENDORF. Supplem. ad Indicem Histor. n. LXXVI. Fuit verò ejus quoque ministerium in superiori Austria circà ann. 1525, 1526, & 1527. frugiferum, &, quanquam is deinceps in Saxoniam reversus, revelationem jactaverit de imminente A. 1533. die judicii extremi, quod tamen is deinceps ab ea opinione resipuerit, & in Borussia annunciaverit Evangelium, & in Academia Jenensi Professor Mathematum A. 1567. fuerit mortuus, docet RAUPACH in *Austr. Evangel.* continuat. I p. 35-43.

(b) v. LUTHERI Epist. T. II. p. 162. seqq.

„ legibus esse subjectos, nec quicquam ulli debere, quam quod „ officiosa charitate juvemus proximum, quo perinde proximo „ nostro charitatis officiis inserviamus, ac Christum suo sangui- „ ne nobis commodasse videmus, docemur & credimus, Quam- „ obrem omnes leges, omnia opera, præcepta à nobis exacta in „ hoc, ut Deo serviamus, ut peccata aboleamus, ut justifice- „ mur, à Deo non sunt, & qui eadem servat, Christum abne- „ gat. Cujus generis sunt, jejunio se macerare, ferias agere, „ confiteri, peregrinari & hujusmodi. Quæ verò præcepta aut „ opera aut leges à nobis exiguntur in usum & rem proximi, „ hæc probata esse nemo dubitet, hæc facere cogimur, veluti „ Magistratibus obtemperare, famelicos pascere, penuria labo- „ rantibus auxilio esse, consolari afflictos, monere errantem. „ Uti sub finem epistolæ hunc in modum pergit: „ Solidiora ar- „ gumentorum fundamenta poteritis ex libellis meis de Liberta- „ te Christiana, de bonis Operibus, de Votis Monasticis, de- „ que humana doctrina vitanda &c. petere. Quanquam cupe- „ rem ab omnibus potius Paulum legi & audiri, hæc in suis „ Epistolis abundè docentem, ut meis libellis nihil sit opus. „

§. XLVIII. Sed de progressu Reformationis ARGENTORATENSIS ut quædam commemoremus, necesse est. Argentinam hoc anno veniunt (a) *Martinus* BUCERUS Weissenburgo, *Caspar* HEDIO & *Wolfgangus Fabritius* CAPITO Moguntia: (b) tria non solum Ecclesiæ Argentinensis, sed orbis Chri-

(a) Scultet. p. 162. conf. STURM. Antipapp. IV. P. 1. p. 8, 9.

(b) Vidimus enim § XXXVIII. p. 81. quod hi apud Archiepiscopum & Electorem Moguntinum sacra facerent, Conf. quæ de *Capitone* jam dicta sunt in Introduct. §. LV. p. 115-118. De *Hedione* vero atque *Bucero* peculiariter agendi deinceps dabitur locus. Et sunt de his Triumviris memorabilia *Nic.* GERBELII ad J. Schwebelium verba in Epist. Schwebel. p. 59. „ Evangelio mirificè prodest *Hedio*. Nam sinceritate vitæ & gravitate docendi reliquorum sententias corroborat. Neque hactenus atrocioribus „ odiis res acta, sive quod accesserit Hedio, sive quod actum esse de rebus suis timeant, nescio. „ & pag. 63. „ *Bucerus* Colossensem Epistolam profitetur Latinè modo & Germanicè, accurrentibus, ligonibus, „ cerdonibus, danistis, omnisque generis hominibus. Hesterna die *Ca-* „ *pi-*

Christiani lumina; Enimverò & sub finem hujus & initio sequentis anni, Senatus Argentoratensis jam civibus assentiens, in omnibus templis concionandi libertatem permisit, scholam erexit, & monachis ex claustris egressis alimenta ordinavit, illorumque reditus aliis piis erogationibus destinavit, quinimò, quod majus est, concionatoribus omnibus & singulis, ipsis Kal. Decembribus hujus anni mandavit, ut Evangelium liberè & publicè prædicent, & auditoribus Dei ac proximi amorem implantent, mittant autem scommata in alios jacta, & omnia ea quæ vel scandalo esse infirmioribus, vel ad seditionem commovere animos possint. Ipsi autem modò memorati Theologi, una cum aliis tum edito libro hanc Reformationem propugnarunt, ex sacris literis fundamenta exponendo & causas mutationis rituum Missæ S. cœnæ Domini, Baptismi, dierum festorum, imaginum, cantionum in publicis Ecclesiæ congressibus, &c. quem librum exeunte A. 1524. publicatum Friderico Palatino dicarunt, *Wolfgangus Capito*, (a) *Caspar Hedio*, Mathias *Zellius*, Symphorianus *Pollio*, Theobaldus *Niger*, Johannes *Latomus*, Antonius *Firn*, Martinus *Hag*, Martinus *Bucerus*: Sed & hos ipsos jam mense Aprili admonitionem (b) communi nomine dedisse novimus ad Helvetios, adversus impia *Conradi Tregeri*, Provincialis Augustinianorum paradoxa (c), quæ is ad disputandum proposuerat, &

" *pito* Præpositus noster innumerabili conveniente turba Colossensium
" Epistolam enarrare cœpit ad S. Thomam. Interim Papistæ in caligas
" & calceos &c. Non credis, quantum autoritas Capitonis in populo
" efficiat. Deus incrementum det. Ego optimè spero.

(a) SCULTET. ad A. 1524. p. 214.

(b) Est ejus hic titulus: *Verwarnung der diener des worts und der brüder zu Strasburg an die brüder von landen und Städten gemeiner Eidgenosschaft*, v. SECKENDORF. p. 301.

(c) Hæc sunt illa paradoxa centum, de Ecclesia, Conciliorumque auctoritate, Reverendissimo Principi *Fabiano de Montefalcone*, Episcopo *Lausanensi* dicata, de quibus Cl. KAPPIUS in Spicileg. ad docum. Reform. P. ii. p. 451, 452, 453. ubi & alia quædam ejus Paradoxa 30, quæ A. 1521. iii. Nonar. Maji in urbe Argentinensi sunt disputata, leguntur p. 454-459.

& in quibus Ecclesia Scripturæ, hominum commenta verbo Dei præferuntur, quippe qui Scripturam judicem ferre non vult, & auctoritati Ecclesiæ eam subjicit, imo Apostolos homines fuisse & errasse dicit Petri exemplo, Ecclesiam verò ab omni errore immunem pronunciat. Hujus commonitorii is potissimum est scopus (a), ut Trægeri jactantiam deprimant, qui provocasse ministros Argentoratenses ad disputationem, hanc verò ab illis recusatam esse gloriari dicebatur. Referunt igitur, illum *centum theses* edidisse, de quibus disputaturus esset: quas cum vidissent ministri, misisse ex Senatoribus viros insignes, & se ad disputandum, abhibitis doctis aliquibus & prudentibus, & evitato plebis concursu obtulisse, idemque etiam Senatus nomine ab eo postulatum esse: verùm illum excepisse, & si paratissimus sit ad disputandum, sine licentia tamen Episcopi, ut ordinarii, id minimè ausurum esse, cupere itaque, ut ejus consensus à Senatu vel ministris impetraretur. Hoc effugium vanum esse dicunt, cum, non solùm publicatis thesibus & provocans ad disputationem de consensu Episcopi nihil monuisset aut pactus esset, sed &, quod Episcopus omne controversiarum examen evitaret. Addunt, Trægerum ita tandem sese excusasse, quod de articulis illis non Argentorati, sed Friburgi in Helvetiis (*Uchtlandia*) disputaturum se esse constituisset: Accusant eum ambitionis, dum Provincialis officium præter morem continuaret, & à Legato Pontificio præmia exspectaret, si adversus Evangelium traditiones hominum assereret; hanc nunc esse viam honores & opes adipiscendi, & à paupere Luthero multos ditatos esse, &c. Quidquid sit, *Caspar Hedio* tum contrarias aliquas Theses Conrado opposuit; *Bucerus* ad Paradoxa prolixè respondit. *Capito* virulentam commonitionem Cunradi ad Helvetios, superiori oppositam confutavit. Omnes verò etiam Conradum ad disputandum in urbe Argentinensi denuò provocant. Senatus contra vim omnem atque pericula ipsi cavet.

(a) Ita SECKENDORFIUS scribit L. 1. §. CLXXIII. p. 301. edit. 2.

vet. Sed Trægerus varia causatus, tandem, quod cupidè velit, id sibi facere per Episcopum non esse ajebat integrum.

Fuit hoc ipsum tempus, quo, cum aliis in locis (a), tum *Argentorati*, quidam ordinis ecclesiastici (b) ducebant uxores: Quæ res magnam excitavit contentionem. Nam accusati respondebant, nihil in eo se fecisse contra Dei mandatum & omnibus esse concessum indifferenter matrimonium. Senatui quidem Argentinensi plurima fuit actio super ea re, cum ejus urbis Episcopo, qui tandem vigesimo Januarii die A. 1524. *Tabernas* oppidum (vulgo *Zabern*) evocat reos, ut ad certum diem adsint, audituri contra se ferri sententiam (c), ob contractum matrimonium, qua quidem in re dicit eos & Ecclesiæ, & sanctorum Patrum & Pontificum & Cæsaris etiam Imperiique violasse leges, & Ordini summam fecisse injuriam, & Majestatem læsisse divinam. His acceptis literis atque citatione, illi supplicant Senatui, ut causam dicere, suique facti rationem ipsis reddere liceat, neque capitis recusant pœnam, si contra Dei præceptum fecisse quid comperiantur. Senatus ergo rursus interpellat Episcopum, & quandoquidem legitimam illi disceptationem minimè fugiant, neque sine gravi motu quicquam in eos designari possit, præsertim, cum alii, qui cum meretricibus palam vivunt, non mulctentur, orant, ut saltem ad exitum usque conventus Imperii, qui tum erat Noribergæ, rem omnem differat, nec enim esse dubium, quin id genus actiones aliis etiam in locis actæ sint,

P &

(a) Verba SLEIDANI lib. IV. pag. 54. b.

(b) Sic Vratislaviæ primus *Hieronymus Rachemeis* uxorem dixit Reginam *Nimbisiam*, atque idem faciebat Argentinæ *Antonius Firnius*, Pastor Thomanus, teste GERBELIO ad Schwebelium in Epist. Schwebelianis p. 37. apud SCULTET. p. 168. Enimverò hunc ab officio tum removet Capitulum Thomanum. Antonius Senatûs opem implorat. Idem faciunt cives nonnulli per libellum supplicem, quem, uti XII. Decembris 1523. is Senatui est exhibitus, præ manibus habeo, impressum Basileæ 1524. 4.; in quo indignissimum esse conqueruntur, improbari honestum conjugium, scortationes & fœdas libidines probari.

(c) Est mihi ejusmodi Evocationis formula originalis, Wilhelmi Episcopi adversus Wolfgangum Sculteti, Presbyterum uti appellatur signata A. 1524. d. 7 Januarii.

& fore, sua quidem exspectatione, ut in eo conventu rerum harum omnium rationes expendantur. Cui tamen interpellationi ita se facilem non præbuit Episcopus, ut non solum institerit citationi factæ (a) sed & in uxoratos ecclesiasticos immite prorsus pronunciaret judicium. Quomodo autem *Matth.* ZELLIUS tum à patrono fisci Episcopalis, hæreseos fuerit accusatus, atque edita Apologia (b) innocentiam suam defenderit, summamque religionis & fidei suæ explicaverit; jam à nobis est monitum in superioribus (c). Nam & CAPITONI ad præposituram Thomanam nuper evecto tria intentabantur crimina (d): *quod* adscribi se in civitatem Argentinensium voluerit: *quod* publicè concionatus sit; *quod* in oculis urbis totius cum Pontificiis super Religionis negotio differere unicè cupiverit. Is edita Apologia Germanica respondet, Civem se factum, & Prælatorum multorum exemplo, & salvo jure Episcopi: idque ideo, quod omnis anima potestati civili subjecta esse debeat, & æquum sit, ut, qui iisdem cum civibus gaudent commodis, onera quoque cum iis portent. Cumque sibi insidientur nonnulli è clero, jure se ad Magistratus urbici patrocinium confugisse. Ad concionandum se protractum, tum dissidio civium, quorum alii Matthiæ Zellio, concionatori Evangelico, alii Pontificiis doctoribus adhæserant, tum rogatu multorum, sinistro denique plurimorum de se judicio, quasi Evangelii ipsum suppudeat. Postremò ad Disputationem publicam prius non provocasse, quam Matthias Zellius hæreseos, ipse Capito, & hæreseos, & nequitiæ à pastore quodam pagano fuisset damnatus.

§. XLIX. De *Jacobo* autem STRAUSSIO, doctore tum *Isenacensi* (e) quædam adhuc monenda veniunt, antequam hanc incre-

(a) Quem in finem novas ad Senatum Argentinensem dedit literas quas una cum modò dicta citationis formula, documentis huic volumini subjectis num XI. inseremus.

(b) Quam lingua Germanica conscriptam atque in 4. editam ipsi servo.

(c) vid. §. XXVII. pag. 54

(d) vid. SCULTET. pag. 171, 172.

(e) Conf. §. XL. p. 86.

crementorum Evangelii Anni 1523. recensionem finiamus. Is, uti Theologiæ Doctor, ita inter primos Evangelii apud Isenacenses præcones erat una cum *Thoma Neuenhagio* (a), qui tamen eruditione ipso erat inferior. Atque exstat ejus Concio Germanica A. 1522. Halis ad Oenum (b) in festo Pentecostes habita ad 1 Cor. XI: 28. & Senatui populoque Halensi dedicata, in cujus præfatione d. 28. Aug. Kembergæ scripta, pulsum se Evangelii causa Halis refert (c), in concione autem errores in Missa & Confessionibus vehementer perstringit, & meliora docet. Is itaque jam apud *Isenacenses* concionari, & non ita multò post idola demoliri, Missam Latinam abolere & vehementi spiritu contra errores Pontificios detonare cœpit, publicando quoque primò quidem libellum (d), uti appellat, confessionarium, in quo confessionis privatæ atque auricularis Pontificiæ abominationes enarrat, atque acri sale perfricat, deinceps theses LI. contra usuras, à sacerdotibus tantopere, uti ait, probatas & petitas. Itaque à Decano & Capitulo aliquoties ad Johannem Saxoniæ ducem est delatus, donec cum nimium fervidè sua urgeret, atque in motu rusticorum deinceps ingruente minus circumspectè se gereret (e), à munere motus & in custodiam datus est.

§. L. Interea dum ita crescit Evangelium, moritur non sine veneni suspicione HADRIANUS VI. Papa d. XIV. Septembris 1523. relicto admodum parvo sui apud Italos desiderio, quippe qui, quod nimium, simulaténe an seriò, dubium est, urgere Reformationem & Cæsari addictior esse videbatur, longiusque discrepabat à magnificentia luxúque priorum Pontificum,

(a) Conf. SECKENDORF. p. 272. a.
(b) *Hall im Innthal.*
(c) SECKEND. in Supplem. ad Indic. Histor. n. LXXVII.
(d) Titulus libri, quem præ manibus habemus, est: *Ein newe wunderbarlich Beycht-büchlein, in dem die warhaft gerecht beycht und büsfertigkeit Christenlichen gelert und angetzeigt wirt, und Kurtzlichen alle tyranneyer dychter menschlicher beycht affgehaben, zu seliger ruwe, frid und freud den armen gefangen gewissenn.* Eysenach in Düringen 1525. 4.
(e) SECKEND. loc. cit.

ab Italis minus idoneus (a) habebatur ad regimen rerum: Ei successit d. XIX. Novembris novus atque alter ex familia Florentinorum Medicea Pontifex, Julius Mediceus, dictus CLEMENS VII. Hujus Pontificatui (b) sunt, qui Lutheranismi incrementa apertè imputent, quippe qui ab Adriani instituto cum dissentiret, ne Pontificiam Majestatem in periculum mitteret, aut mores aulæ reformationi subjiceret, concilii celebrationem perpetuò impediverit; Hic saltem novum ad Comitia Imperii Noribergensia mittere Legatum *Laurentium Campegium* Cardinalem, Episcopum Bononiensem, sed ita, ut cautè centum gravaminum exhibitionem Pontifici defuncto factam dissimularet, atque de reliquo exsecutionem Bullæ Leonis & Edicti Wormatiensis adversus Lutherum ejusque doctrinam urgeret, desideria autem de Concilii convocatione & de Reformatione defectuum, quæ in centum gravaminibus proposita fuerant, eluderet.

§. LI. Decreti, tum apud Principes Noribergæ congregatos d. XVIII. Aprilis 1524. facti summa hæc erat, Status Imperii, cum Cæsar urgeret de exterminandis Lutheranis edicti Wormatiensis observationem, ut fidelia (c) Imperii membra decet, id præstituros esse, quantum possint, speciatim, quæ de non edendis libellis famosis & picturis, & contra typographorum licentiam constituta essent, quodsi molestiæ aut impedimenta suborirentur, ad Regimen Imperiale recursuros, cui mandatum esset, remedia adhibere, de cætero in Concilii convocatione persistebant, reliqua ad Comitia nova d. XI. Novembris Spiræ habenda rejiciebant, atque inprimis constituebant, ut Principes (d) in sua quis-

(a) Ita loquuntur apud Papebrochium in Vita Hadriani collectores. GUICCIARDINUS autem lib. XII. de ejus morte ita: *Obiit*, inquit, *parva sui sive ob temporis brevitatem, sive quod rerum esset imperitus, opinione relicta & cum totius curiæ incredibili voluptate.* Sed conf. Ger. MORINGIUS in Vita Hadriani Cap. XXV. p. 77, 78. edit. Burmann. qui omnia alia de ejus virtutibus testatur.

(b) Ita RICHERIUS in Histor. Concil. Lib. IV. p. 11.

(c) vid. SECKENDORF. L. I. §. CLXIII. p. 288. & sq qui ex Actis Archivi omnia, quæ his Comitiis illustrandis inserviunt, adtulit, uti Orationis Campegii in Comitiis habitæ summam nobis refert SLEIDANUS pag. 56, 57. Cf. SARP. Hist. Conc. Trid. L. I. p. 28, 29.

(d) vid. SLEIDAN. p. 60. b.

quisque provincia, deligant viros doctos atque bonos qui ex Lutheri & aliorum libris colligant ea, de quibus putabunt posse disputari, quæ Principibus exhibeant in proximo conventu, quò facilior sit progressio, cum ad concilium erit deventum, adhæc ut interventu magistratus ac diligentia purè doceatur Evangelium, & modestè juxta sensum & interpretationem scriptorum, quos Ecclesia comprobarit, &c. Hoc decreto nec Lutherus, nec Legatus Pontificius, nec ipse satis contentus erat Cæsar. Non *Lutherus*, quippe qui & peculiari scripto dentato satis ac vehementi (a) id taxare aggrediebatur, appellando bestias & furiosos & stolidos, qui Wormatiense edictum exsecuturi, quasi Gigantes cœlo bellum inferre velint & conquerendo de Germaniæ cœcitate, oblatam sibi salutem repudiantis; Non *Legatus Pontificius*, quippe qui eapropter finitis Comitiis cum Principibus quibusdam, iisque potissimum Ecclesiastici Ordinis Ratisbonam secedebat, ubi inter istos Principes (b) atque Episcopos d. VI. Julii conveniebat I. Ut ex Cæsaris & Leonis X. judicio, secundum Wormatiense edictum, Lutheri doctrina ut hæretica condemnaretur. II. Ut edictum illud per fines suos inviolatum servaretur. III. Ut in Missæ & sacramentorum celebratione nihil mutaretur. IV. Ut traditionum Pontificiarum violatores acerbè plecterentur. V. Ut Lutheri libri non amplius venderentur. VI. Ut qui suæ ditionis homines Witebergæ literis operam dabant, domum revocarentur. Neque verò etiam ipse *Cæsar* ea,

(a) vid. SECKENDORF. L. I. §. CLXV. p. 291, 292. Ipsum scriptum Germanicè legitur Tomo II. Altenb. fol. 762. sq. & Latinè versum Tom. II. Witeb. fol. 444. seq.

(b) Est egregia prorsus SECKENDORFII de hoc conventu loc. cit. §. 167. observatio, quòd particularis illa quorundam Principum à Luthero alienorum congregatio Ratisbonensis pro classico debeat haberi illius Schismatis, quo Principes Imperii in partes scissi, diversisque studiis non modo tum, sed etiam nunc communem patriæ causam agere videantur, cujusque adeo rei hic initium fecerint ipsi Pontificiorum partibus addicti, Conf. SLEIDAN. pag. 62. a. Formam conventionis ibi factæ originariam habemus in Epistola SCHELHORNII ad Raupachium, quæ præfixa est T. II. Austriæ Evangelicæ p. XXIV. seq. unde eandem ob rei memoriam dep omete atque huic Annalium Tomo subjicere constituimus num. X.

ea, quæ se absente, præsidente tamen Fratre, & quem miserat, Legato, & consensu Ordinum Noribergæ ritè decreta erant, probabat (a), quippe qui prolato edicto omnimodam Decreti Wormatiensis exsecutionem frustra licet, urgebat, neque quæ de Concilio erant proposita, se ullo modo probare posse datis ad Imperii status literis affirmabat, mandatum verò addebat, Edicto Wormatiensi uti vellent parere, & rem omnem religionis differre, donec Pontificis suoque jussu Concilium haberetur, qui sint ipsorum summi magistratus, unde & nova tum Imperii Comitia, hoc ipso anno Spiræ Nemetum ad d. XI. Novembris indicta, intermitti debuerunt.

§. LII. Quicquid sit, Senatus *Argentinensis* (b) in ea, quæ civibus quibusdam cum Episcopo, qui sacerdotes aliquot Tabernas evocaverat, intercedebat controversia, provocarat ad Imperii Comitia Noribergæ congregata, Episcopus itaque datis ad Campegium literis, queritur, impediri se à Senatu, quo minus exsequi jus suum possit, & illos mulctare, qui sacris legibus contemtis facti essent mariti, deinde, sacerdotes in ordinem civium à Senatu contra pontificias leges adoptari. Profectus tum Argentorato fuerat (c) Noribergam *Thomas Murnerus*, Theologus Franciscanus, qui Senatum graviter ad Cardinalem detulerat: cumque Reipublicæ legati, ad conventum missi, purgandi sui causa venissent ad Campegium, & reliquo sermone confecto, de Episcopi querimonia cognovissent, Senatum dicebant Episcopo nullum hucusque impedimentum intulisse, & ne nunc quidem ejus esse propositi: imò claris verbis illi nuntiasse per literas, quicquid haberet actionis in sacerdotes maritos, juri divino consentaneum, per ipsos licere exsequi, & adjumento quoque futuros in ea

(a) Conf. SLEIDAN. L. IV. p. 62. b. 63. uti hujus edicti formulam habet E. S. CYPRIANUS documentor. P. II. p. 304.

(b) v. §. XLVIII. p. 113, 114.

(c) SLEIDAN. p. 61. a. De statu Evangelii tum non admodum prospero apud Argentinenses, nos informant Literæ *Dominici* SLEUPNERI Ecclesiastæ Norimbergensis ad Wolfg. Fabr. Capitonem d. 2 Dec. 1524. scriptæ, quarum autographum servo, & quas propter eos qui ejusmodi amant cupedias huic volumini Num. XI. legendas subjicio.

ea re. Senatum verò molestè ferre, quòd Episcopus à pacto discedat: nam ita convenisse, quum jure volet in aliquem Ecclesiastici gregis experiri, ut hoc apud Judicem suum urbanum faciat. Verùm ea conventione neglecta, vocatos ab illo reos extra urbem, cumque lege pactionis illi sese defenderent, neque venirent, damnatos esse (a) non audita neque cognita causa. Jam verò, si Senatus permissu gravius quid in eos fieret ad jus provocantes, non dubium esse, quin populi sit ex eo fremitus atque tumultus exoriturus. Quòd autem sacerdotes in ordinem civium allegerint, pro veteri more civitatis fieri. Senatum etiam non ita pridem ab Episcopo rogatum esse, ut ordinis Ecclesiastici tutelam susciperet: hoc autem ea ratione consuevisse fieri, ut dictum sit. Ille contrà, perlectis literis & actione omni, quam Episcopus ad se miserit, ita se reperire, dicebat, quòd extra urbem evocati sint, non esse factum contra juris ordinem, & eandem Episcopi esse, quæ sit ipsius Vicarii, potestatem. Orare igitur, ut in plectendis illis, Episcopo Senatus adesse velit. Post multum sermonem, quo contendebant in urbe primaria reddendum esse jus, hoc præterea Legati dicebant, *Ecclesiasticos Argentoratenses magna sui parte turpiter vivere cum meretricibus, quas domi foveant, magna quidem cum offensione populi, pessimoque exemplo, sed tamen summa cum impunitate, nec eo nomine quenquam adhuc esse mulctatum ab Episcopo:* si nunc ergo Senatus ei permittat in istos animadversionem, qui Pontificiam modo legem non servarint, illis autem, qui Dei præceptum violant, impunè scortari & turpissima vitæ exempla passim edere liceat, quis dubitet, quanto sit hoc ipsorum periculo futurum? Ille, quæ sint inter ipsos pacta, nescire se, facinus autem illorum esse compertum, nec opus esse multa disceptatione juris: nam ipso facto jam esse proscriptos, & ab Ecclesiæ communione remotos. Opem ergo ferendam Episcopo: quod autem alii scortentur, & inhonestè vivant, non ideo scelus istorum expurgari. Non rectè facere, qui sic vivant, Episcopum quoque negligere suum munus, qui hoc illis concedat: scire se, *Germaniæ Episcoporum hunc esse*

(a) vid. §. XLVIII. pag. 114.

eſſe morem, ut accepta pecunia ſcortationem ſuis permittant. Fore etiam, ut ejus facti rationem aliquando reddant: ſed tamen idcirco non iſtis licere matrimonium contrahere: & *quod ſacerdotes fiant mariti, multò eſſe gravius peccatum, quam ſi plurimas domi meretrices alant:* nam illos habere perſuaſum, quaſi rectè faciant, hos autem ſcire & peccatum agnoſcere: nec enim omnes ca'eſſe, qua fuit Johannes Baptiſta, continentia. Nuſquam reperiri, neque documentum ullum extare, quòd cœlibatum ipſis relinquere liceat: ne Græcos quidem (qui ritus habeant à nobis diverſos) hoc ſuis permittere. Quapropter iterum orare, ut Epiſcopo ſuam operam communicent. Ad ea Legati, ſi quidem Epiſcopus omnium primò ſcortatores mulctet, tunc Senatum ei multò poſſe commodius adeſſe in iis, quæ poſt legitimè ſit facturus in alteros, dicebant. Ille autem inſtat rurſus, ut Epiſcopo primùm adſint: niſi ſcortationem ille puniat, ſe venturum eò, pœnamque ſumpturum eſſe pro cujuſque merito.

§. LIII. Intereà verò, non in Urbe illa ſolummodò *Argentoratenſi*, Reformatio procedebat, & ſacerdotes impunè mariti erant, (a) &ſi Regimen etiam Imperiale conatibus illis obſiſteret; ſed &, quam enixè flagitabat Pontifex, quamque Cæſar toties fruſtrà popoſcerat, Wormatienſis edicti exſecutio in maxima Germaniæ parte ceſſabat, eique inſuperabiles difficultates à Principibus opponebantur, uti nec ſine provida & peculiari Dei cura factum id eſſe animadvertimus, quod ex eodem illo loco, unde remora Reformationis negotio injicienda erat, præcipua optimæ hujus cauſæ incrementa nobis obveniant conſpicienda. Quid enim (b) dignum magis memoratu, quam quod in ipſa NORIBERGENSIUM urbe, lux doctrinæ Evangelicæ longius la-

(a) Exſtat egregia CAPITONIS ad Ambroſ. Blaurerum Epiſtola de inſidiis, quas Epiſcopus Argentinenſis admodum ſubdolè ſtruebat doctrinæ Evangelicæ, apud SCULTETUM p. 199, 200.

(b) vid. HAHNE Hiſtor. emendat. Sacror. P. II. c. II. §. XI p. 58 Extare autem in Bibliotheca Kraftiana libellum vernaculo ſermone ſcriptum ſub tit. *Relatio de mutata in Noribergenſi republica religione, & memorabilibus, quæ ibidem in Reformationis negotio contigerunt*, obſervat SCHELHORN. Amœnit. Liter. T. III. p. 75. conf. §. XXXVII. p. 76.

latiusque ſpargi inciperet? Cum enim *Georgius Peſler* ad S. Sebaldum, & *Hector Böhmer* ad S. Laurentium Præpoſiti biennium & amplius Evangelium docuiſſent & de abuſibus Papiſticis populum erudiiſſent, hoc anno abrogarunt, Abuſus Miſſaticos (a), Miſſam pro defunctis, Cantum, ſalve regina &c. Salem & Aquam conſecratam, matutinas denique cantiones & completorium &c. & facti ſui rationem ex Sacra Scriptura publico ſcripto prorſus eximio, per *Dominicum Sleupnerum*, *Andream Oſiandrum* & *Thomam Venatorium* conſcripto d. 21. Octobris divulgarunt, cujus publicationem ex Bibliothecis, in quibus id forte lateat, inprimis vovet & exoptat Illuſtris SECKENDORFIUS (b); Et tractabatur equidem hæc res primò cura *Andr. Oſiandri*, cui præter cæteros laboris ſocios poſtmodum accedebat *Wenceſlaus* LINCCUS (c), fidus Lutheri paraſtata, & creberrimus literarum mutuarum ope conſultor.

Non poſſumus non hic ante omnia commemorare FRANCONICÆ Reformationis, in quantum ea ad *Burggraviatum* ſpectat *Norimbergenſem*, id eſt, *Bayreuthenſem* & *Onolsbacenſem* Principatum, quem utrumque communi jure tum poſſidebant *Caſimirus* & *Georgius* Fratres, Marchiones Brandenburgici, primordia: Quanquam enim ex his tepidior eſſet *Caſimirus*, ſingulari vinculo & Cæſari & Ferdinando adſtrictus, *Georgius* autem Evangelicæ Religioni magno ſtudio & conſtantia adhæreret; Ipſe tamen etiam Caſimirus, qui Comitiis nuper interfuerat (vid. §. LI.) Noribergenſibus, in quibus, ut

Q prin-

(a) Ex Crantzhemio SCULTET. p. 212.

(b) Excerpta ex eodem hoc ſcripto exhibet l. c SECKENDORFIUS pag 299. ſqq. Sed & ipſum hoc ſcriptum, unà cum aliorum quorundam ſcriptorum originalibus ad Reformationem Franconicam pertinentibus, nobis exhibetur in libro, cui tit. *Fränckiſche Reformations-geſchichte* 1731. 4. Eſtque id notatu cumprimus dignum, quod tum quoque jam Papam diſertis verbis Antichriſtum appellare in hoc ſcripto non veriti fuerint Noribergenſes: *der trach der teuffel hat ihm (dem Papſt) die herrlichkeit vermittelſt ſeiner lügen gegeben, darumb alle die da glauben daſs das Papſtum aus Gott ſey, wie es jetzo iſt, beten den Trachen an fur Gott...... daſs der Papſt, als der Antichriſt ſich beweyſe, weil er fahe und wurge. die ſeinen reich zu wider, welches dem reich Chriſti nicht zuſtehet &c.*

(c) vid. Introduct. noſtr in Hiſtor. Ref. §. CII. p. 243 ubi de *Lincco*. Et *Acta Erudit. Francon.* P. VIII. p. 544. ſq. ubi de *Andr. Oſiandro*.

principes, in ſua quiſque provincia deligerent viros doctos atque bonos qui ex Lutheri & aliorum libris colligerent ea de quibus putabant in Concilio convocando poſſe diſputari, quæ principibus exhibeant in proximo conventu, quò facilior eſſet progreſſio, ubi ad Concilium eſſet deventum, decretum erat, ſimulac ad Onolsbacenſes redierat, Reformationi Franconicæ fundamenta ſternere, ſalutari admodum conſilio, aggreſſus eſt; Enimvero is omni tum niſu una cum Georgio fratre in id incumbebat, ut primò à Viris doctis Evangelicæ doctrinæ addictis, Articuli (a) quidam numero XXIII. conſcriberentur, in quibus præciſè, quanam de re controverteretur potiſſimum, definiebatur; Quo facto, is eoſdem ad primarios ditionis ſuæ Eccleſiaſticos utriuſque partis mittere, hoſque convocare (b), ut ſe ad diem Dominicum poſt S. Mathæi Onolsbacum conferrent, atque tum ſua de his articulis vel monita vel conſilia invicem conferrent, eaque ſibi tanquam Principi communicarent; Tardos admodùm ad ejusmodi conventum fuiſſe Pontificios, promtiores verò Evangelicos, facilè quis conjiciet; Intereà tamen ex Pontificiis quorum pauci aderant, reliqui ſuæ tergiverſationi qui varios inducere colores allaborabant, nihilo tamen ſecius moniti ſuas ad illos articulos conſiderationes (c) ſcripto tranſmittere debebant: Evangelicorum aderant plures, atque cumprimis civitatum *Swobacenſis*, *Creilshemii* & *Curiæ Variſcorum* legati, ſuam in doctrina puriori conſtantiam qui præ reliquis teſtabantur; Neque tamen, quod nimius animorum æſtus

(a) Hos Articulos rotundè, breviter atque nervoſè conceptos & nunquam ſatis laudandos nobis ſuppeditat Editor *Actorum Reformationis Franconicæ*, Germanice quæ prodierunt 1731. 4.

(b) Hoc convocationis diploma iiſdem illis *Actis*, p 17. & 18 nomine Caſimiri publicatum, inſeruit, qui eadem edidit Vir Doctus. Ultima ejus verba ſunt memorabilia, *allſo daſs ir in den Ratſchlag beyderley maynung grund und urſach anzaigen, und doch entlich euern ratſchlag allein auf das haylig, lauter, clar und unwiderſprechlich wort Gottes gründen ſolt*

(c) Et has Conſiderationes Papiſticas, ſub tit. *die artickel und bewerung derſelbigen* &c. nobis ex editione originali 1524. procurata, exhibent *Acta* Hiſtoriæ Reform. *Franconicæ*, modò laudata, ex quibus quam levis armaturæ milites hi eſſent, ad oculum conſpicitur.

æstus intercederet, multum protrahebatur ille Conventus, nisi quod cum Evangelici suas quoque exhibuissent considerationes (a), tandem ipse Princeps in hoc Edictum concluderet (b): Debere ab omnibus, usque dum Concilium esset indictum purè doceri verbum Evangelii, nec quidquam proferri quod ei esset adversum, nec præter Dei Gloriam & populi christiani salutem quicquam intendi debere: Quod, uti Evangelicis pastoribus exoptatum erat, ita faustum in his regionibus, quæ indies magis magisque Evangelio accedebant habuit eventum. (c). Interea verò, cum post oppressam A. 1525. rusticorum factionem, Episcopi Franconiæ, fœderis Suevici potentia freti, severiora ad impediendam reformationem consilia caperent, Casimirus noster, aut illis gratificaturus, aut tempori & aulæ inserviens, absente Georgio (d) (qui in ducatu Silesiæ Jagerndorfensi à se acquisito commorabatur) A. 1526. convocatis Prælatis, aliisque Ordinibus provinciæ, & cum eorum & pastorum (ut refert) consilio, aliud edictum mense Octobri publicavit, in quo, allegato Spirensi, quod interea temporis formatum erat Decreto, & quasi ei satisfacturus, Verbum Dei à Pastoribus doceri jubet, si possint; sin minus, Evangelium saltim & Epistolam Germanicè prælegi, nec quidquam nisi formulam confessionis publicæ addi, cantiones germanicas, durante missa (Latinè celebranda) fieri, vigilias & anniversaria, si peterentur, institui, usum unius vel utriusque speciei indifferenter admitti, honorem Sacramento circumgestato exhiberi, confessionem sacerdotalem continuari, baptismum Latinè administrari cum explicatione tamen Germanica, si quis eam desideret, Jejunia & festa antiquo more observari, pastores conjugio abstinere,

(a) Et has, sub titulo *Ratschlag* &c. videmus exhiberi in iisdem illis Actis, prouti ea A. 1525. Noribergæ typis fuerant impressæ

(b) *Das weil die Rathschläge über die XXIII Artikul zimlich widerwärtig auf dem Religions-Convent ausgefallen, alle prediger und pfarrer bis auf ein allgemein Concilium, allein das rechte word Gottes lauter und rein predigen sollen, und nichts das darwider ist, damit allein Gottes Ehr und Lob, und des Christlichen volks seelen seligkeit gesucht und gefordert werde:*

(c) Conscripta est tum quoque Papisticarum considerationum confutatio, quam itidem ex MSS. nobis sistunt *Acta* illa *Franconica* à p. 51 96.

(d) vid. SECKENDORF. ad A. 1526. L. II. fol. 49.

monasteria restitui, aut quosdam ad nobilitatis sustentationem converti debere, libertate exeundi servata, aliaque ejus generis plurima. (a). Quae pleraque illis, quae antea pro reformanda Religione utriusque Principis consensu, acta erant, planè adversabantur, atque testabantur eum mixtum quid ex Evangelismo & Papismo doceri voluisse, veluti adversa haec erant validae non minus quam piae Admonitioni, qua mense Majo Anni 1526. Georgius in literis ad Casimirum usus fuerat, quas typis vulgavit SCULTETUS (b): Sed cum A. 1527. d. 24. Februarii ipse Casimirus Budae Hungarorum fato fungeretur, eique *Georgius* princeps succederet, tum is in gubernatione tam suarum, quam Alberti ex fratre nepotis ditionum hoc unicè egit, ut Religio vera ubique efflorescceret, Pontificia succo favoris sui destituta exaresceret, quod deinceps ad A. 1528. luculentius exponetur.

§. LIV. Hoc anno vicesimo quarto Lutherus editis aliis quibusdam libellis non singulatim commemorandis, specialem quoque operam collocavit in adornandis *Cantionibus* (d) *Ecclesiasticis* sermone vernaculo, uti hoc anno *Cantionale* ejusmodi prima vice lucem aspexit, *octo hymnis* constans, in quo ad Lutheri & aliorum hymnopoeorum meditationes rythmicas conficiendis melodiis industriam suam probabat *Johannes* vel *Georgius Waltherus* musices in aula Electoris praefectus.

Haec inter, ipse quoque LUTHERUS de abjiciendo cucullo consilium capit, ejusque in locum veste Doctorem Theologum Academicum decente (c) usus est, neque amplius vel Patris, vel

(a) Ipsum diploma Casimiri habet HORTLEDERUS Tom. I. Lib. I. cap. 3. p. 36. conf. *Fränkisch. Reform. geschichte.* p. 26. itemque SCULTET. decad. II. p. 66.

(b) SCULTET. Annal. ad A. 1526. p. 63. sqq. Unde has literas depromere atque his Annalibus subjungere visum fuit. Num XII.

(c) SCULTETUS quidem diem annotat 21 Septembris, sed *Acta Franconica* p. 26. diem 24 Februarii commemorant.

(d) vid. J. H. MAJI Histor. Reform. ex scriptis Luth. p. 176, 177. & conf. Opp. Luth. Altenb. Tom. II. p. 751. a. conf. SECKEND. fol. 315. b.

(e) conf. Seckendorf. L. I. §. CLXXIIX. p. 307.

vel Fratris consuetum Monachis titulum, sed Doctoris admisit.

Interea variis in locis Evangelii causa promovebatur, *Philippus* MELANCTHON (a) hoc ipso anno edidit Summam doctrinæ Christianæ à Deo redditæ mundo, quam nuncupavit PHILIPPO Hassiæ Landgravio Illustrissimo, dicto Magnanimo, qui inter primos Lutheri protectores jam inde à Comitiorum Wormatiensium tempore 1521. nomen (b) habebat; In hac præfatione de Luthero testabatur Melanchthon, quod is purum Dei Evangelium doceret, atque his cumprimis verbis claudebat: „ Commendo fidei negotium Tuæ Celsitudinis conscientiæ, „ quod si curæ cordique ei fuerit, optabit potius Josaphat, „ quam Pharao esse. Precor, ut Christus T. C. illuminet, & „ talem det mentem, quò & sibi, & suis benè consulat, ne E- „ vangelium impediat, nec tyrannicè agat cum iis, qui con- „ scientia urgente ea aggrediuntur, quæ Papa prohibuit in suis „ Canonibus: „ Atque hæc res forte occasionem dedit, (c) ut jam tum quoque d. XVIII. Julii 1524. ipse *Philippus* Edictum ediderit typis vulgatum ad Proceres & Præfectos Hassiæ, in quo compotationes, aliaque in bonos mores & publicam utilitatem peccantia prohibebat, de cultu verò divino mandabat, quæ edicto Norimbergensi conveniebant, nempe ut Pastoribus, quibus concionandi munus incumbit, injungeretur, ut populum in Evangelio & doctrina Christi Servatoris nostri purè & liquidò instruant, ad amorem Dei & proximi, ad concordiam & pacem mutuam, & ad reverentiam & obsequium erga magistratum legitimum,

(a) vid. Seckendorf. l. c. p. 295. & Joh. Henr. Maji Hist. Ref. l. c. p. 170.

(b) Certè quod jam H. 1521. à *Johanne Kirchain* in ipsa *Cassellarum* urbe Missa lingua Germanica fuerit celebrata, discimus ex Chronico pervetusto Hassiæ apud KUCHENBECK. in *Analect. Hassiac.* T. 1. pag. 31, 32.

(c) Præterquam, quod Melanchton hoc anno cum Principe Philippo, eidem non longe à Francofurto obviam facto in itinere collocutus fuerit, eundemque de variis rebus breviter tamen & velut in transcursu tantùm informaverit, referente CAMERARIO in Vita Melancht. p. m. 97.

atque seditiones, turbas ac rixas cum omnibus hominibus evitent, secundum doctrinam Christi, omniumque ejus Apostolorum. Dein, cum de non ferendis in provincia mendicis & vagantibus, quædam statuisset, stationarios, qui reliquias sanctorum circumferebant ad stationem, quam vocabant, sive mendicationem, admitti prohibet, exceptis Antonianis, qui in ditione Hassiaca Grunbergæ erant. Ulterius hoc anno (a) progressum Principem Evangelio planè faventem, atque ejus patrocinium in colloquio cum Nausea (b) suscipientem non invenimus, laudatum potius ab altera parte, speciatim à COCHLÆO, quod nihil innovaverit.

Exstat verò epistola initio sequentis anni 1525. d. IX. Januar. ad Principem data à *Nicolao* HERBORN Guardiano Marpurgensi, qui retrahere Philippum omni nisu conabatur à Lutheri & Melanchthonis familiaritate, scriptis & doctrina; In hac, collaudata prius Principis pietate, objicit ei, quod Lutheri & Melanchthonis scripta legat, in quibus (ut ait) sint, quæ Christo repugnent. Excusam hanc epistolam, cum notis marginalibus & responso à se eodem mense, diè Mercurii post Felicis, *Immenhusæ* dato, curavit Princeps; Atque cum Nicolaus Principi Tractatum misisset Latinum, approbatum, ut dicebat, à Superioribus, & de servanda religione majorum, S. Elisabethæ cumprimis, & Principem cohortatus exemplo aliorum Regum & Principum in Italia, Gallia, Hispania & alibi, gladio animadvertere in Lutheranos jussisset. Regerit ad hæc Princeps: Legisse se librum (c), sed parum in eo reperisse, quod Christianæ charitati congrueret. A veteribus quidem institutis, quæ in sacris Scripturis fundamentum haberent, se non discessurum, neque tamen *meris hominum traditionibus* inhæsurum esse, sed regulam Verbi divini servaturum. Contradicit dein Monacho, quod negaverit *fide sola justificari homines*, & dicta sacrarum literarum opponit, improbat etiam, quod Virginem Deipa-

(a) Ita quidem SECKEND pag. 295. a. Quanquam tamen in memorato Chronico ad hunc annum annotetur, quod Cassellis dies Festi sanctorum fuerint abrogati, retenta sola celebratione diei dominicæ, pag. 33.
(b) vid CAMERAR. in vita Melancht. p. m. 96.
(c) conf. SCULTET. ad A. 1525. p. 287, 288.

param pro *mediatrice inter Deum & homines* venditet, & *Evangelium plebi rustica prædicari inconsultum* ducat, utrumque testimoniis Scripturæ breviter refellit, & reliqua differt ad colloquium, quod Nicolaus petierat.

§. LV. De Argentinensium progressu (d) in Reformationis negotio promovendo jam diximus: Erat enim, jam tum quoque ARGENTINA perfugium fratrum exulum, unde Capito ad H. Stromerum, (a) Aurbachium, *Huc* inquit, *omnes devenerunt, undique expulsi, & hinc iterum ad ministerium verbi emittuntur.* Et tanta simul erat Theologorum (b) Argentinensium, CAPITONIS inprimis & BUCERI fama, ut *Jacobus* FABER (c) Stapulensis & *Gerardus* RUFUS clam è Gallia profecti, à *Margareta* licet Francisci Regis sorore, Navarræ Regina missi, Capitonem & Bucerum audirent, & de omnibus Doctrinæ præcipuis locis cum his differerent, quomodo Evangelica vitis in Gallicis Ecclesiis aliquid etiam germinis ex urbe Argentina accepit: Cæterum multos cives Argentinenses in fide vera hoc anno confirmavit Doctoris *Sebastiani* MEIERI Revocatio. (d) Fuerat is ante hoc tempus Concionator ad Franciscanos Argentinæ, & Papista Papisticè docuerat. Illuminatus autem spiritu, hoc anno ad inclytam *Argentinensium* Rempub. libellum typis descriptum mittit, quo retractat, quæ docuerat. 1. de Missa, quod esset sacrificium, quo nos Deo aliquid offerimus. 2. de pœnitentia, quod tres ejus partes, contritio, confessio, satisfactio. 3. de Papa: quod sit caput Ecclesiæ; interpretari scripturam ex suo ingenio possit: reservare sibi peccata possit, quæ velit &c. &c. 4. de indulgentiis: quod septem, & plurium annorum pœnas in purgatorio

(d) vid. §. XLVIII. p. 110. sq. Huc referri debet Nic. GERBELII Epistola A. 1524. altera post Lætare data ad Jod. Jonam præpositum Witebergensem, quam ex autographo Spalatini exhibet KAPP. Docum ad Hist. Ref. P. II. p. 601. sq.

(a) vid. Ep. *Capit.* ad *Stromerum* d. v. Julii 1524. apud KAPP. in Docum ad H. R. P. II. p. 610. sq.

(b) vid. SCULTET. ad A. 1524. p. 214, 215, 216.

(c) vid. Introduct. nostr. §. LXXVI. p. 174.

(d) vid. SCULTET. p. 215, 216.

torio sustinendas tollant. 5. de purgatorio, ad quod stabiliendum abusus sit scripturæ dictis Matth. 5. & 18. & 12. & 1 Cor. 3. 6. de sanctis, quod invocandi: quod illorum intercessione à peccatis abstineamus; à morbis liberemur. 7. de libero arbitrio, quod in hominis potestate sit, bona vel mala operari. 8. de bonis operibus, quod sint meritoria vitæ æternæ & quod sit meritum congrui, digni, & condigni, ex lacunis Scholasticorum. 9. de votis monasticis, quod sint alter Baptismus, in quo de novo regeneretur homo, unde & nova nomina, velut in Baptismo fieri solet, monachis & monialibus imponantur. 10. de Ecclesiasticis: quod jure divino non teneantur tributum & vectigalia solvere: nec à Magistratu politico possint capi, aut carceribus includi. Hæc omnia retractat, & ex verbo Dei convellit, nihil veritus voculas malevolorum & calumniatorum. Præfatio scripta est Bernæ Helvetiorum VI. Septembris hujus anni.

§. LVI. MEGAPOLITANUS sive Mecklenburgensis, ab arce & urbe olim spatiosa, sed diruta, nomen habens, Ducatus gubernabatur hoc tempore ab *Henrico* (a) & *Alberto* fratribus, *Magni* Ducis Megapolitani filiis; Uterque hoc anno (b) à Luthero petunt Evangelistas, alter per Johannem Loser, alter per Priorem Sternbergensem. Etsi autem Albertus (c) Papisticam religionem in sua Ducatus parte retinuit; tamen Henricus cum filio Magno, Principe literatissimo in sua ditione Ecclesias reformarunt opera M. *Gerhardi Oemekenii* & aliorum usi. Mortuo autem Alberto Henricus suos ex fratre nepotes Johannem Albertum & Henricum piè institui voluit, qui defuncto patruo Henrico, totum Ducatum à reliquiis fermenti Papistici repurgarunt.

Cæterum WISMARIÆ in Ducatu Megapolensi, primus (d) taxare abusus Pontificios & regnum AntiChristi revelare cœpit *Henricus Mollensius*, quem Albertus Dux, maritus novus, celebratis

(a) vid Introd. nostr. § XXXIV. p. 65.
(b) vid. LUTH. ad Spalatin. Epist. T. II. p. 205. a.
(c) SCULTET. p. 205. ex Archivis.
(d) CHYTRÆ. Saxon. Lib. X. fol. 251. & SCULTET. p. 206.

bratis paulo ante *Berolini* cum Joachimi I. Elect. Brandeb. filia Anna nuptiis, aulicum Ecclesiasten secum adduxerat, eumque toto quadragesimæ tempore, & in feriis Paschæ concionari in templo Georgii, & Sacerdotum ac Monachorum hypocrisin retegere & redarguere sinebat. Huic consona, sed majori cum libertate & facundia, in Franciscanorum cœnobio, *Henricus Neuerus*, custos seu inspector vicinorum in tota provincia ejusdem Ordinis cœnobiorum, paulo ante electus, in feriis Paschæ magno hominum concursu & admiratione, ac Principe ipso, cum recens ducta conjuge conciones illius frequentante, prædicare incipiebat; qui præterea quò acerbioribus odiis suorum Monachorum & Patrum ordinis expositus erat, tantò ardentiore Zelo ac constantia cursum prædicationis semel susceptæ urgebat, præsertim cum Aulæ & civium plurimorum, ac Senatorum etiam aliquot patrocinio tectus esset.

§. LVII. De initiis Evangelicæ Reformationis MAGDEBURGICÆ in superioribus (a) diximus, hoc autem Anno 1524. *Miricius*, *Widensee* & *Fritzhans* tum commemorati, publicè themata edunt *octodecim* adversus Traditiones Pontificias, Vota Monastica, Sacrificium Missæ, primatum Papæ, purgatorium, Vigilias, justificationem operum &c. eáque ad disputandum proponunt. Sed nemo Pontificiorum disputationis aleam subire voluit. Quomodo tum Lutherus Magdeburgum fuerit evocatus, isque post paucorum dierum moram *Nicolaum Amsdorfium* illuc miserit, jam à nobis est indicatum. Sed, ipsum Magdeburgensem utriusque cœtus S. Johannis & S. Ulrici populum, tum publicam quoque actionem instituisse cum *Henrico Stohtt à Schaussen* Capituli Magdeburgensis Præposito, & certos quosdam ipsi proposuisse articulos (b) discimus ex peculiari ea de re tum temporis publicato scripto, quo sibi purum Evangelium prædicari & sa-

(a) vid. §. XXXIX. pag. 48.

(b) Horum articulorum ob rei memoriam, & quod eorum ferè apud neminem mentio injicitur, argumentum, meritò ex scripto illo veteri, cujus auctor se appellat *Wolff* CYCLOFF von Zwickau, Medicinæ Doctorem, quodque in S. F. HAHNII collectione monumentorum Tom. II. p. 459-478. reperitur, excerpimus.

Das

sacramentum eucharistiæ sub utravis specie sibi communicari, postulant, deinceps, ut illa cerimoniarum farrago abrogetur, ipsaque fides in Jesum Christum per charitatem operosa, sibi prædicetur, petunt, atque ut baptismus lingua Germanica sibique vernacula administretur. &sim. Sed-

Der erste Artickell.

Das der wirdige H. Probst, alls der öberste Pfarher, wolde und solde, die ytzgenanten zwey kyrspild mit sulchen tüglichen underpfarrhern und Sehlsorgern besetzen und versorgen, welche das klare, reyne und von allen undynstlichen und hynderlichen pey leren (als das feyne gold und silber) abgeleuterte Gotliche wort, und trostliche Ewangelium (welches alleyn von Christo Jhesu dehn Apostelen allen creaturen zu predigen bevolhen ist) vleyssiglichen sodenverkundigen, adder tzuvorkundigen vorschaffen.

Der ander Artickell.

Das eynem ytzlichen, der durch Gotliche Genad, sich in seynen gewißen, mit dem Gesetze Gottis, beruhrt und gedrenget befindet, und durch dy Ewangelische Gotliche zusagung, ihnn der entpfahung des leybes und blutes des Herren, unther dem Sacrament des brodes und des weynes erynneret, seyn gewissen begerth, zu trosten, styllen und tzubefryden, sollen dy Pfarrher und Sehlsorger, nach Christi unsers Erlösers aussagung (unangesehen eynigerley menschen gepoth, unvortzoglichen unnd ungewegereth mitteylen und reychen, und mitt den andren schwach-gelaubigen, pys tzu weyterer sterckung, ihn gewonlicher weys, under eyner gestalt, zu wilfaren, gedult tragen.

Der dritte Artickell.

Dy Pfarrher und Sehlsorger sollen (in heyliger und Gotlicher schrifft) falsch ader ungegrunte, und geltsuchtige myssprauch der vormeynten und von menschlichen guthduncken ertichten Gottis dynste (als do seyn, dy messe vor eyn opffer zu gebrauchen, und vor die sunde der thoden adder lebendigen menschen genugtzuthuen, dar aus auch geflossen, Votyff heyligen adder Selbmessen, Vilgen, Ersten, Sybenden, dreyssigsten und jargezeyten, und was der geleychen gelunetze, angel und stricke, ymmer mehr geseyn mögen) gentlichen abstellen und auffheben, als dy allerlystigsten und schedligsten mittell, do durch der eynige vor Gott gerechtmachende gelaub und vortraw, in Christum Jhesum, und dy bruderliche Christliche lyb, eyn so lange zyt vorgessen, ausgeleschet und vortilget ist worden, Darumb das wir Gottis worten und seynem genedigen wyllen unnd wolgefallen nicht gantz alleyn gevolget, sundern vorachtet unnd vorlassen haben, Szo hat ehr uns auch in unsseren eygenen und sünderlichen fundleyn, nach unssers eygenen hertzens, gesichten, traymen und betrugnyssen so gantz erbermlichen laßen voryrren, als ethwann den Kyndern von Israhel auch

Sed & BREMENSES, de quibus §. XXXV. diximus, prævalente civium potentia, suasu Henrici Zutphaniensis, cujus tristissimum Martyrium in hunc annum incidit, *Jacobum Hyperium* sive *Præpositum* Theologiæ Licentiatum, Monachum Augustinianum (a), alias *Sprenger* dictum, hoc anno ad se vocarunt, ut is in Templo Mariano Evangelium doceret, adjungentes eidem paulo post *Johannem Timannum Amsterdamum* (dictum *Johan Sötemelk*) quem in Templo Martiniano Pastorem constituerunt, quorum consilio, opera, & auctoritate anno sequenti anno 1525.

auch widerfaren, und durch dy Propheten zu unser underweysung beschryben ist.

Der Vyrde Artickell.

Das dy Pfarrher und Sehlsorger das Sacrament der heyligen tauffe, Als das erste tzeychen dehr eynleybunge Christlicher gemeyne und vorsamlung, Mit deutzschen gewönlichen unde vorstendigen wortenn (so des ymandes begehrt) sollen gebrauchen ader tzu gebrauchen vorschaffen, Auff das dy gevattern, adder des Kyndes pathen, sampt dehn umbstendigen hören un vornemen mögen, was sy vor das Kyndt do selbest gelauben, und geloben, in welches gelaubens krafft, der taube und stumme böse geyst, des Kyndes Sehle, tzu eyner behausung unnd wanung, dem Gotlichen Geyste, müste vorlassen, und so das selbige kind tzu vornünfftigen und mündigen Jaren keme, des vorhafften und pflichtigen gelaubens und gelobens, getreulichen erynneren, und vormanen künden, do durch es mitt unvorsichtigen, törlichen und Got misvelligenn gelübten, wyder das erst gethane, als yhn den unchristlichen und meyneydigen geystlichen und Klöster gelübden, mit vordampnüs so viel tausent Sehlen, manch hundert jar, so erschrecklichen geschehen ist.

Cæterùm de *Wolfgango* CYCLOPE, horum articulorum compositore, notari debet, eum quoque jam apud *Cellanos* eodem hoc anno de quibusdam fidei articulis, quod statim videbimus, disputationem instituisse, eumque in controversia sacramentaria, quæ jam tum gliscebat, non cum Luthero sensisse, sed puriorem amplexum fuisse sententiam, atque eapropter à Nic. Amsdorfio & aliis, tanquam qui Carolostadii sententiam acerrimè propugnaret, & cum illo faceret, fuisse denigratum, cum ceteroquin & eruditissimus fuerit, & in Academia Witebergensi jam A. 1510. professionem publicam Mathematicæ disciplinæ habuerit vid. GUDEN. diss. de Ernesto duce Luneburg. pag. 12, 13.

(a) v. SCULTET. p. 207. ex Chronico Bremensi & ex Chytræo fol. 248.

Pontificiæ Missæ, in omnibus parochiarum & monasteriorum templis, solo templo Petrino, sive cathedrali excepto, sunt abolitæ.

Sed & LUBECENSES (a) cives hoc anno 1524. urbe egredientes magna aviditate & concursu, docentem audiverunt, & errores Pontificios graviter refutantem Pastorem quendam, quem Fridericus Daniæ Rex in oppido *Oldesloa* Evangelium prædicare & Sacramenta ex lege Christi administrare jusserat; quanquam ipsa demum *Reformatio Lubecensis* per Johannis Bugenhagii ministerium A. 1530. & 1531. fuerit absoluta.

§. LVIII. Anno jam 1521. ex urbe LIPPIA (b) Westermannum & Hermannum Korten, Witebergam miserunt Augustiniani Monachi, ut sub Lutheri ductu studiis operam darent, ubi Westermannus A. 1525. gradum (d) Doctoratus assumsit, atque cum altero, tunc Baccalaureo, Lippiacis Ecclesiis Evangelium prædicavit: Clivenses equidem (in Lippienses enim Cliviæ Duci & Comiti Lippiensi commune erat imperium) *Johannem Host de Romberg*, hæreticæ pravitatis Inquisitorem Lippiam misere, qui varios Evangelicæ religioni oppositos articulos pro concione proposuit, sed, quod non ausus fuerit de illis cum Westermanno publicè conferre, quippe quem Coloniam ad conferendum cum Doctoribus Coloniensibus evocaverat, cives id observantes, ad Evangelicam religionem transiverunt.

BRUNSVIGÆ, quæ tunc urbs (e) à Ducum imperiis libera erat, semina reformationis anno hoc 1524. jacta sunt, Diaconis quibusdam, plebis favore, invitis Prælatis & Pastoribus Urbicis, Evangelium prædicantibus, ut non sine magnis motibus, qui triennium integrum durarunt, doctrina Papæ abjecta, doctrina Christi fuerit admissa (f).

Est verò Ducum Brunsvicensium urbs in ea parte, quæ à vetu-

(a) vid. *Casp. Henr.* STARKII Lubeca Lutherano-Evangelica Part. I. conf. *Biblioth. Lubecens.* volum I. pag. 141, 142.
(b) v. Hamelmann. Opp. Histor. p. 811. sq. & 1045. seqq.
(c) v. Seckend. l. CXLVIII. pag. 264. & §. CLX. p. 283.
(d) v. Seckend l. CXLVIII. pag. 264. & §. CLX. p. 283.
(e) Seckendorf. l. CLXVIII. p. 294.
(f) vid. SCULTET. ad A. 1524. p. 207, 208.

tusta arce *Grubenhagia* nomen habet, EIMBECCA (a); Hanc eodem hoc anno benigniter aspexit Deus, ministerio M. *Ernesti Butmeisteri* & D. *Godeschalci Croppii*, (b) aliorumque, & indulgentiarum Papalium vanitatem & gratiæ Jesu Christi efficacitatem populo commonstrans. Nam & ipse Dux Brunsvicensis, cujus aula Guelferbyti est, HENRICUS *Junior* dictus, favere tum quodammodo Luthero (c) atque ejus doctrinæ cœpit, sed is ab agnatis Luneburgensibus (d) eorumque patruo & consobrino, Electoribus Saxonicis, deinceps multis de causis diffidens, mutato animo, Pontificias partes, quanquam infelici eventu ad extremam usque senectutem, quam ad annos octoginta produxit, pervicaciter tenuit. (e)

CELLÆ verò, in aula Ernesti Ducis Luneburgensis Evangelium hoc anno docebat *Godschalcus Crusius*, quem *Godsaligum* sive *in Deo beatum*, Lutherus vocat & cui in (f) epistola quadam gratulatur de ista conditione, ac monet, ut pusillanimitatem Margarethæ conjugis Henrici Ducis Luneburgensis, sororis autem Electoris Friderici Saxonis, quæ Ernesti Mater erat, ferat, dum illa verbum ferat & non persequatur. Enimverò is ipse est Ernestus, qui vivente adhuc Patre *Henrico* (in Gallia exule, & quem ab his filiorum (g) consiliis dissensisse, constat,) consensu fratrum *Ottonis* & *Francisci* Anno 1525 (h) ad exemplum Johannis Electoris, qui Friderico fratri modò successerat, patrui sui, reformandæ religioni incubuit, opera inter alios usus *Henrici*

R 3

(a) HAMELMANNUS & ex eo Scultet. p. 209.

(b) Is est *Godeschalcus Croppius* qui cum *Godeschalco Crusio*, de quo statim, honores doctoris Theologiæ aditurus, *articulos super celebratione Missarum, Sacramento panis & vini, & discrimine præcepti & promissionis, & aliis*, sub præsidio CAROLOSTADII A. 1521. d. 17 Octobris è cathedra Witebergensi publicè defenderat.

(c) vid. Epist. LUTHERI ad Spalat. Lib. II. p. 205.

(d) SECKENDORF I. CLXVIII. p. 294.

(e) Conf. Introd. nostr. §. XXXIV. p. 64.

(f) v. LUTHER Epist. Tom. II. p. 236. & Scultet. Annal. T. 1. p. 710.

(g) vid. GUDEN. Diss. de Ernesto, p. 11. & 17. qui hic Hamelmannum corrigit, qui dixerat suffragante Patre Henrico sene id factum esse.

(h) SECKENDORF. l. c. p. 294. b. & *Seth.* CALVIS. Oper. Chronol. fol. 919.

rici Bockii, *Matthiæ Oudermarckii*, Pastoris Cellensis, (quem lineamentis faciei Luthero simillimum fuisse testatur, qui utrumque vidit Chytræus (a),) & *Mathæi Ginderici* Bardewicensis. Sed & ante Crusii adventum Medicus ille Cygneus, cujus modo in Historia Magdeburgensi facta est mentio, *Wolfgangus* CYCLOPS, jam cum Monachis Franciscanis Cellæ degentibus, de quibusdam fidei articulis disputationem instituit, quam deinceps edito libello (b) singulari publici juris fecit; Qua verò occasione is vel Cellas venerit vel abinde fuerit dimissus, quando fortunarum suarum sedem Magdeburgi constituit, propter documentorum penuriam, non constat, nisi quod ei à *Nic. Amsdorfio*, & reliquis Lutheri Parastatis, imputetur, quasi turbulentum præ se gesserit animum, & violenta si credere fas est, secutus fuerit consilia.

§. LIX. Incidit in hunc annum Ecclesiarum Comitatus HOYENSIS ad Visurgim reformatio, (c) quam *Jodocus* Comes inchoavit, & quatuor filii ipsius *Albertus*, *Ericus*, *Otto*, & *Fridericus*, ultimi istius stemmatis Comites, continuarunt. Legerat *Jodocus* Comes in summo mærore suo submissos sibi à socero Comite *Wolfgango* de *Gleichen*, Lutheri & Melanchthonis libros, contuleratque de iis cum aulico concionatore, sacrifico & confessore suo *Conrado Drudekeno*; Hunc itaque, instigatus ab Ernesto, Duce Luneburgensi, Wittebergam misit, accersitum virum aliquem eruditum, qui monachos Terminarios, & alios missificos compescere posset. Lutherus misit *Adrianum Boxschotium* Antverpiensem, qui Antverpiæ cucullum exuerat, & Wittebergam profectus fuerat, virum Latinæ linguæ callentissimum, & Belgici sermonis cum

(a) CHYTRÆ. Saxon. L. XI. fol. 279. Conf. Diss. *H. Phil.* GUDENII de Ernesto Ro. Gott. 1730. 4. pag. 10. & 11. ubi plura de his ipsis Reformatoribus.

(b) Titulus libelli est: *Ein geistlich kampf und scharmützel über V. Beschluss und articul, das Göttliche wort belangend, zwischen Wolf Ziclop von Zwickau, der Artzenei Doctor, und den allergeistlichsten Vätern, Heinrich Marquard, der Barfüsser Minister, Math. Teufel von Nordtheim, Guardian samt allen ihren mitbrüdern zu neuen Zell im Luneburgischen Lande in neehst verschienener marter-woche begriffen und verfasset Magdeburg MDXXV. in 4to.*

(c) Ex Hamelmanno SCULTETUS p. 209, 210.

cumprimis gnarum; Is igitur, de voluntate Comitis templum ingressus *Neoburgi* (quod est amplissimi Comitatus primarium oppidum) Monachum in Lutherum ex suggestu fulminantem, ita adortus est: ***Ego ad hoc vocatus sum ab inclyto Comite Hoyensi, Domino Jodoco, ut te & tuos mendacii arguerem: ideo dic tu perverse Monache, idque palam coram tota Ecclesia hac, ubi quando & quibus in locis erravit Lutherus?*** Obmutuit Monachus & clam de suggestu descendens aliò profugit, nunquam in Comitatum istum reversus. *Adrianus* proxima concione suggestum conscendit, atque disputatione publica se Pontificios errores confutaturum, Lutheri dogmata probaturum, edicit. Sed Monachis disputationem refugientibus, Comes *Jodocus* per eundem hunc *Adrianum* Missas, Vigilias, Invocationes sanctorum, & totum abominationum Pontificiarum chaos abolet, *Adriano* Ecclesiæ in oppido Hoya pastore declarato, interea dum *Cyriaco Hesso* ab Alberto Mansfeldico Comite ad se misso, aulici concionatoris, M. *Jodoco Crammio* à Duce Luneburgico misso, urbici pastoris Neoburgii, officium demandaretur.

In ditionèm JEVERENSEM (a), purioris doctrinæ facem intulit hoc anno primus *Henricus Cramerus* Esensis, pastor in urbe Jeverana, multum adjutus auctoritate *Romeri Zedichii*, Quæstoris & Consiliarii Jeverensis.

ANNÆBERGÆ quæ urbs est Misniæ, à Georgio Duce non diu ante condita *Fridericus* MYCONIUS (b) die Palmarum docere cœpit Evangelium. Sed cum is, quod deprehendisset se ad vincula destinari, se abinde recipere debuisset, publico scripto tamen ad Rempublicam & cives Annæmontanos edito, Deo gratias egit, quod ex Ægyptiaca servitute liberatus esset, lætatusque, quod Dominica Palmarum Christum Hierosolymam ingredientem sit comitatus: hortatus est denique Annæmontanos: ne metuant Papistas, & si Magistratus eos persequatur, quid facto opus sit, indicavit.

CYGNÆÆ in Misnia cœpit hoc anno exaudiri cœlestis tuba.

(a) HAMELMANNUS l. c.
(b) SCULTETUS p. 24. ex vita Myconii. Conf. SECKENDORF. L. 1. §. CX. p. 181.

ba renascentis Evangelii, ex qua urbe ἔξαρχος Fridericus Myconius (a) ad Annæmontanos ea scripsit, quorum modò mentio facta, quanquam is paulo post Gotham vocatus fuerit, quando relicta Cygnæa ad gubernandas Ecclesias Thuringiacas is adplicuit animum.

§. LX. Circa finem anni 1524. jam cœperat, quæ ineunte anno 1525. in nervum erumpebat tumultuantium Rusticorum in Germania seditio, quæ à Suevorum finibus per Franconiam vagabatur, Thuringiamque postremò invadebat, & vicinas aliquot regiones; Quæ res equidem ita infesta erat Evangelio, atque non exiguam Reformationi remoram injiciebat, ut ille tamen subitò exortus tumultus, atque graviter Germaniæ, superiori cumprimis, imminens (siquidem ad minimum quinquaginta hominum millia in eo periisse, testentur auctores fide digni) subitò quoque fuerit sedatus, nec nisi per paucos solummodò menses duraverit: Quum enim gens rustica nimium premeretur angariis & oneribus (b); & verò ex Evangelio audiret libertatem Christianis per Christum partam esse, doctrinam illam detorsit, ut putaret, aut tollendum esse servitutis jugum, aut libertatem armis vindicandam: Et quanquam Pontificii bellum illud ignobile libertati Evangelicæ à Luthero & ejus asseclis prædicatæ tribuerunt, ipsumque Lutherum motuum illorum incentorem esse, palam dixerunt, vociferando: *Hic nova doctrina, hic Evangelii Lutheranici fructus*, tamen omnia alia esse vera, jam ita luculenter à gravissimis viris ex ipsa temporum historia est evictum, ut harum calumniarum repetitio tantummodò perversam adversariorum mentem arguat, mirumque adeo sit, quod non desint etiam hodie inter ipsos Lutheri sectatores, qui non erubescunt, hanc dicam, quam à se meritò amoliri student, scribere *Christophoro* SCHAPPELERO, Viro eximio atque civitatis Memmingensis Re-

(a) De *Frid Myconio* & ejus singulari somnio, aliisque eum concernentibus, jam in *Introductione nostra* quædam sunt monita. Hæc verò quæ hic protulimus, ad hunc annum annotaverat SCULTETUS p. 211.

(b) Ita ALTING. de Eccl. Palatinis C. XVIII p. 33. Cf. J. H. MAJI Histor. Reform. Luth. Loc. I. § CXIV. pag. 180. seq.

Reformatori, quasi is & XII. articulorum à rusticis exhibitorum fuerit auctor, & rusticos abusu Scripturæ S. obfirmaverit, quod tamen utrumque falsum esse, præ reliquis Doctissimus *Schelhornius* (a) edocuit, indicando, quam Schappelerus non minus atque etiam Lutherus voce & scriptis hæc ipsa tumultuantium rusticorum conamina seditiosa fuerit abominatus, eumque in finem Zwinglium, ut se iis opponeret, singulari epistola (b) fuerit exhortatus:

Inter has turbas die XXV. Maji supremum diem obiit FRIDERICUS Elector Saxoniæ, & Johanni Fratri, dicto CONSTANTI ob confessionis constantiam (c) locum fecit, qui non modo conciones Evangelicas in aulam introduxit, sed & veritatis τεκμήρια in suorum manticis extare voluit, quippe quibus initiales hujus dicti, *Verbum Domini* (d) *manet in æternum*, literas V. D. M. I. Æ. inscribi curavit.

In Italia eodem tempore apud Insubros bellum ardebat inter Cæsarem & Franciscum I. Galliarum Regem, ipseque Franciscus, cum inferiores in prælio decretorio d. XXIV. Februarii facti essent Galli, prope Ticinum capiebatur, atque in Hispaniam abducebatur, unde se redimere tandem post tredecim custodiæ menses debuit: Hæc dum agebant tanti Principes, & Clemens interea VII. P. R., cui se parti addiceret, dubius erat, nova quædam negotio Evangelico concessa sunt halcyonia; Neque ea, quæ hoc anno Augustæ Vindelicorum habenda indicta

S erant

(a) vid. *Amœnit. literar.* Tom. VI. p. 398. seqq. & P. *Gnodalius* in Schardii Scriptoribus Rerum German. T. II. fol. 134. it. SCHELHORN. in Histor. Reform. Memmingensis p. 82--93.

(b) v. HOTTING. Histor. Eccles. Sec. XVI. P. II. p. 515. sq.

(c) De JOHANNE cognomento Constanti laudari meretur M. *Schmeizelii* dissertatio Jen. 1718. habita, qua simul calumnia Pontificiorum quorundam de Ejus ante obitum in castra Pontificiorum transitu retunditur.

(d) Refert nobis G. Spalatinus in diario MSS. apud SCHELHORN. Amœnit. liter. T. IV. p. 401. Fridericum jam Electorem ipsa æstate anni 1522. nummos argenteos cudi fecisse cum inscriptione in altero latere: *Verbum domini manet in æternum*; Atque p. 402. eundem Fridericum suis hybernam vestem dedisse, cum iisdem literis in dextera manica in longitudinem intertextis V. D. M. I. Æ.

erant Imperii Comitia, ſuccedebant, ſed in annum ſequentem, & in alium quoque locum, Spiram nempe, differebantur.

§. LXI. Lutherus interea ore, ſcriptis, conſilio, reipſa, quantum in ipſo erat, Evangelii cauſam promovere, atque cumprimis non ſolùm à ſua doctrina ſeditioſa omnia conamina amoliri, ſed & adverſus ruſticorum tumultuantium turbulenta conſilia in ſcenam prodire, variisque editis libellis doctrinæ puritatem aſſerere ac promovere, ſtrenuè pergebat; Quæ omnia mirum in modum Evangelii renati progreſſum confirmare potuiſſent atque perficere, niſi ſimul triſtiſſima *belli Sacramentarii* inter ipſos Evangelii conſeſſores exorti, imago interveniſſet, cognatasque in ſe acies convertiſſet: Inter reliqua verò hujus anni per Lutherum edita ſcripta, eminent ejus Annotationes in *Deuteronomium*, ad Georgium à *Polentz*, Epiſcopum Sambienſem, quæ, licet eſſent extemporaneæ (a), ſatis tamen oſtendunt copiam & felicitatem ingenii & exercitatum in Scriptura interpretanda ſenſum: *Adverſus cœleſtes Prophetas*, quos tum publicavit Lutherus, libri, non pauca bonæ frugis equidem continent, ſed ita, ut, cum intermixta ſint varia alia, non æque ad Evangelii incrementum facientia, (eſt enim hoc Scriptum Lutheri adverſus Caroloſtadium, & ejus aſſeclas, omnium vehementiſſimum, ut quoque *τῃ της αυθολκης ἀμέτριᾳ* abreptus, in eo abolitionem Imaginum pariter atque Spiritualem Chriſti præſentiam in S. Cœna oppugnet) eodem hoc ſcripto cenſeri poſſit *Belli* illius tanta cum animorum vehementia deinceps continuati *ſacramentarii* claſſicum ceciniſſe Lutherus, quam tamen cauſam nondum agimus: Sunt enim tum variæ quoque Lutheri ad varios ſcriptæ *Epiſtolæ*, ad Antverpienſes (b), ad *Henricum* Regem Angliæ, ad *Georgium* Saxonem, ad *Albertum* Mansfeldenſem atque ad alios, quarum argumenta enarrarunt alii; Enimverò, quæ in notiſſima *de Arbitrio* vel *libero* vel *ſervo*, controverſia inter Lutherum & Eraſmum reciprocata ſunt

(a) SECKENDORF. L. II. §. VIII. fol. 24, b. qui ibidem multa ex iis excerpit eximia lectuque digniſſima, cumprimis etiam adverſus Myſticæ Theologiæ abuſum, monita.

(b) v. LUTH. Ep. T. II. p. 281. Hanc multis nominibus lectori commendat SCULTETUS, ſuisque annalibus totam inſeruit, p. 319. ſeq.

sunt scripta, silentio prætermitti hic non possunt; Ediderat Erasmus A. 1524. *de libero arbitrio* diatribam. Huic Lutherus, quanquam profiteretur *sibi molestum esse tam erudito libello*, *tam eruditi viri respondere* (a), tamen respondendum esse potissimum *propter eos*, *qui auctoritate ejus abutebantur in gloriam suam contra Christum* (b), judicabat, eumque in finem, interposita quadam temporis mora, (ne quis eundem ex nimia festinantia quædam minus apposite protulisse suspicetur,) mense scilicet Decembri anni 1525. demum edidit Erasmi diatribæ oppositum de *Servo arbitrio* librum: In hoc toto libello, eum id præcipue agere videmus, ut contra Erasmum doceat, „ liberum nostrum arbitrium (c) „ non posse se præbendo gratiæ, vel ei non resistendo, applicare „ ad gratiam; nihil planè nos agere, sed tantùm pati; quicquid „ boni vel mali faciamus, id omne *coactos* (id est, liberè quidem, sed ita ut per divinæ voluntatis immutabilitatem, necessariæque præscientiæ infallibilitatem ne aliter quidem agere „ possimus) *nos facere*, vel *pati* potius; contingenter Deum nihil præscire; neque nobis, neque Angelis, neque Adamo integro, neque ulli creaturæ unquam fuisse liberum arbitrium; „ Sed quæcunque extra Deum fiant, ea omnia ita fieri, ut, si „ Dei voluntatem spectes, ne aliter quidem fieri possint. „ Neque hæc docet tantùm, sed sine iis, *neque Deum*, *neque Christum*, *neque fidem*, *neque Evangelium*, *neque quicquam reliquum* esse, ne Judaismi quidem, multò minus *Christianismi*, acerrimè tuetur. Qui autem hanc Christianæ fidei partem exosam & execrabilem facere nitantur, eos in dæmonibus & damnatis censet: Hæc atque similia, cum per totum illum tractatum inculcentur, cùmque eum in finem, ad omnem gravitatem composito stylo, is Erasmo, rationi nimium habenas laxanti occurrat, eàmque sequâtur methodum, quæ cum maximè ad demonstrandum erat

(a) vid. LUTHER. Ep. Lib. II. p. 238. ad Spalatinum.
(b) LUTHER. in Ep. ad Nic. Hausmann. mens. Novemb. 1524. Ep. L. II. p. 24.
(c) vid. Cl. VITI Apolog. pro Synodo Dordrac. §. 38. p. 247. conf. SCULTETI Annales ad An. 1526. pag. 32. seqq. ubi speciatim totius libri argumentum per Theses quasdam inde excerptas refertur.

comparata, tum luculenter conspicitur, quam totus in eo tum fuerit Lutherus, ut illam, quam nunc temporis in Calvino & asseclis ejus adeò detestantur, qui à Luthero dici tamen amant, doctrinam, adversus Erasmum defenderet atque corroboraret: At verò, quum idem ille liber stylo nitidiori scriptus esset, & majorem præ se ferret eruditionem, quam reliqua Lutheri Scripta, inde Erasmus vel à *Gul. Neseno*, vel à *Justo Jona*, vel à *Phil. Melanchthone* eundem scriptum esse suspicatus est, sed malè, quandoquidem Lutherus illum & sibimet semper tribuerit, & de eodem tanquam de invicto semper fuerit gloriatus, quin imò eum tanti æstimaverit, ut A. 1537. etiam ad Capitonem scripserit (a), ***nullum se agnoscere justum suum librum, nisi forte de servo arbitrio*** & ***catechismum***. Quam Lutheri in hac doctrina constantiam dissimulare non debuissent ii, qui nostris temporibus Historiam ***motuum*** (b) & ***controversiarum religionis*** scripto consignarunt, atque frigidis argumentis id à Luthero suo, imò nostro, amoliri conati sunt, quod is tamen tanquam dogma præcipuum ita adamavit, ut ab eo divortium facere nunquam voluerit. Neque etiam sequentibus temporibus minor fuit hujus libri æstimatio apud eos, qui Lutherum γνησίως sequebantur Magistrum, quod ex creberrimò repetitis ejus editionibus, itemque ex scriptis *Brentii*, *Heerbrandi*, *Spangenbergeri*, *Flacii Illyrici*, *Heshusii* & aliorum, qui inter Lutheranos nominis celebritatem assecuti sunt, liquet, usque dum illæ inter Protestantes ipsos in Schola cumpri-

(a) Hujus Epistolæ autographum *Argentinæ* adservari testatur SCULTETUS ad A. 1526. pag. 34. Eandem verò ex Thesauro Uffenbachiano, cum ante paucos annos adhuc esset inedita, primus publicavit A. 1736. Rev. J. C. WOLFIUS Theol. Hamburgensis in *conspectu supellectilis literar.* pag. 52, 53. ubi inter alia, hunc in modum: *De Tomis meorum librorum disponendis ego frigidior sum & segnior, eò quod Saturnina fame percitus magis cuperem eos omnes devorare: Nullum enim agnosco meum justum librum, nisi forte* de Servo Arbitrio & Catechismum.

(b) vid. LOESCH. Hist. mot. L. IV. c. X. p. 278. sqq. WALCH. Einleit. in die streitigk. ausser der Lutterische Tom. III. p. 338. & sq. Quibus longè cordatior est C. M. PFAFFIUS Theologus Tubingensis *Lutherum* inter eos referens *qui absolutum decretum sine dispendio salutis crediderunt*, in diss. *de influxu doctrinæ de Prædestinatione in praxin fidei*. p. 14. & 16.

primis & ecclesia Argentinensi, exorirentur contentiones *de prædestinatione & gratia*, quando vel ipse *Christophorus Lasius*, Theologus Argentinensis, non solùm ab hac doctrina divortium fecit, sed & miro quodam ausu, ac pœnitendo consilio Lutherum hoc Opus revocasse, disertis verbis Flacio inclamavit (a) A. 1568. Quam fabulam adeò explosam tamen ab aliis, deinceps inde à colloquio Mompelgratensi repetere non sunt veriti Theologi *Tubingenses*, quorum discipuli, *Ægidius Hunnius*, *Georgius Mylius* & alii nonnulli, Lutherum propter servum arbitrium erroris & calumniarum reum (b) peragere non minus temerario conamine ausi fuerunt. Και ταυ̃τα μεν δη ταυ̃τα.

§. LXII. Monachalibus votis uti Lutherum superiori anno (c) solutum vidimus, ita aliis se jam votis, sed conjugalibus, obstringebat, edito pridem de *Votis Monasticis* tractatu, atque d. XIII. Junii cum *Catharina Borria*, è nobili stirpe oriunda, quæ monialis ante fuerat in cœnobio Nimptschensi, è quo cum soda-

(a) Hunc falsi tum postulabat FLACIUS in Responsione Germ. *adversus Christoph. Lasium* de peccato Orig. libero arbitrio &c. asserendo, „ quàm ita Lutherus & omnes Ecclesiæ Evangelicæ accusentur, quasi „ 50. retrò annis non pro veritate, sed pro mendacio contra Pontificios tanta „ contentione pugnarint.„ JOHANNES verò etiam GULIELMUS, Dux Saxoniæ, A. 1570. præfatione corpori doctrinæ Thuringico præmissa: *Audivimus*, ait, *aliquos publicis scriptis Luthero revocationis notam in doctrina de Eucharistia & de servo Arbitrio impingere. Nimirum, hoc agit Diabolus, ut alios subinde atque alios fidei articulos evertat, quos divino Zelo vir Dei Lutherus ad finem vitæ constanter adsertos nobis reliquit.* Imo verò, quod nunquam eum librum revocaverit Lutherus, acriter contendit Conr. SCHLUSSELBURGIUS, Doctor Lutheranissimus in catal. hæret. lib. IV. p. 254. ubi hanc fabulam *mendacium*, appellat *per insignem, impudentem & prorsus diabolicam fingendi licentiam, excogitatum*; atque provocat ad commentarios in *Genesin*, tanquam cygneam Lutheri cantionem, quæ ex amussi doctrinam Lutheri *de servo arbitrio* confirmet, tantum abest, ut is judicaverit, quod hodiernorum Lutheranorum est, χηισφυγετον, quod in commentario ad Genesin Lutherus hanc in libro de servo arbitrio doctrinam assertam, vel elimaverit, vel immutaverit.

(b) vid. Danielis HOFMANNI Theologi Helmstadiensis Apologia. p. 62. & 81. apud Sculteum p. 35.

(c) conf. §. LIV. p. 124.

ſodalibus ante biennium egreſſa erat, inibat matrimonium, *tum* quod continua cum multis etiam Chriſtianis fœminis converſatio animum ejus emollierit, uti Melanchton ſcribit ad Camerarium (a), *tum* quod pater ejus id petierit, cui hoc ſuadenti gratificari volebat, uti Lutherus ſcribit ad Amsdorfium (b), *tum* denique, quod Catharinæ deſiderio deeſſe noluerit, cum enim illam Glacio, Paſtori Orlamundano, in matrimonium collocare vellet, ipſa Glacium fugiens, ſe à matrimonio alienam non fore dicit, ſi vel Lutherus vel Amsdorfius eam ducere vellet (c); Hoc enim ubi Lutherus intellexiſſet, præteréaque audiſſet ex D. Hieronymi Schurfii ore: *Si Monachus iſte uxorem duceret, riſuros mundum univerſum & diabolum ipſum, facturumque ipſum irritas actiones univerſas*, ut ægrè faceret mundo & Diabolo, ſibi Catharinam uxorem ducendam cenſuit (d), idque, nulli amicorum ea re prius communicata, perfecit, invitato veſpere ad cœnam Pomerano, & pictore Luca, & Juriſconſulto Apelle Solis: Dici autem nequit, quantæ hinc calumniæ fuerint ſparſæ, quas inter & hæc fuit: *Ex hoc conjugio Monachi & Monachæ Antichriſtum naſciturum*, itemque *quod ipſæ hæ nuptiæ & inceſtæ eſſent & caninæ* (e), cujus generis tamen calumniæ ut retundantur, ne quidem opus eſt, quanquam etiam his ipſis à Viris Doctis atque cum-

(a) v. Epiſtolar. Lib. IV. n. XXIV. edit. Londineaſ. & apud SCULTET. p. 275.

(b) Epiſtolar. Lib. II. pag. 295.

(c) SCULTET. ex relat. Amsdorfii German. p. 274.

(d) Huc Lutheri ſpectant verba à SECKENDORFIO lib. II. §. V. n. 14. p. 17. adducta: „ Ego quoque Monialem duxi, omittere id pote-„ ram, nec cauſam graviorem habui, quam ut diabolo & ejus ſquamis, „ magnatibus & epiſcopis ægrè facerem, qui in furorem aguntur, quod „ clerici liberi eſſe velint. Vellem majora à me ſcandala dari poſſe, ſi „ modò aliquid ſcirem, quod Deo placeret & ipſos offenderet, &c.„

(e) Certè extat *adverſus caninas Martini Lutheri nuptias* tractatus *Conradi Koellini* Ulmenſis, qui inter memorabilia Bibliothecæ Kraftianæ recenſetur à Doctiſſ. SCHELTHORNIO Amœnit. Literar. T. III. p. 169. Henricus autem VIII. Rex Angliæ *inceſtum* hoc appellat *matrimonium*, *quo vix ullum deſignari poſſit turpius flagitium*, & *Hier. Emſerus* virulentum mordaxque *epithalamium* in has ipſas nuptias luſit, quod apud COCHLÆUM in Vita Lutheri legitur.

cumprimis ab Illustri Seckendorfio (a) luculenter satisfactum esse censeri queat; Interea tamen diffiteri non possumus, Phil. Melanchthonum (b) ex inopinato hoc Lutheri facto maximum cepisse dolorem, non quod id damnaret, sed quod occasionem dari cerneret inimicis malevolis, acerbius insectandi & liberius maledicendi, ex temporis præsertim consideratione, siquidem & ipsam ejus timiditatem fuisse rationem suspicemur, quare nec ad consilium nec ad solennia desponsationis fuerit adhibitus Melanchton, cujus & offensa & censura aliqua, dum Lutherum à liberiori victu taxat, in ea, quam modo citavimus, Epistola deprehenditur.

Neque autem silere hic possumus, circa eundem temporis articulum itidem vota conjugalia meditatum esse *Albertum Moguntinum*, quam in rem & *Lutheri consilium* expetitum, datùmque fuit, quanquam successu (c) deinde res careret, Alberto ad antiquum redeunte. Sed & inde ab hoc anno Pontifex Romanus saltem Professoribus Academiarum conjugia concessit, licet hucusque & ipsi ad clerum pertinuissent.

§. LXIII. Nunc igitur quomodo per varias Germaniæ vel urbes vel provincias Evangelium hoc anno profectum ceperit, exponere juvat. In Marchionatu LUSATIÆ, urbes haud ignobiles *Gorlitium* & *Lauba* cum pagis vicinis, Misnensis Episcopi diœcesani jurisdictioni, consentientibus plebanis se subtraxerunt, & Baptismum Germanicè & Cœnam Sacram sub utraque administrare cœperunt (d), ductu *Francisci Ahenobarbi*, (Rotbart sive Rupert) Gorlitiensis diaconi.

Eodem tempore *Philippus HANOVIÆ* Comes, tametsi Carolus V. Imperator eundem superiori & hoc anno à Reformatione dehortatus erat, Comitatum tamen suum per M. *Adolphum*

(a) SECKENDORF. Lib. II. §. V. fol. 16, 17. conf. Phil. MELANCHTH. Consilia à Pezelio edita p. 37, 38.
(b) v. CAMERAR. in vita Melanchth. p. 102.
(c) vid. SECKENDORF. Lib II. §. VI. p. 20, 21. & SCULTET. pag. 297.
(d) vid. SCULTET. p. 288, 289. qui ex Annalibus Gorlicensibus hæc paulò fusius narrat.

phum Arbogastum (a) reformavit: Is ipsi à Capitone & Bucero Theologis Argentinensibus erat submissus, cui paulo post laborum socius adjunctus est *Philippus Enneobolus* Laudenburgo ab Illustri Comite Philippo Hanoviam vocatus, qui M. Adolpho fidum sanè in Evangelii propagatione collegam, & adversus Evangelicæ doctrinæ tum ibidem adhuc subsistentes hostes animosum παραστάτην, quà concionando, quà conscribendis etiam Theologicis tractatibus (ut Catechesis hujus comprobat) se præbuit, in eoque maximè elaboravit, ut Pastores hujusce Comitatus & doctiores quoscunque alios ad Evangelii agnitionem ac professionem pertraheret.

Christophorus quoque & *Antonius*, OLDENBURGICI Comites, itemque Conradus TECKLENBURGENSIS hoc anno Reformationis principia admiserunt (b), quorum ultimus in reformatione Ecclesiarum opera *Johannis* POLLII, poëtæ tum celebris, & ab *Eobano Hesso* commendati, usus est.

In dominio ESENSI (c) regnabat *Balthasar*, nobilis Dominus in Esens & Witmund, qui licet puriori doctrinæ esset addictus, propter hostes tamen, à quibus infestabatur, Ecclesias suas reformare non ausus est. Hoc vero anno M. *Joannes Visbeckius* Pastor in Burhave (qui ad septennium studuerat Wittembergæ) *Richardus Hicko* Pastor in Dunum & *Mammo Folckhardus* Pastor in Ardorp, mutuis se cohortationibus ad suscipiendam reformationem incenderunt, quodque feliciter exorsi sunt, id *Enno* Comes Orientalis Frisiæ Domini Balthasaris ditionem invadens, perque eam totam Ecclesias renovari curans, absolvit.

Inter urbes liberas itidem Evangelio morem gesserunt NORDHUSA (d) in Thuringia, ubi Prior Augustinianorum *Laurentius*

(a) SCULTET. dec. I. pag. 292. ex Annalibus Hanovicis MSS. quæ repetuntur Decad. II. pag. 195. Hujus Arbogasti habeo Epistolam ad Capitonem datam d. 1. Septembris 1523.

(b) vid. ex Hamelmanno SCULTET. p. 292, 293. licet Hamelmannus in Chronico Oldenburgensi P. III. fol. 329. Reformationem Oldenburgensem ad A. 1527. & 1528. referat.

(c) SCULTET. l. c. p. 293.

(d) SCULTET. p. 293.

tius Suffius docendi munus ſuſcepit: Enimverò ad Blaſium Michaëlem, Conſulem urbis & Pharmacopolam, tum, quicquid fermè Lutherus edebat, mittebatur, cives itaque in pharmacopolio frequenter convenire (a), libellos Lutheri legere, de iis inter ſe conferre & agnitis erroribus Papatus emendationem eccleſiæ ſuæ optare, quibus optatis cum non deeſſet magiſtratus, tum is, quem diximus, *Laurentius Suffius*, docendi Evangelii munus perlubenter in ſe ſuſcepit, civibusque ſuis puriorem doctrinam inſtillavit.

HAGANOA verò etiam in Alſatia civitas *Wolfgangi Fabritii Capitonis* opera Evangelicam recepit doctrinam, ſiquidem is Argentina evocatus, fratres in eadem confortavit, atque hoc eodem anno, jam civibus ſuis (erat enim Haganoenſis) S. Cœnam juxta Chriſti inſtitutionem diſtribuit: Idem verò etiam ille, ipſo die Paſchatos in maxima hominum rem novam videre cupientium frequentia, baptismum ſine ſale, ſine oleo, ſine aliis ceremoniis Papiſticis adminiſtrat, *Wendelini Ribelii* filiolum *Joſiam* (b) baptizando.

§. LXIII. Vixdum ALBERTUS Brandenburgicus, Ordinis Teutonici Magiſter, Boruſſiæ Dux creatus erat, quin ipſa BORUSSIA per Evangelicam doctrinam reformaretur, id quod in ſuperioribus (c) jam enarravimus: Tanto vero cum ſucceſſu res in Boruſſia tranſacta eſt, ut Reformatores intra triennium omne ferè doctrinæ Papiſticæ lolium extirparint; Cujus rei fidem facit Sigismundus I. Polonorum (d) Rex hac notabili prorſus Epiſtola:

Sigismundus I. Johanni Dantiſco, apud Romanum Pontificem Oratori.

„ Cùm induciæ cum Magiſtro Pruſſiæ exſpirarent, agerétque „ cùm Summus Pontifex, tum Cæſarea Majeſtas, Sereniſſimúsque „ Dominus Rex Hungariæ, nepos noſter, apud nos de induciis pro„ rogandis: ad quas ſubditi noſtri nequaquam conſentire voluerunt, „ judicantes, eas bello ſore nocibiliores, proindeque nos ad proſe-

T „ quen-

(a) SCULTET. p. 293, 294.
(b) SCULTET. p. 294.
(c) conf. §. XLV. p. 191. & PERIZON. Hiſtor. Sec. XVI. p. 141.
(d) vid. SCULTET. Annal. ad A. 1525. p. 296, 297.

„ quendam rem nostram armis institueremus: venit ad nos id sentiens ipse Magister, cum Illustribus Marchione Georgio, & Friderico Duce Lignicensi, transegitque nobiscum coram de tota controversia, præstito nobis debito suo, & datis illi per nos in feudum terris, quas prius ante bellum novissimum possedit. De religione verò nihil inter nos est actum: tum quia interesse nostra non videbatur: tum quod etiam Ordinis institutores non fuerimus: tum verò, *quod ferè in tota Ditione Ordinis prorsus de tota religione Catholica sit actum & deploratum.* Proindéque abusi sumus ea conditione depravati temporis in rem pacis, cum res aliter transigi nullo pacto potuit. Proinde, si qui isthic hos actus nostros in re Prutenica suggillare vellent, habes, quo innocentiam nostram tueri possis. Nam nos Ordinis curatores non sumus, sed hæreditarium jus nostrum duntaxat semper exegimus. Religio Catholica nobis semper cordi fuit: pro qua nequaquam dubitamus vel sanguinem nostrum profundere, tantum abest, ut illi nostra opera vel consensu quicquam esset per hanc transactionem detractum. Anno 1525. „

Sed & in LIVONIAM Ordini Teutonico subjectam (a), cujus istic Magister erat *Valterus Plettenbergius*, libertatem sibi & supremum jus à Borussico & Principe & Magistro certa pecuniæ summa tunc quoque pactus, penetravit Lutheri doctrina, fovente eam Plettenbergio, contra Archiepiscopum Rigensem, qui adscito sibi Adjutore & Successore vehementer se, sed frustra, opponebat, ipsi tandem Magistro se cum Clero suo subjicere in Politico gentis istius Concilio coactus.

Quod NORIBERGENSEM (b) civitatem attinet, ibidem hujus anni mense Martio in curia præsente Senatu & multis civibus colloquium inter Evangelicos Ecclesiæ ministros, quorum Dux erat *Andreas Osiander* (c), Pastor ad S. Laurentium, & quatuor concionatores Papisticos in totidem monasteriis reliquos institutum est; cujus hic fuit exitus, ut conciones & ceremoniæ monasteriorum deinceps intermitterentur, & omnes Sacerdotes & Mo-

(a) vid. PERIZON. l. c. p. 142.
(b) v. §. LIII. p. 101.
(c) v. SCULTET. p. 300, 301. ex Chronico Noribergensi MSS.

& Monachi cives fieri, & onera civium, instar cæterorum, subire cogerentur.

§. LXIV. FRANCOFURTENSIS autem Urbis (a) *ad Moenum* Nobilissimæ, Reformationem quod concernit, eam rebus in brevem summam contractis hic referre juvabit: Enimverò (b) *Hartmannus* ILBACHIUS (is nempe, quem supra nominavimus) (c) concionator ad ædem D. Catharinæ tantas statim in se Cleri Pontificii concitavit iras, ut varias & maximas pateretur molestias. Fuit is certè delatus ut hæreticus apud tribunal dioecesanum Moguntiæ, quò factum est, ut Vicarius spiritualis eundem sibi d. XI. Martis 1522. requireret transmittendum à Senatu Francofurtano ad causam dicendam (d). Magistratus autem non equidem citationi illi morem gerebat (e), nec Ibachium eò, quò citabatur, mittendum esse judicabat, sed ne tamen in docendo pergeret, interdicebat (f); Quare cum vehementem in modum offensi essent Nobiles quidam, *Marcus Löschius* à *Molnheim*, *Georgius* à *Stockheim*, & *Emmericus* à *Reiffenstein*, inter quos & *Hart-*

T 2

(a) conf. §. XXVIII. p. 56.

(b) Hæc ex Seckendorfio potissimùm sunt deprompta, sed ita tamen, ut, quæ Vir doctissimus *Joh. Balth.* RITTERUS uberius retulit, non neglexerimus, cum ea mirifice faciant ad illustrandam Seckendorfii narrationem compendiosam.

(c) vid. pag. 56. Sed tamen, eo ipso, quo *Ibachium* (nam perinde est num *Ibachium* an *Ilbachium* dicamus) dicimus *Concionatorem*, in eam nos non immittimus litem, num is unquam pro ordinario Pastore cœtus Evangelici apud Francofurtanos fuerit receptus, cum satis sit, eum inter *primos* recenseri debere *Reformatores Francofurtanos*.

(d) Literas hasce citatorias Laurentii Truchsesii de Bommersfelden Decani, & Dieterici Zobelii Vicarii in spiritualibus &c. ex Tomo I. Archiv. S. Francof. p. II. juxta exemplar originale refert RITTERUS c. II. §. 5. pag. 40, 41. atque in his dicitur, *das der Hartmann Ybach sich der verdampten Leer Doctor Luthers anhengig gemacht*, &c.

(e) Ea, quæ SECKENDORFIUS pag. 243. a. refert, quasi legationem ad Archiepiscopum Moguntinum miserint Francofurtenses & Ibachium, quippe qui nihil mali docuisset, excusaverint, hic omittimus, quod RITTERUS eorum mentionem non faciat, nisi quod deinceps tamen p. 50. aliquid hujus commemoret.

(f) vid. RITTER. lib. cit. p. 42, 43.

Hartmuthus Cronebergius (a), Vir insignis & qui singulari ad promovendam veritatem Evangelicam ducebatur Zelo; Hi singulari scripto (b) ad Magistratum Francofurtensem dato Ibachii in se causam suscipiebant, utque ipsi libera Evangelium docendi potestas in urbe Francofurtana relinqueretur, efflagitabant; dum „interea Magistratus, se hisce rebus suam non interponere posse „auctoritatem regerebat, quandoquidem Sacerdotes ipsorum spiri- „tuali subessent jurisdictioni (c). Tum verò Hartmuthus ille Cronebergius pro eo, quo fervebat, Zelo, publico scripto d. XVI. Martii valvis portæ vectoriæ (der Fahr-pforte) affixo, Magistra- „tum & cives hortatus est (d), ut à sacerdotum superstitione & „erroribus pessimis, verboque Dei & Evangelio planè contrariis, „quorum quosdam adducebat, sibi caverent. Literas etiam tum ad *Petrum Majerum*, Pastorem ad D. Bartholomæi d. IX. Junii scripsit, expostulans (e), quod is doctrinam Lutheri falsitatis accusaret, sectatores ejus ut hæreticos diffamaret, & potestatem Pontificiam illegitimè extolleret, poscebatque ejus asserti rationes. Respondit Majerus, & argumenta sua proposuit, sed à Cronebergio fortiter refutata. Quidquid sit, *Ibachius* cum semel atque iterum, faventibus ipsi quamplurimis, post interdictum con-

(a) De Viro hoc eximio & in Tractu Rhenano Equite sat potente, Francisci Sickingii cognato, atque ejus factioni implicito, vide quæ habet SECKENDORF. L. I. §. CXXXII. pag. 225. & RITTER. l. c. pag. 48, 49.

(b) Et hoc scriptum, sigillo Cronenbergii munitum & à reliquis Nobilibus subscriptum exhibet RITTERUS l. c. p. 43--45. ubi inter alia hæc leguntur: „*Solchs warhafftigk gottlich wort understehen die reissen-* „*den Wölff, die teuffelischen geistlichen zu Frankenforth, von ewern* „*frommen volcklin in Frankenforth zu reissen*, &c. „

(c) RITTER. l. c. p. 45.

(d) Et hoc scriptum nobis ex Archivo Francofurtano communicat RITTERUS l. c. p. 47, 48.

(e) Has literas nobis exhibet RITTERUS l. c. una cum Majeri responso & Cronebergii replica &c. p. 81--86. incl., qui & alias *Ulrici* HUTTENI literas ad Magistratum Francofurtanum adversus eundem *Majerum* scriptas refert, p. 51. prouti idem ille *Huttenus* itidem *scriptum publicum* ad valvas ædis Marianæ affigi curavit adversus Pontificios satis aculeatum, cujus meminit p. 53. & 54. idem RITTERUS.

concionatus esset, tandem à Senatu (a), quod cœlum & terram moverent adversarii ejus, dimitti debuit, quando is commendatione *Nic. Amsdorfii*, Sonnewaldam, (quæ est Lusatiæ inferioris prope Dresdam locus non ignobilis) est missus ad prædicandum Evangelium (b), rogante *Johanne* à *Minkwitz* Equite, loci ejus eo tempore cum fratribus suis Domino. Sed cum dimissus esset Ibachius & res Evangelica Francofurtensium retrò ferri videretur, iidem denuo Nobiles (c), novo edito diplomate d. XII. Maji Sacerdotes & Monachos Francofurtenses monuerunt, ut „Evangelium prædicarent, & Ibachium ab exilio revocarent, id „ni facerent, curaturos se esse, ut decimarum in agris perceptio„ne arcerentur, nec morati, statim colonis decimarum debitori„bus intimarunt, ne suam operam tyrannico illi, quem vocabant, „clero, verbi divini & sacramentorum osori posthac in curandis „hisce atque transferendis Francofurtum decimis præstarent (d); Sed est tum d. IV. Junii ejusdem anni 1522. injunctum Senatui per mandatum Cæsareum, ut clerum adversus vim istorum Nobilium defenderet (e). Habita interea frequenti & matura deliberatione ex Senatusconsulto d. V. Martii 1523. per deputatos propositum est, omnium collegiatarum perochialium & monasti„carum Ecclesiarum prædicatoribus, ut jam nihil aliud quam pu„rum & simplex Verbum Dei docerent, tum ut ordine ac modestè „agerent, atque eodem anno *Didericus Sartorius* ad D. Catharinæ ut puriorem doctrinam profiteretur, Moguntia vocatus est, qui quomodo cleri reliqui & cumprimis Moguntinorum diœcesano-

 rum

(a) RITTER. l. c. p. 54.

(b) Eundem hunc Ibachium deinceps *Marpurgi Cattorum* Evangelicum egisse concionatorem liquet ex HOTTING. H. E. Seculi XVI. P. II. p. 505. sq.

(c) SECKENDORF. l. c. & RITTER.

(d) Sic enim illius intimationis habent verba: *das sie den tyrannischen vermeinten geistlichen der stad Frankfurt --- iren zehenden, so sie um und bey ihnen hatten, selbst samlen liessen, nicht aber solchen jenen einnahmen, behusten, warteten noch einführten, damit ihnen kein schaden entstunde*, ut aliquo modo ex RITTERO p. 60. corrigenda sint, quæ SECKENDORFIUS p. 243. b. lin. prim. retulerat.

(e) SECKEND. l. c. & RITT. p. 60.

rum inimicitias effugere tandem A. 1525. debuerit, quando pastor Ursellanus in tractu Moguntino, est factus, ex Archivis (a) constat Francofurtanis. Quidquid sit, Saxenhusanus apud Francofurtenses cœtus vehementer Reformationem urgebat, atque A. 1524., ut sibi Evangelicus pastor concederetur, ipsum implorabat Senatum, quin imò *Jacobum Seltzerum*, quem ipsis Capitulum ad D. Bartholomæi dederat, tanquam minus Evangelicum repudiabat, eaque propter denuo (b) Senatum adibant, atque in eodem consilio, cum *Johannes Rau* à Capitulo Bartholomæano & *Johannes Sartoris* Sacerdos Homburgensis à Moguntinis ipsis daretur, ne hos quidem admittentes (c) persistebant, donec ipsi A. 1525. tandem *Fridericum* HAURBACHIUM, dictum à natali loco *Dillenbergerum* sibi expeterent, qui licet Pontificiis sacris tum adhuc addictus, & doctrinæ tamen puritatem docebat & sacramentum Eucharistiæ sub utraque cœtui ministrabat, prouti cum ea de re apud Archiepiscopum deferretur, is peculiari ad Senatum Francofurtensem data Apologia, quæ simul ejus circa Sacramentum eucharistiæ fidem nobis exponit, se exculpat (d). Factum autem est, cum Bartholomæanus ille præco *Majerus*, se, quod tutus vix esset inter Evangelicos, inde recipere deberet, atque Saxenhusanus pastor, non diu posteaquam cœtui illi inserviisset, diem supremum obiisset, ut denuò novæ circa novorum pastorum electionem suscitarentur turbæ, utque vel ipsi cives tributim congregati à Senatu postularent Concionatores Evangelicos, „qui purum Verbum Dei & Evangelium sine humanis additioni-
„bus

(a) Ut hic humani aliquid passus sit SCULTETUS p. 301. quando tradit: hunc *Theodoricum Ursellanum* ab Archiepischopo Moguntino missum fuisse, qui sub larva Lutheranici Concionatoris Papismum defendere deberet contra Ibachium &c. conf. RITTER. pag. 65. nisi forte is deinceps A. 1526. cum papismo videretur addictior, altera vice Francofurtum pervenerit, atque tum ad D. Bartholomæi missus ab Alberto Moguntino, eam egerit, quam SCULTETUS nobis repræsentat, personam, conf. RITT. Cap. III. pag. 97.

(b) Hoc scriptum alterum nobis exhibet RITTERUS p. 67, 68. tanquam singulare Zeli pro veritate Evangelica specimen.

(c) RITTERUS p. 70.

(d) Apologiam hanc verbotenus habet RITTERUS l. c. p. 73--76.

„bus docerent, vellentque, ut clerici oneribus publicis ſubjicerentur, mendicationes monachorum prohiberentur, licentia exeundi è clauſtris utriusque ſexus monachis indulgeretur, atque exeuntibus nulli ſubſtituerentur, donationes ad pias cauſas in communem Eccleſiæ fiſcum conferrentur, anniverſaria, fraternitates, exequiæ mortuorum in templis tollerentur, &c. Senatus itaque *Dionyſio* MELANDRO, quem Johannes Gaylingius, Concionator (a) aulæ Heidelbergenſis, cumprimis commendaverat, & *Joh. Bernardo de Algersheim* has vices demandabat, dum interea Lutherus, incertum quibus permotus rationibus, *Johannem Agricolam* Islebium Francofurtum ad Senatum mitteret, qui Evangelii præconibus aliquandiu adſiſteret (b); Duo verò illi Præcones, *Dionyſius* & *Johannes*, (Agricola enim brevi poſt honorifice dimittebatur) egregiè tum cauſam Evangelii promovere, atque inde à menſe Junio magna cum ædificatione, multoque cum applauſu puram atque à ſcoriis Pontificiis repurgatam inculcare doctrinam pergebant, dum interea Senatus Pontificiis edicebat, ſi patrocinio ſuo ſalvi eſſe velint, ut horum concionatorum doctrinam (c) ex verbo Dei confutarent. Quod cum illi non poſſent, multum licet confirmati à Moguntino, templa S. Bartholomæi (d), Leonardi & Mariæ Montis, Evangelicis ceſſêre. Atque hæc felicia erant Evangelii, doctrinæque purioris apud Francofurtanos auſpicia; Petiit autem hoc eodem anno Senatus (e) cum aliis civitatibus, quæ Spiræ conventum habuerunt, ab Imperatoris legato & fratre Ferdinando, ut Cæſarea auctoritate de religione & cerimoniis ſtatueretur, oblatam tamen à Philippo Landgravio, qui in vicinum urbi caſtellum ſuum Ruſſelshemium delegatos è Senatu ad ſe vocaverat, ſuo & Saxoniæ Electoris nomine Societatem fœderis tunc recuſarunt, quod idem A. 1526. in Comitiis Spirenſibus fecerunt. §. LXV.

(a) RITTER. p. 83. SECKEND. p. 243. Hunc verò Gaylingium Francofurtani à Ludovico Comite Palatino ſibi ſed incaſſum nuper expetiverant.
(b) Ritter. l. c. p. 88.
(c) SCULTET. p. 301.
(d) Notari tamen hic meretur, quod poſtea in Eccleſiis collegiatis S. Bartholomæi & B. Virginis reſtitutus fuerit cultus Romanus, qui & hodie in iis ſervatur, v. SECKEND. l. c. p. 244.
(e) SECKENDORF. p. 243. lit. (e)

§. LXV. Uti verò ex iis, quæ diximus, constat, Triumviris eximiis *Hartmanno* IBACHIO, *Friderico* HAURBACHIO *Dillenbergero* & *Dionysio* MELANDRO, tanquam primis Ecclesiæ illius Reformatoribus propriam eam esse laudem, quod post tenebras inter Francofurtanos cives Evangelii exorta lux sit, ita tegere nequimus unicum hoc, quod, ut altè semper infixum mansisset Francofurtanorum cordibus, exoptandum erat, Hos ipsos præclaros Viros & eximios Evangelii præcones, omnes fuisse inde ab initio addictos, illi, circa Eucharistiæ sacramentum sententiæ, quam *Huldricus Zwinglius* & superioris Germaniæ Confessores amplectebantur, magis quam alteri illi, quam *Lutherus* & ejus asseclæ magna jam tunc, ac majori, quam par erat, cum effervescentia animorum profitebantur. Quæ res, si ulla alia, certè ad animum revocanda fuisset, ac faciliores reddere sequentibus temporibus debuisset Francofurtensium animos, ne asseclas eorum, qui omnium primi tamen inter ipsos seminaverant, tanto cum æstu atque fervore, cum colligenda messis esset, excluderent, atque hanc ipsam, quæ primò ipsis instillata erat, per eos, quos magno amore, (quippe per quos unicè profecerunt) prosequebantur, doctrinam, tantoperè deinceps abominarentur. Enimverò de *Hartmanno* IBACHIO, deinceps Evangelii apud Marburgenses præcone, non est quod dubitemus, siquidem ipsius ad Dionysium Melandrum tum adhuc Pastorem Francofurtanum id evincat epistola (a) A. 1530. data, ubi inter alia hæc leguntur hanc causam conficientia, simul verò etiam, Evangelicam moderationem spirantia verba: „ Qui Lutheranas apud nos partes „ in re sacramentaria tuentur, nihil pristinæ tumultuandi, ac „ omnia Satanæ tradendi consuetudinis remiserunt, etiam post „ convocationem Marpurgensem &c. Equidem, summum illud „ Christianæ doctrinæ non tam argumentum, quam fundamen„ tum: *sola scilicet nos fide justificari* & in *externis salutem non* „ *constare*, pro tenuitate gratiæ mihi collatæ diligentissimè tracto, „ nihil alioqui maledicis meis reluctans. Nam video oculos ape„ riente Christo, nihil omnino opus esse, ut *carnalem Christi* in

„ pane

(a) vid. RITTER. l. c. p. 55, 56. & conf. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. pag. 506.

„ pane & vino *præsentiam* (a) fortioribus telis oppugnemus, quam „ hac constanti fidei justificatricis prædicatione apud imperitam „ præsertim multitudinem, quæ ex Papalibus institutis de Cœna „ Christi nihil didicit, aut novit, quam Christum carnaliter ex „ prolatione verborum præsentem fieri: „ De *Friderico* HAURBACHIO dicto *Dillenbergero*, quanquam ejus ministerio brevi post per mortem interrupto non diu gavisa fuerit Ecclesia Francofurtana, res non minus constat, ex ea, quam is A. 1525. Senatui adversus cavillatores Moguntinos exhibuit, *Apologia*, ubi inter alia profitetur, „ se unicuivis (b) suadere, ut caput sextum „ Johannis ad animum referat, quippe in quo doceatur, quam „ fruitio carnis & sanguinis Christi, quæ fidei sit, sufficiat, si„ quidem fidelis quovis tempore carnem Christi edat & ejus san„ guinem bibat, quanquam nihilo tamen secius Christus Servator „ noster iis, quos ad fidem elegit, externum quoque communi„ cet signum, idque malis æque ac bonis, nisi quod bonis in sa„ lutem illud cedat, malis verò in condemnationem. „ Et, ne quis de *Dionysio* MELANDRO dubitet, jam ipsa ea Hartmanni Ibachii ad ipsum quippe fidei suæ consortem data faciet Epistola; Sed & extat ipsius ZWINGLII, A. 1527. ad eum data (c), in qua se summa cum voluptate audivisse refert Zwinglius,

V ipsum

(a) Quis verò de Ibachio nostro immite illud ac merum pus præ se ferens non refugiat *Erasmi* ALBERI judicium, in libro adversus Carolstadianos, de morte Ibachii nostri prolatum? *Zu Marpurg ersauft ein Sacramentschänder in seinem eignen blut, der heiss Herman* (Hartmann) *Ibach* &c. RITTER. l. c. p. 57. quamvis hoc ipsum quoque, testimonium fit omni exceptione majus, quod primus ille Francofurtensium Reformator non *Lutheri* sed *Zwinglii* partibus fuerit addictior.

(b) Verba ita se habent apud RITTERUM p. 15. „ *So hab ich ein „ jeden des sechsten capitels Johannis ermanet, das die niessung des flei„ sches und bloths Christi in glauben genugsam entfangen werde, dann der „ glaubige esse und trinke zu aller zeydt von dem fleisch und blut Christi, „ doch nicht doweniger hat Christus unser seligmaker den Jhennen, so er „ zum glauben erweldt, das eusserlich zeychen auch mitgetheilt, und nit „ alleyn den gueten, sonder auch den bossen, den gueten zur selligheit, „ den boessen zum verdamnüss.* „

(c) vid. ZWINGL. & OECOLAMP. Epist. fol. 30. a. conf. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 469.

ipsum Melandrum fideliter instare verbo, & ecclesiam suam Dei bonitate vehementer proficere ------ deinceps ita pergit: „Scio, „ mi Dionysi, ut meæ scripturæ expositiones paucis placeant, „ sed ubi odium, & invidia, quæ nunc omnia vastant, deferbue- „ rint, non dubito bonis quoque probatum iri nostra, nam in- „ genuè loquor, non ignaviter, & jam à puero fermè in sacris „ enutritus literis. „ Et tandem ita claudit: *Paulus Christum unum solum ac verum Deum indubiè esse asserit. De hoc non est, cur multa dicam loco* (intelligit Actor. XVII. 28.) *planè enim ipsum ex nostra ad Lutherum Exegesi* (a) *intelliges. Tu interim, quod fidum & constantem ministrum Evangelii decet, omnia in gloriam Dei, proximique salutem facito; non minus prudenter, quam fortiter pro veritate pugnando.* Præfuit is verò maxima cum fidelita- te

(a) vid. RITTER. l. c. p. 86. qui & non diffitetur, quod in suspicionem venerit apud complures, quasi doctrinæ Zwinglianæ de S. Cœna faveret, quanquam addat, eum tamen publicè & plenè illud professum fuisse nunquam, quippe cum & A. 1537. Articulis Smalcaldicis subscripserit &c. p. 87. Id saltem certum est, & constat ex Melandri cum Cellario controversia circa hanc ipsam causam, cujus Ritt. p. 131. mentionem facit, itemque ex illa Erasmi Alberi calumnia, qua in libro adv. Carolstadianos dicit: Johannem Cellarium Francofurdo ad Mœnum per Sacramentarios esse pulsum: *dass der Cellarius seel: gedachtnuss von Frankfurth am Meyn durch die Sacrament-schänder vertrieben war:* Melandrum apud ejus ætatis homines pro sacramentario fuisse habitum; neque enim præter Melandrum, tum, quando Cellarius Francofurtensibus valedicebat, quisquam nisi Johannes Bernhardi & Petrus Chombergius ministerium Evangelii obibant; conf. RITTER. pag. 136. Quid? quod ipsa LUTHERI Epistola, quam ad Francofordienses dedit A. 1533. quamque si dixerimus animo ac stylo minus Christiano esse scriptam, non admodum à vero deviabimus, satis luculenter edoceat, quænam illa fuerit prima, quæ apud Francofordienses est tradita doctrina, certè *non juxta Lutheri* sed *juxta Zwinglii* & sociorum ejus placita instituta. Quanquam deinceps, cum agmine velut facto Lutherani, Magistri sui, qui Zwinglianos è suggestu repellendos & ditione ejiciendos asseruerat, in ipsorum urbem irruerent Doctores, inde omnis malorum lerna, toties totiesque per egregios ex nostris Doctores Capitonem & Bucerum consopienda, Francofurtanos invaserit, donec post varias turbas soli Lutherani, Reformatis sub titulo Sacramentariorum expulsis, ibi rerum summam obtinerent.

te Ecclesiæ Francofurtanæ per annos plurimos usque ad A. 1535., quando is Philippo Hassiæ Landgravio vota sua addixit; Ne jam de *Gulielmo* NESENO omnium primo Evangelii apud Francofurtanos Doctore, ejusque cum Zwinglio culta familiaritate ac amicitia, aut de sequentium temporum apud Francofurtanos Doctoribus huic sententiæ adstipulantibus, quicquam dicamus, cum notum sit, quam, cum *Melandrum* & *Bernhardi* Pastores reciperent, Agricolam à Luthero sibi missum remiserint, & quam *Casp.* HEDIONEM Argentinensem publicè ad se vocaverint, quamque *W. Fab.* CAPITO A. 1535. ab ipsis Francofurtanis itidem vocatus, egregia ipsis circa Reformationem ritè perficiendam suppeditaverit consilia (a), atque etiam, quam deinceps A. 1541. *Melchior Ambachius* cum duobus aliis Seb. Ligario & Joh. Lullio, ad eandem Zwinglii in articulo de S. Cœna & de Imaginibus (b) abolendis sententiam propenderent. Quæ omnia consentientibus Actis (c) omnibus id evincunt, quod ante Concordiam ita dictam Witebergensem A. 1536. inter Saxonicos & superioris Germaniæ Theologos initam prævaluerint ii, qui cum Zwinglio faciebant, præ reliquis, primaque adeo, quod exinde consequitur, Reformationis Francofurtanæ laus debeatur iis, quos annis tamen sequentibus Edicto hactenus irrevocabili, ne Evangelium in urbe docerent, exclusos, atque omnibus sacris interdictos novimus. Est verò etiam inprimis hic observandum, (ne quis & hos præclaros quos diximus Viros ullius incuset schismatis, aut quasi à Luthero & Lutheranis fecerint divortium,) quod horum Doctorum Evangelicorum nullus, Lutherum vel magistrum habuerit, vel instigatorem, vel commendatorem, quippe qui, recentes ex ipso Papatu prodibant, atque à Papistis erant vel in ministerio confirmati vel missi, veritatis Evangelicæ luce collustrati, in

(a) Quæ & laudantur à RITTERO pag. 218. & inter documenta ad Cap. IV. p. 329--346. integra ab ipso exhibentur.

(b) v. SECKENDORF. p. 244. & RITTER. p. 271.

(c) Tantum abest, ut ullam hic mereatur fidem LOESCHERUS, qui in Histor. Mot. Lib. I. pag. 210. Melandrum nostrum semper fuisse purum Doctorem Evangelico-Lutheranum asserit, cum tamen ipse Melander disertis verbis testetur contrarium apud RITTERUM pag. 185.

eandem illam puriorem de S. Cœna & de abolendis imaginibus & ejiciendis idolis Pontificiis, rejiciendaque Confessione auriculari, &sim. sententiam propendebant, eandemque propugnabant. Nam & inde, cum à Pontificiis Lutheranismi calumnia in eos spargeretur, rectè respondebant, *se nec Lutheranos esse*, *nec Luthero*, *nec ulli creaturæ in rebus divinis fidem habere*, sed soli Verbo Dei inniti, neque se adeò esse concionatores Lutheranos (a), sed concionatores Evangelii Jesu Christi; Uti deinceps, quando ab ipso Luthero in atroci prorsus ad Francofurtanum Senatum & Cœtum scripto Zwinglianismi incusabantur, Lutherus disertis verbis testatur, „ se nec personas horum concionatorum habere „ cognitas, nec ipsorum nomina, quippe quibuscum, uti nec cum „ eorum asseclis, sibi nulla res esset (b); „ Atque ipsi in *Apologia* adversus hanc Lutheri Epistolam, Kalendis Martii 1533. conscripta, non modo Luthero obloquuntur, eundemque redarguunt, sed &, quam scitum sit in loco cedere, aut succumbere, procul habita tamen omni assentatione, testatum faciunt; leniter ac modestè dum ejus criminationibus respondent, atque ea, quæ invidiam creare possent, amoliuntur; Sed tamen interea disertis verbis indicant, „ se ita non esse Lutheranos, ut tamen ejus quoque „ non essent adversarii, quippe qui nec Lutheri aut ejus doctrinæ „ meminerint, sed Christum ex Evangelio prædicaverint, atque „ in doctrina de Sacramento Eucharistiæ, quo Christus verum „ cor-

(a) Certè Melander & Bernhardus uterque in Apologia apud RITTER. l. c. p. 184, 185. ita: *Es wird über uns anklagt*, *wir sein zwei Luthersch Lerer*, ---- *wir bezeugen*, *dass man den Luther*, *auch uns selbst*, *und dass nog mehr est*, *keiner creatur glauben soll in gottlichen sachen*, *wo sy das word Gottes nie predigt*, *sondern soll verfluht seyn:* item... *wier haben aengezeigt*, *dass wir nit Lutherische Lerer sein*, *also seind wir auch nit Lutherische prediger*, *sondern prediger des Evangelii von Jesu Christo.*

(b) „ *Weil ich derselben irrigen personen nicht kenne*, *noc namen weis*, „ *auch nicht begere zu wissen*, *denn mit euren predigern und ihren anhängern ich nichts zu thun habe.* „ v. Opp. LUTHERI Jenens. Tom. VI. fol. 105. a. Et, hac tamen Lutheri professione exserta non obstante, mirum dictu! sunt qui remis velisque annituntur, ut evincant primos Reformatores Francofurtanos, fuisse Lutheranos.

„ corpus suum, verumque sanguinem edendum tradit & bibendum „ fidelibus in verum ac genuinum cibum animarum ad vitam æter- „ nam, quò ipsi in eo maneant, & Christus in ipsis, abstinuerint „ ab omni prorsus doctrina hominum, contentionibus autem ea de „ re suscitatis, docuerint, quod panis & vinum non transsubstan- „ tientur (a) ab una parte, neque tamen etiam merus panis & vinum „ sint (b), sed sanctum sacramentum, panis & vinum Domini, „ sacramentum veri corporis & sanguinis Christi, idque propter usum & institutionem ipsius Christi &c.„ Uti deinceps profitentur, se nunquam in animum induxisse, ut, quod ipsis impingebatur, *veram Christi præsentiam* (*) cœtui Christiano eriperent &c.

§. LXVI. Sed, ut unde digressi eramus, revertamur; VRATISLAVIÆ enim eodem hoc anno 1525. nobilissimum templum ad D. Elisabetham à fermento Pontificio repurgatum legitur, idque ministerio *Ambrosii Moibani*, cui ipse Episcopus Vratislaviensis *Jacobus à Salza* hoc mandatum dederat (c): *Ito & doceto Evangelium Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:* Et refertur idem hic Episcopus, ut & successor ejus *Balthasar à Promnitz* multum singulari, quam præ se ferebant moderatione, profuisse reformationi in amplissima Silesiorum regione (d).

ARGENTINÆ etiam hoc anno *Sigismundus* Comes *Hohenloicus*, Canonicorum Decanus, edito scripto Germanico clerum suum graviter hortatur ad lectionem Scripturarum, & vitam clericis dignam: profitetur deinceps, nihil sibi æque in votis esse, ac hoc, ut Ecclesia illa celebris, totusque Clerus reformetur, & verus

(a) *Das im nachtmahl des Herrn, brot und wein nit verendert werd in irer natur, und das da keyn verenderung des wesens des brots und weins, in den leib und blut Christi geschehe, wie die bäbstische gelert haben.*

(b) *Sondern, ein Sacramentlich heilig, ja des Herren brot und Kelch ein heilig Sacrament seines wahren leibes und bluts, und das um des brauchs und einsetzung Christi willen*, apud RITTER. l. c. p. 206.

(*) Notari meretur, quod non dicant *veram corporis Christi*, sed, *veram Christi præsentiam.*

(c) SCULTET. p. 302. & SECKEND. L. II. p. 36.

(d) Conf. debent, quæ §. XXXIII. p. 69, 70. sunt allata ex CURÆO.

Dei cultus restituatur (a): Sed & tum forma celebrandæ Cœnæ Dominicæ in Argentinensium cœtu Evangelico excusa est, in qua inter alia hæc leguntur: „ In exhibitione (b) panis & cali- „ cis Dominici, Minister verbi ita alloquitur sumentes: Me- „ mentote, credite, annunciate, Christum pro vobis esse mortuum. „

WITEBERGÆ autem hoc anno exeunte demum linguâ Germanica celebrare Missam & Cœnam Domini administrare Dominica XX. post Trinitat.s (d. 29. Octobris) cœperunt. Veruntamen (c) Germanica formula Dominicis saltem diebus laicorum causa utebantur, quotidianus verò cultus Latinè peragebatur, conjunctis lectionibus vernaculis. Hoc eodem anno, per totam, quæ Johanni Electori suberat, Saxoniæ provinciam, cum in tumultu rustico (d) monasteria deserta & evacuata essent, & populus cultum missaticum & sacerdotes indoctos, qui concionari non possent, aut impudicè viverent, ferre amplius nollet, mandatis Principis, ad exemplum eorum, quæ Wittebergæ circa cultum publicum ordinata erant, prospectum fuit, ita tamen ut plenior reformatio per visitatores instituenda promitteretur. Obsecuti sunt, paucis exceptis, magistratus, & pastores, nisi quod unus in Voigtlandia Pastor ad diœcesanum suum Episcopum Bambergensem provocando, se Electori opponere cœperit, sed cui Princeps respondit: „ Se Christiana & pia intentione ordi- „ nasse, quæ verbo Dei & Evangelio convenirent, honoremque „ divinum & charitatem proximi promoverent, illis obsecun- „ dandum esse à parocho aut loco cedendum. „

§. LXVII.

(a) SCULTET. p. 304.

(b) *In dargebung des brods und des Kelchs des Herrn, spricht der Diener alſo: Gedenkt, glaubet, verkundiget, daſs Christus für euch gestorben iſt.*

(c) Ex *Chytræo* SCULTETUS p. 315. conf. SECKENDORF. L. II. p. 23. qui, disertè ipsum Lutherum in Epistola ad Langum id scribere observat, atque etiam deinceps pag. 52--55. de ipsis sacris ritibus, itemque de ordine cultus publici in Ecclesia Witebergensi & speciatim de communione celebranda differit uberius, quam ut iis immorari possimus; conf. J. H. MAJI Hist. Reform. Lutheri. à p. 209--214.

(d) SECKENDORFII verba l. c. p. 24.

§. LXVII. Quidquid ſit, Carolus Imperator literis ex Hiſpania datis indeſinenter flagitabat, „ ut Wormatienſe edictum (a) „ accuratè ubivis ſervaretur, & ex eo Lutheranismus in Germa- „ nia penitus aboleretur, maneretque in perpetuum vetitus & „ proſcriptus. „ Eam in rem concilium indixerat Auguſtam Vindelicorum, ſed quod, quum pauciſſimi eò veniſſent, prolatum eſt in anni ſequentis 1526. Kalendas Majas, indictumque Spiram. Intereà verò antequam Spiram adirent *Saxo* & *Heſſus*, convenerunt *Magdeburgi* de mutuis auxiliis ſibi præſtandis conſulturi (b) ibique pactum condunt, cujus breve nobis compendium Illuſtris SECKENDORFIUS hunc in modum ſuppeditat: „ Laudant in exordio Deum, quod ſingulari providentia, „ gratia & ineffabili miſericordia verbum ſuum, unicum ſola- „ tium, animæ cibum, ſummumque in orbe theſaurum ſibi con- „ ceſſerit. Memorant inde, quot quantæque machinationes, „ præſertim ab Eccleſiaſticis, & qui iis adhærent, hucusque „ agitatæ fuerint, qui verbum illud divinum opprimere & ex „ cordibus & conſcientia hominum eripere, ſi fieri poſſet, vo- „ luerint. Paratos quoque ſe fuiſſe dicunt, ut in Comitiis Au- „ guſtæ, nupera hyeme indictis, de religione & concordia trac- „ tarent, niſi dilata fuiſſent; nunc eadem intentione in Comitiis „ hoc anno ad Kal. Maji Spiræ proximè præteritas, indictis, „ acturos. Jam verò undique nunciari, & probabilibus indiciis „ confirmari, item ex conventibus & tractatibus pateſcere, fac- „ tiones & fœdera iniri, & pecuniam colligi, ut veteres abuſus „ magna vi retineantur, verbi divini veritas denuò extinguatur, „ & qui id profiteantur, & pro officio & conſcientia obligati „ ſint, ut id in ditionibus ſuis foveant, bello petantur & oppri- „ mantur, licet neminem offendant, aut ad violentas actiones „ provocent. Se igitur ejusdem officii erga Deum & conſcien- „ tiæ ſuæ impulſu, adverſus vim & bellum, quod intentetur, „ in neminis offenſam, ſed pro ſua, ſuorumque tutela mutuam „ defenſionem pactos eſſe, ita ut omnes vires ſint conjuncturi „ ad-

(a) vid. PERIZONIUS Hiſt. Sec. XVI. p. 142, 143. conf. SECKENDORF. Lib. II. p. 42.

(b) SECKENDORF. l. c. §. XV. addit. II. lit. (b) p. 44, 45.

„ adversus eos, qui se ex causa illa religionis, alio licet sub prætextu, sed eodem fine aggressuri sint. „ In hoc pacto, statim in exordio compaciscentes nominantur *Philippus*, *Otto*, *Ernestus* & *Franciscus* Duces Lunenbergici, *Henricus* Megapolitanus, *Wolfgangus*, Princeps Anhaltinus, *Gebhardus*, & *Albertus* Comites Mansfeldenses. Accessit hisce urbs *Magdeburgensis*, accepto à Principibus diplomate d. XIV. Junii & datis reversalibus, die sequenti; Nam & legatos civitatis *Norinbergensis* (a) ad se vocarant Saxo & Hessus, sed hi ore atque scripto apud utrumque Principem tum quidem non contemnendis rationibus sese excusasse leguntur, magnam ceteroquin constantiam in religione testati. Est verò is Conventus tantò notabilior, quod in eo *fœderis* Evangelici undecim annis post Smalcaldiæ sanciti atque dicti *Smalcaldici*, jacta sunt initia: Sic unitis consiliis ad Comitia Spirensia profecti sunt Saxo & Hessus. Licet autem Comitia ad Kal. Maji indicta essent, die tamen XXV. Junii demum agendi initium factum est. Isthic itaque cum magnus jam adesset Principum & legatorum numerus, acriter ex sententia absentis Cæsaris (b) „ non tam de religione, quam de Wormatiensis edicti „ observatione est actum, & quomodo religio vetus conservari, „ & nova (quam dicebant) exterminari possit „; Adeò, ut Saxo & Hessus, quum nihil æqui viderentur impetraturi, magnaque simultas inter delectos, qui diversæ religionis erant, oriretur, discessum re infecta & abrupta (c) jam pararent; quod tamen ne fieret,

(a) Quod ex Hortledero Tom. I. Lib. VIII. c. I. refert SECKENDORF. l. c. p. 44.

(b) cf. KAPP. Spicileg. T. II. p. 680. & 685. ubi & Propositio Cæsareanorum & Responsio Statuum Imperii ad eam Propositionem legitur.

(c) v. MAJI Hist. Ref. Luth. p. 220, 221, 222. Cæterum hæc Comitia prima fuerunt, in quibus Concionatores Evangelici, nominatim *Ge. Spalatinus* & *Jo. Islebius Agricola* Saxonis & Landgravii, publicè in ipsorum scilicet principum diversoriis auditi sunt, frustra Pontificiis Principibus, id, ut ne fieret, interpellantibus, sed multis hominum millibus accurrentibus, uti ex SLEIDANO notat SCULTETUS Annal. dec. II. p. 4. & MAJ. in Hist. Ref. Luth. p. 221. Spalatin. in Annal. p. 96. Conscripsit verò etiam in his Comitiis PHIL. MELANCHTON Consilium

fieret, consenserunt tandem majora mala metuentes, reliqui in Legationem statuum ad Cæsarem, quæ ab eo peteret, ut in Germaniam rediret, & Concilii convocationem procurare vellet. „ Interea, & donec Concilium vel universale vel nationale haberetur, quilibet Princeps aut Status in causa (a), quæ ad „ decretum Wormatiense pertineret (ita negotium religionis „ autores styli callidè circumloquebantur) erga subditos suos „ sese gereret, & ipsi actiones & vitam eum in modum instituerent, ut de iis Deo & Cæsari rationem reddere possent. „ Causa tam mitis sententiæ (b) fuit, quod in hunc conventum venerunt quoque legati Regis Hungariæ Ludovici, auxilium contra Turcas rogantes, & paulo post perlati sunt etiam tristes de cæde illius Regis nuncii. Etenim Solymannus, Belgrado jam quinque annis ante occupato, moverat nunc in Hungariam, & omnia vastabat. Obviam illi progressus est ipse Rex adolescens 20. annorum, siquidem Proceres & Barones sub alio duce quam Rege militare nolebant. Pugnam verò iniit præmaturè, Pauli Tomorei, olim militis, postea Monachi Franciscani, at nunc Archiepiscopi Colozzensis, hominis audacissimi instinctu & auctoritate, quum debuisset, quod & suadebant Germani militum Duces, pugnam contra plus decuplo majorem hostium numerum detrectare vel saltem differre, usquedum Transsylvani sub Johanne Zepusio advenissent. Tentata tamen prælii fortuna, sed infeliciter, quum brevi cogerentur Hungari tantæ multitudini suc-

X cum-

silium quoddam, quo Compendium veluti sistitur omnium argumentorum, quibus reformatio à schismatis culpa vindicatur, cujus tanquam solidissimi scripti excerptum nobis communicat lectu dignissimum SECKENDORFIUS Hist. Luth. L. II. §. XV. pag. 43.

(a) *Das ein jeglicher in sachen, so das Edict durch Kays. Majest. auf dem reichstag zu Worms gehalten, ausgangen, belangen möchten, für sich also zu leben, zu regieren und zu halten, wie ein jeder solches gegen Gott und Kays. Mai. hoffet und vertraut zu verantworten.*

(b) Ita PERIZON. in Hist. Sec. XVI. p. 143, 144. rem narrat, quanquam revera etiam Ferdinandus cum reliquis Cæsaris ministris satis perspicerent, quantum mali inde esset proventurum, si animis adeo exulceratis conventus fuisset solutus, aut decreto nullo facto principes discessissent; v. P. SARP. Hist. Concil. Trid. p. 32. ed. Lat.

cumbentes, fuga salutem sibi quærere, Tomoreus ille, fortiter tamen pugnans cecidit: Rex in vicinis paludibus, vel, ut alii, in amne exiguo, cum equo, qui in ripam adscendere non poterat, concidit, onere armorum impeditus, quo minus se inde expediret, atque ita in aquis extinctus. Turca mox gloriæ plenus in Thraciam revertit, occisis aut abductis Hungarorum circiter ducentis millibus. Dein quies aliquando ab illo fuit, at non ab intestina dissensione, gente in Ferdinandum Austriacum & Joh. Zepusium distracta, quæ etiam causa erat, quare Germanos Principes Ferdinandus offendere neutiquam auderet, quippe à quibus suppetias identidem desiderabat.

§. LXVIII. Franciscum Galliarum Regem, in prælio Ticinensi à Carolo captum (a) atque in Hispaniam abductum diximus; Is post captivitatem semestrem libertati cum restitueretur, inter alia constitutum est inter Cæsarem & Regem, „ utrumque „ provisurum atque omni ope annisurum esse, ut & Christianæ „ religionis hostes & sectæ Lutheranæ (b) extirpentur hæreses,„ sed hæc potentissimorum Monarcharum consilia ita confregit Deus, ut ipse Carolus Luthero tum admodum infensus, paulo post, virium suarum nervos potius in ipsum convertere coactus fuerit Papam, utque Concilium illud generale, quod tum non potuisset non esse infestum Evangelio atque ejus restitutioni, differre & voluerit & debuerit. Posteaquam enim è captivitate dimissus esset Galliarum Rex, ipse Papa adversus Cæsarem cum ipso transigere (c), quin imo eum à juramenti, quo Cæsari semet obstringere debuerat, vinculo exsolvere, atque omni ope cum Gallis & Venetis ad ejiciendum è tota Italia Cæsarem, anniti non verebatur. Ut verò etiam hanc suam à Cæsare secessionem palliaret Pontifex, is petulantem & protervam ad Cæsarem scribit Epistolam, qua Cæsarem iniquitatis accusat, „ atque inter „ alia id ipsi objicit, quod per Hispaniam & Neapolin leges tu„ lerit, Ecclesiæ Romanæ libertati, Pontificiæque dignitati pla-

„ nè

(a) conf. ea, quæ §. LX. sunt tradita pag. 137.

(b) vid. SLEIDAN. L. VI. fol. 86. a.

(c) Capita illius inter Pontificem, Gallum & Venetos conventionis breviter exhibet SLEIDANUS fol. 89. a.

„ nè contrarias, &c. „ Enimverò his graviter admodum d. 18. Septembris respondet Cæsar, Papæque & perfidiam exprobrat & malitiam, variasque ejus detegit fraudes, hortatur deinceps eundem ad pacem, atque ultimo loco affirmat, „ quod, cum „ ipsi sint duo magna luminaria (a) à Deo ambo constituti, „ opera ipsis sit danda, ut inde orbis universus rectam illu- „ strationem recipiat, & ne per ipsorum dissidium eclipsis in „ Christiana religione & doctrina causetur & generetur: „ porrò, quod ipsis sit curandum, ut prius tractetur & conveniatur, de hostibus fidei à Christianorum cervicibus propulsandis, deque Lutheranorum aliorumque hæreticorum sectis & erroribus comprimendis, corrigendis atque sedandis, &c. denique addit: „ Nos enim quum ex his & aliis satis noto- „ riis causis turbari videremus universum Ecclesiæ & Chri- „ stianæ religionis statum, ut nobis ac ipsius reipublicæ „ consulatur, pro his omnibus ad ipsum sacrum universa- „ le concilium per præsentes recurrimus, ac à futuris quibus- „ cunque gravaminibus, eorumque comminationibus provoca- „ mus, appellamus & supplicamus à vestra Sanctitate, ad di- „ ctum sacrum Concilium, cujus etiam officium per viam quere- „ læ his de causis implorandum censemus, &c. „ Tum verò etiam ad collegium Cardinalium scribit Carolus, eosque de Clementis insolentia admonet, atque petit, ut illum officii (b) commonefaciant, „ & ad pacem potius quam ad bellum hortentur, „ sin autem recusarit, vel diutius quam æquum sit concilium „ extrahat, ut tum ipsi statim indicant, hortatur, etenim, si, „ vel propter non convocatum concilium, vel nimis longam in- „ terpositam moram, resp. Christiana detrimenti quid capiat, „ id sibi tribui minimè oportere. „ Cæsar interea (c), ut inju-

 riam

(a) Quod de luminaribus ait in eo sequitur INNOCENTII Tertii Pontificis verba, qui in Epistola ad Principes Alemanniæ, *Deum* ait (Epistolar. Innoc. III. Lib. I. ep. 401. & L. II. ep. 294. fol. 536. a. edit. Baluz.) *condidisse duo luminaria magna, quorum unum diei præesset, quod sit majus, alterum nocti, quod sit minus.*

(b) SLEIDAN. Lib. VI. fol. 91. a.

(c) Sunt hæc THUANI verba Lib. I. §. XI. p. 23.

riam sibi à Clemente illatam ulcisceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hispaniam abolet, exemplo ab Hispanis posteritati relicto, posse ecclesiasticam disciplinam, citra nominis pontificii auctoritatem ad tempus conservari. Sequitur verò etiam mox gravior in ipsum Papam Romæ sedentem animadversio. Milites enim Cæsareani in Italia urbem accedunt, eandem capiunt diripiuntque, Papa militum manus ægrè effugiens in Adriani molem se tum recepit, ita tamen ut anno sequenti 1527. cum bellum duce Borbonio redintegraretur, Papa per integrum mensem in eadem Adriani mole, quam & S. Angeli castellum vocant, obsidione cinctus & detentus, tandem deditione facta ferocientium militum libidini (a) se permittere cogeretur. Quum enim diu tueri se isthic non posset, subire debuit leges, quas victor ferebat sane quam duras, ut per quas in custodia ibi fuit detentus, usque dum præstitisset, quæ præstare vix poterat, imo arces & monumenta, quorum nonnulla in sociorum erant manu, tradi Cæsareanis curasset omnia, abducendus dein Cajetam aut Neapolim, atque arbitrio Cæsaris permittendus; Cæsar interim re audita de novo illudere Papæ, atque pro libertate & salute Papæ supplicationes publicas in Hispania instituere jusserat, quum ipse eum in sua haberet potestate: Sic populis & eorum superstitioni sæpe illudunt Principes! Quanquam hæc ipsa lis improvisa nec opinata prorsus Ecclesiæ concessit halcyonia.

§. LXIX. Fuit hoc tempus, quo PHILIPPUS Hassiæ Landgravius Spira redux ulteriori regionum suarum Reformationi intentus, & *Joh. Feigii* à *Lichtenau* (quem multi pro more ejus ætatis, Græcas Latinasque appellationes deamantis *Ficinum* dicebant) Cancellarii, Viri Eruditi & cordati consilio usus, quoque *Melanchtonis* sibi expetiit ea de re consilium; Is igitur statim singula-

(a) Milites magnam partem Lutherani Papam & Cardinales (in ipsorum ludibrium) ex numero Lutheranorum tum elegêre, & ostenderunt, quantum dignitas papalis apud exercitum eviluerit, veluti apud FABRICIUM in Centifol. Luther. p. 96. & 97. commemoratur, quomodo exercitus ipsum Lutherum pronunciaverit Papam, ex narratione direptionis urbis quam edidit Casp. BARTHIUS pag. 137. &c.

gulari epistola, sed timidiusculè conscripta, Principem (a) hortatus est, ut discrimen veræ ac necessariæ doctrinæ, & rituum sua natura indifferentium disciplinæ ac ordini servientium accuratè servet, quo potissimum cantiones pertineant Latinæ, textus item dominicales, porro festorum dierum discrimina & id genus similia, atque rogat, ut non tantum Doctrinam fidei, ad veram agnitionem Dei, justitiam & æternam salutem necessariæ, verum etiam timoris Dei, dilectionis, operum charitatis & cultuum Dei verorum, populo proponi curet: porrò, ut doctrinæ puritate restituta veteres ritus ac cerimonias omnes, quotquot servari absque impietate possunt, retineat, quandoquidem Christianismus non in ritibus sit situs, sed in timore Dei, fide, charitate, & obedientia erga magistratus, &c. Philippus autem Princeps iis consiliis Melanchtonianis, nimium uti videbatur tepidis, minime contentus, & cupiens omnes suarum terrarum ecclesias purissimo Dei Verbo regi, mense Octobri hujus anni 1526. *Homburgi*, quod Hassiæ est oppidum non ignobile, congregationem ecclesiasticam, vel Synodum cogit (b), atque ibi de Reformatione solenniter decernit. Usus tum est Princeps insigni opera *Francisci* LAMBERTI (c) AVENIONENSIS, Theologi Galli, qui à Theologis Helvetiis æque ac Saxonicis ipsi commendatus erat atque puriori doctrinæ singularem in modum addictus, quod scripta jam tum ab eo edita (d) quamplurima manifestum faciunt:

X 3 Quid-

(a) Vide hoc Consilium inter MELANCHTONIS Epistolas Lib. III. ep. 16. edit. Londin. fol. 500. & apud Scultet. Annal. decad. II. pag. 12. sq.

(b) In ipsa synodo per Feigium Cancellarium aperte palamque testatus est Princeps, *Non esse voluntatem suam, quenquam cogere, sed optare se scrutari, quæ spectant ad ecclesiarum bonum regimen...... Interea tamen se omnia exigere velle ad S. Scripturæ obrussam.*

(c) De F. Lamberto quædam delibavimus in Introd. ad Hist. Ref. §. CXV. p. 277, 278. Sed Vitam ejus in sequentibus paucis enarrabimus, uti eam Cl. SCHELHORNIUS enarravit, in Amœnitatibus Literariis Tomo III. p. 307. seq.

(d) De his in *Miscellan. Duisburgensibus* Tom. II. fascic. III. n. X. p. 555. seq. quædam à nobis sunt annotata: Interea cum hic illa commemo-

Quidquid sit, is Themata quædam composuit, quibus veræ doctrinæ summa & repugnantium illi errorum & abusuum Pontificiorum castigationes comprehendebantur. Ea publicè primò fuerunt affixa, atque deinceps, conveniente ingenti ex omni Hassia multitudine & ex universis statibus, d. XI. Kalend. Novembris sub nomine *Paradoxorum* (pro more seculi) contra Pontificios ex omnibus cœnobiis & collegiis congregatos sunt defensa, præsente Principe & per Cancellarium omnibus liberam disputandi potestatem faciente: *Adamus* autem Craftius (sive *Crato*) Fuldensis, Melanchtonis amicus singularis, atque ipsius Principis ab aliquo tempore Concionator aulicus, ipsa hæc Themata Germanicè quod hujus linguæ ignarus esset Lambertus, primarius in hac Synodo disputator, iis, qui id volebant, interpretabatur, atque cum iis, qui se Latina non intelligere profitebantur, ex verbo Dei agebat. Quum verò nemo quicquam adversus theses istas ex Dei verbo proferre posset, & ipse *Nicolaus Ferber*, à patria *Herborn* dictus, Guardianus Franciscanorum Marburgensium, qui Pontificiorum causam omnium quasi nomine susceperat postridie cum Lamberto congressus, maledicta quidem & calumnias ad Ecclesiæ offensionem protulisset, de cætero autem exceptione fori disputationem declinasset, atque à Principe ejusque Cancellario aliquoties, ut ex Verbo Dei theses examinaret, admonitus, demum obmutuisset, alter verò, qui tertio die obloqui ausus, Lipsiensis Magister, *Johannes Sperber* (a), quod nihil

morentur *Paradoxa*, quæ itidem Miscellaneis Duisburgensibus à nobis sunt inserta, silentio involvendum non erat Paradoxum VIII., quod ita se habet: *Eucharistia est gratiarum actio ac memoria omnium, quæ Christus in carne pro nobis fecit. In ea visibiles substantiæ, ejus, qui invisibiliter adest, signa sunt: Usus ejus est, communio fidelium in commemorationem omnium operum regis & capitis nostri Christi:* Huic itaque Doctrinæ innixa fuit *antiqua Hessorum* Reformatorum *Fides!*

(a) De hoc ita LAMBERTUS in Ep. ad Colonienses data pag. 43. Postera denique die, cum synodum concluderemus, & ad finem omnia deducta viderentur, exsurrexit unus ex Magistris nostris Lipsiensibus Johannes Sperber, qui tandem fuit tam dejectus per verbi Dei potentiam, ut nemo etiam ex pietatis hostibus non doleret super illius ignominia, ac misereretur ejus. Confusus autem brevi defecit, ut synodi Acta testantur.

hil ex S. S. adferret, facilè victus esset, & non sine ignominia loco cedere cogeretur: Synodus, cui Princeps cum Proceribus & Ministris aulicis unà cum universæ Hassiæ clero, & maxima præterea aliorum hominum multitudine, intererant auditores, post triduanam illam Collationem, Reformationem decrevit, (electis ad eam causam nonnullis, qui ex verbo domini definirent, uti Lambertus loquitur, quæ in universis Hessorum ecclesiis reformanda erant,) ejusque modum & rationem scripto consignavit (a). A Disputatione illa Landgravius è monasteriis & cœnobiis monachos & monachas exire jussit, reditus Monasteriorum ad Academiam Marpurgensem quæ Anno sequenti 1527. erigebatur, & ad quatuor Nosocomia transtulit, idola è templis ejecit (b), Ecclesiis singulis fidos pastores præfecit: Adamo autem Cratoni doctrinæ & rituum inspectio fuit tradita.

§. LXX. De SAXONIÆ per Johannem Electorem, cujus mite nimis ingenium fuisse refertur, Reformatione ulteriori multa proferre hactenus nobis non licet, id tamen obtentum est, ut Proceribus ex Nobilitate, qui superiorem Jurisdictionem habent, & vulgo Schriftsassii nominantur, hoc anno injungeretur, quo ordinationem Missæ (c) secundum formulam à viris doctis & scripturæ peritis conscriptam pastoribus suis proponerent: Quid? quod

(a) Scripti hujus titulus est: *Reformatio Ecclesiarum Hassiæ juxta certissimam Sermonum Dei regulam, ordinata in venerabili Synodo per Clementissimum Hessorum Principem Philippum A.* 1526. *d. XX. Octobris Homburgi celebrata, cui ipse Princeps illustrissimus interfuit.* Conferri interea debet ipsius *Lamberti ad Colonienses Epistola*, quæ hujus *colloquii Homburgensis Historiam* exponit, & quam G. C. DRAUDIUS ante aliquot annos annotationibus quibusdam instructam denuò edidit Giess. 1730. 4.

(b) De Reformatione ipsa Hassiæ, editus tum est tractatus Germ. *Was Herr Philip Landgraf in Hessen mit den closter-persohnen und abgottischen bildnussen voorgenommen* A. 1527. Cæterum *Nicolaum* illum *Guardianum*, Marburgo se Bonnam post finitam synodum contulisse, discimus ex Epistola Erasmi apud HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. I. p. 268. ubi is ex ejus libro sermonum quadragesimalium quosdam colligit flosculos atque Epistolam hoc claudit epiphonemate: *Scribunt amici sinceriores, hoc genus animantium nihil non posse in aula Cæsaris.*

(c) vid. MAJ. Hist. Ref. Luth. p. 225. it. SECKEND. L. II. p. 48.

quod addiderit tum quoque Elector, pastores commonendos esse, ut Verbum divinum & Evangelium secundùm verum & Christianum sensum prædicarent & interpretarentur, si verò non satis periti & docti essent, ut sibi librum Witebergæ impressum, qui *Postillarum* titulum habebat, compararent, & ex illo explicationes populo prælegerent, addita, ubi opus esset, declaratione; Uti Ratio celebrandi Missam per *Paulum Speratum* in Germanicum idioma tunc translata edebatur &c. Enimverò ex his atque similibus patet, quam lento gradu propter rationes jam non eviscerandas, hæc progressa fuerit reformatio, quippe quæ ne quidem propter retentos quammultos ritus, si non idololatricos saltem superstitiosos, plena fuit, cum & Canonicis Altenburgensibus vel tum Luthero non dissuadente (a) cultus permitteretur missaticus; Alibi tamen purior doctrina propagari cœpit.

Certè ad Evangelii faciebat incrementum, quod in Ducatu Silesiæ SAGANENSI primi Concionatores audirentur in pagis, Eckersdorff, Dietersbach, Kuna & Greiffenheim, nisi Georgii Saxoniæ Ducis, Evangelium respuentis & cui tamen Ducatus parebat, obstitisset severitas, atque id effecisset, ne herbascere posset veritatis semen; Is enim, simulac id resciverat, præfecto Ducatus Sigefrido à Neihern mandavit, operam daret, ne quid ibi detrimenti caperet religio Pontificia, quem tamen huic mandato non admodum obsecundasse refertur.

Quidquid sit, in Ducatu JAGERNDORFENSI res felicioribus auspiciis succedebat; Emerat scilicet hunc Ducatum à Georgio à Schellenberg Nicolai Troppaviensis & Ratiborensis Ducis genero, GEORGIUS Marchio Brandeburgicus, de cujus prono in Evangelium affectu (b) jam ante quædam monuimus; Adeo enim Evangelica veritas, ejus ad se animum arripuerat, atque ita eum totum sibi conglutinaverat, & conjunxerat, ut vel cognomen PII

(a) vid. SECKENDORF. L. II. p. 49. & SCULTET. Decad. II. pag. 86.

(b) Extat *Caspari à* LILIEN Oratio de Georgio Marggravio Brandenb. Prussiæ Duce, fidei antiquissimæ & verè Catholicæ defensore, Bayreuth. 1684. 4. conf. quæ jam §. XXXIV. diximus & §. LIII.

PII ipsi fuerit tributum. Neque verò ipsi visum est satis, si in hoc Ducatu liberam Evangelii prædicationem permitteret, sed & curavit, ut *Casimirus* Frater (a) & liberum Evangelio permitteret per Principatus Onolsbacensem & Bayreuthensem cursum, & à nimio Pontificiorum, quibus adversari nolebat, patrocinio desisteret.

§. LXXI. De Reformatione in BORUSSIA jam dicere præoccupavimus (b). Ad hunc verò annum præcipuè spectat ibi edita *Ordinatio Ecclesiastica* (c) de ritibus, ceremoniis, administratione sacramentorum, proclamatione novorum conjugum, pœna adulterii, feriis, funeribus, synodis, &c. ab Episcopis *Georgio Sambiensi* & *Erhardo Pomesaniensi*, composita, & mense Decembri anni præcedentis in Comitiis provincialibus Regio monti celebratis Alberto Duci oblata, atque ab ipso & omnibus Ordinibus approbata. Quum verò in Comitiis hoc anno (d) Spiræ habitis, Magister Ordinis Teutonici, *Dietericus à Cleen* scriptum, cui *Excusationis* nomen præfixerat, adversus mutationem ab *Alberto* (nuper Magistro, nunc Duce) se & Livoniæ Magistro non consulto, in Borussia factam exhibuisset, *Alberti* nomine *Protestatio* (e) prolixa A. 1526. d. 29. Octobris publicata fuit; In hac multa contra Ordines religiosos, & contra bella ab iis, homines ad Christianismum cogendi ergo, gesta, tum adversus impurum cœlibatum, vehementer & liberrimè disputantur, & probrosa Equitum vita ita traducitur, ut satius fuisse dicatur, *si filii nobilium*

(a) vid. §. LIII. pag. 121--124. & conf. quæ §. LXXX. dicentur.

(b) vid. §. XLV. p. 101. & §. LXIII. pag. 145.

(c) Contenta hujus Scriptores rerum Borussicarum referunt, & cumprimis HARTKNOCHIUS Histor. Eccles. L. II. c. I. Inter alias ibi Lex sancitur, „ ut matres, quæ infantulis suis, vel per ebrietatem, vel „ per incuriam cum vitæ illorum dispendio incubuissent, quod dicitur „ frequenter fieri, publicè pœnitentiam agant. „ Cæterùm ea, jam A. 1525. quoque typis est inpressa, atque deinceps plus semel, ita tamen ut editio quarta A. 1558. varias excitaverit turbas, atque fuerit improbata. vid. LILIENTH. *Selecta Hist.* & *Liter.* Obs. II. §. XI. p. 113.

(d) SECKENDORF. L. II. §. XVII. pag. 49.

(e) Hanc HORTLEDERUS Tom. I. Lib. V. cap. I. integram exhibet.

lium in cunis suffocati, quam cum præsentissimo animæ periculo in ordinem assumti fuissent. Exponitur deinceps, quomodo inter Reges Poloniæ & Magistros ac Equites Ordinis bella orta, & quibus pactis composita, atque à quinque Magistris observata fuerint. Dein, ut ab iis *Fridericus* Saxoniæ Dux, ad magisterium evectus recesserit, ipse etiam *Albertus* illi succedens, jugum excutere tentaverit; sed cum jactura magnæ partis provinciæ, à Polonis occupatæ: Se tamen non sine indignitate toto triennio in Germania circumiisse, & à Cæsare & Imperio auxilia frustrà petiisse, desertum itaque, ad novam cum Poloniæ Rege Transactionem adactum esse, ac regione excedere. Religionis Reformationem se in Germania absente initium habuisse à concionibus peregrinorum Doctorum; inde perspectæ jam aliquatenus veritatis tanto desiderio flagrasse Ordines, & populum, ut eorum postulatis consensum suum denegare non potuerit. Idem *Albertus* paulo ante, cum Johanne Electore Saxoniæ (a) mutuæ defensionis pactionem iniit, ut ex ejus Diplomate d. 29. Septembris, Regiomonte in Borussià dato, constat.

§. LXXII. In FRISIA ORIENTALI sub ditione Edzardi pauca illa, quæ in superioribus (b) commemoravimus, veritatis, doctrinæque purioris jacta semina, ulterius progerminare cœperunt, ipsaque Veritas per contradicentium molimina ad plures migravit. Et superiori quidem anno in Dominio *Esensi* atque variis in locis per *Johannem Visbekium*, Pastorem in Burhave, *Richardum Hickonem*, Pastorem in Dunum, & *Mammonem Folckardum*, Pastorem in Ardorp, annuente *Ennone* Comite, perfecta jam erat aliquo modo Reformatio. Interea verò *Laurentius* quidam (c) Monachus Dominicanus, Groningæ in claustris Jacobæorum qui Priorem agebat, homo vanitatis pariter & impudentiæ raræ, continuò apud suos jactabat, se in Frisiam Edzardo

(a) vid. HORTLED. L. VIII. c. 66.
(b) Conf. §. XI. pag. 20--24.
(c) *Laurentium* hunc *Ubbo* EMMIUS Lib. LIII. pag. 826. appellat Jacobæorum monachorum in Urbe Priorem, nuper Docturæ Theologicæ infula ornatum, aut oneratum Parisiis, *hominem vanum, tumidum, audacem, sibi plaudentem, denique cucullo dignum.*

do parentem (a) iturum, & hæreses ibi exorientes levi opera dissipaturum. *Jemgumum* enim, quod insigne forum est in agro Reidano, in ripa Amasi situm, cogitabat, quò ingens rasorum frequentia quotannis medio mense Junio, die eo, qui Vito sacer est, velut ad solennem conventum confluere solet. Quò cum venisset, stipante gregalium caterva, suggestum conscendens, pro more suo impudentiore in doctrinam Reformatam invectus fuit; nec quidquam pensi habuit, quid diceret, dum modò malediceret. Sed aliquot Ecclesiarum ministri aderant ibidem, puritatem doctrinæ amantes, qui fama Laurentii excitati, ex voluntate suorum isthuc se contulerant, & differentem eum, ac dogmata sacra auscultabant insectantem. Hi vanitatem frontemque ejus mirati (nec enim quidquam, quod pondus rationum, authoritatemve divinam haberet, in medium attulerat) indigneque ferentes veritatem conspicuam impunè proscindi, coram tota multitudine in os ei contradixerunt, ac manifestæ falsitatis assertiones ejus convictas, apud omnes quibus sana mens erat, in pudorem dederunt, quanquam assertor ipse, pudere nescius, inter imperitos & sui similes triumphum caneret. Postridiè eodem loci è suggestu dixit *Reinerus* Monetarius, Laurentii comes, & ipse monachus Jacobæus, Laurentium propemodum vanitate atque impudentia superans, cui studium erat, ea quæ pridiè â Priore suo disputata fuerant, tueri. Quem cùm patienter audisset, petulantissimè se jactantem, fumosque fundentem, *Henricus* Ecclesiastes *Oldersbemius*, vir pietate fervens, & insigniter facundus, concione jam finita, multitudinem compellans, clara voce ait: „ Si quis defensionem veritatis, contra monachorum „ mendacia & vanos errores, audire cupit, me sequatur: „ progressusque è templo, sequente magno hominum numero, patenti in campo, corona facta, è loco paulò supra terram edito, concionem habuit valdè luculentam: ac licet pulsatis, magna vi, nolis, & clamoribus concitatis, turbare eum rasorum natio summo studio niteretur, constanti tamen animo in cœpto progressus peroravit. Ac plebs, oratione delectata, *Henricum* & Ecclesiastas alios enixè rogavit, ut docendi causa sæpius isthuc ventitaren.

(a) Hæc omnia verbis EMMII Lib. LIV. p. 837--840. narrantur.

tarent. Nam ea vicinia, culpa ſuorum ſacerdotum, in ſordibus Papiſmi tum temporis adhuc hærebat. At Laurentius hac concione vehementer commotus, ira plenus, ut ignominiam deleret, Themata pauca conſcripſit (a), jactavitque, Oldershemum ſe iturum, & de his contra Henricum & quosvis alios à ſe diſſentientes, iſthic publicè diſputaturum, ſi de fide publica ab Ulrico Dornumanno, qui Oldershemi habitabat, ſibi caveretur. Qua ſine mora impetrata, (erat enim *Ulricus* ut rebus geſtis & genere clarus, ex amita Edzardi prognatus, ita ſtudio aperiendæ propagandæque Veritatis divinæ inprimis fervidus) venit ipſe Oldershemum cum paraſtata ſuo, Reinero, trahens ſecum ex agro Reidano Papiſmo adhærentes, Antiſtitem cœnobii Jemgumani, ordinis Joannitarum, quem Commendatorem vocant, Sacerdotesque primarios, Jemgumanum, Hatſumanum, Ditſumanum, cum aliis nonnullis inferioris notæ: è quibus tamen quosdam tacitè cum parte meliore ſenſiſſe, memoriæ traditum eſt. Intereà verò eodem celeriter excitaverat Ulricus ſuarum partium Theologos complures: inter quos erant *Georgius Aportanus* Emdanus, *Joannes Stephanus* Nordanus, *Lubbertus Cantius* Leranus, *Fridericus* N. Peuſumanus, *Wibo* Petcumanus. Qui cum adeſſent, atque his ſe junxiſſent Oldershemii duo, *Albertus* & *Henricus*, in templo ejus loci, præſente ipſo *Ulrico*, & cum eo *Herone* Hicconis filio, quorum in ditione Oldershemum & proximi aliquot vici erant, populusque audiendi cupidus templum compleſſet, initium à precibus ad Deum fuſis factum, præeunte ver-

(a) Enimverò non tam ipſe *Laurentius* ea conſcripſiſſe dicitur themata, ſed ipſi Noſtri homines, eadem ex concione ejus Jemgumana excerpſiſſe feruntur; Sunt verò hæc themata ſequentia: (1.) Cum peccatores ſimus omnes, nec coram Deo ad recipiendam gratiam comparere poſſimus, ſequitur, nos opus habere Mediatoribus (2.) Uti Chriſtus eſt Mediator inter Deum & homines, ita Maria Mediatricem agit inter Chriſtum & eosdem homines (3.) Chriſtus eſt Judex, nam Pater ipſi omne tradidit Judicium: Unde neceſſe eſt, ut alios habeamus inter Chriſtum & nos Mediatores: (4.) Num per fidem ſolùm juſtificemur, ſine ullo bonorum operum adſumento? (5.) Veteres conſuetudines abrogari non debere, inprimis eas, quæ jam per multa ſecula fuerint in Eccleſia receptæ atque obſervatæ, conf. Rev. MEINERS. Hiſt. Ref. Friſ. T. I. p. 19, 20.

verbis *Henrico* Oldershemio. Tum Laurentius verba facere orſus, ut à ſe actionis periculum & onus amoveret, Præſidis locum ſibi ab Ulrico popoſcit, cum poteſtate judicandi, cæteros actores eſſe voluit. Sed cum repulſam tuliſſet, ac dictum ei eſſet, *ſoli Dei verbo in hac re judicium permittendum*, jam latino ſermone loquens poſtulavit, *ut populus* (ſic enim dicebat) *ab actione ſubmoveretur*. Et quamvis ab Aportano refutatus inſtaret denuò, ſacrasque Συζητήσεις profanis imperitorum auribus non proſtituendas contenderet, tamen nihil impetravit. Demùm hoc egit, ut aſtiti ſuo Reinero partes dicendi tribuerentur. Sed hic quoque rejectus in arenam certaminis tandem ipſe deſcendere neceſſe habuit: excipiente verò preſſè, & errores craſſos aperiente *Aportano*, licet ſtrenuè ſuppetias ei ferret *Reinerus*, tamen turpiter ubique concidit, & vanitatem ſuam, aut potius veſaniam in theatrum productam cunctis præſentibus deridendam propinavit. Sic colloquium ſolutum, confuſique omnes, qui vel interfuerant actioni, vel de ea audiverunt, papani: cæteri verò in fide confirmati, multi hactenus dubii ac hæſitantes, Reformatis adjuncti: Papismus magis magisque tota ea regione fœtere cœpit. At Laurentius, ne non monachum ſe demonſtraret, ubi domum revertit, in concionibus ad populum dejeravit, latè ſe viciſſe, adeoque os obturaſſe omnibus adverſariis: eos, dixit, *Mariam* Θεότοκον *vilis ſcorti inſtar habere*, *cœnæ Dominicæ ſacramentum minoris quam elixum caput porci æſtimare*, *Chriſtum Deum non ſtatuere*. Quæ cum cognoviſſet Ulricus Dornumanus, ad frenandum os tam naviter impudens, & exultans mendacium reprimendum, ad *Senatum populumque Groninganum*, cui ipſe notiſſimus erat, literas dedit, atque ordine & eventu Colloquii accuratè expoſito hortatus eosdem eſt, ut id genus hominum, tam projecti pudoris, tam mendax, improbum, animis exitiale, è civitate exturbent. Sed ſurdis fabula. Cucullatos enim tangere ſub principe Geldro, & ſuperſtitione adhuc in urbe dominante, nemo audebat: & quicquid tale pro tuendo religionis papanæ ſtatu à raſis verticibus committebatur, id quanquam notorii flagitii & non ferendæ improbitatis eſſet, tamen iis facilè condonabatur, atque adeò Zeli quoque nomine à popello erroribus faſcinato ornabatur.

 Apud

Apud eos autem, quibus aliquid rectæ mentis erat, iſta ſuperſtitio cum ejusmodi patronis ſuis vileſcebat, & tantùm non etiam iis locis, ubi regnum tenere videbatur, fœtere incipiebat. Sic enim judicabatur, tantam libidinem ac licentiam mentiendi iisdem in animis cum pietate habitare ſimul non poſſe, & ſine dubio vitioſum id eſſe, quod talibus patrociniis opus haberet. Atque hoc ipſum primum judicium multos porrò ad inquirendum in rem ipſam & inveniendum verum ſtimulabat. Qua ratione fiebat, ut *Laurentiana* & *Reinerana* ingenia, dum fulcire papismum talibus modis impenſiùs volebant, latiùs eum in ruinam traxerint. *Ulricus* autem vir magni bonique nominis, ut veritatis notitiam cum ſincera pietate promoveret, acta colloquii hujus ipſe deſcripſit (a), Epiſtolamque dedicatoriam ad juniores comites, Edzardi filios, cognatos ſuos, narrationi præmiſit: in calce verò Themata quædam papanis oppoſita, imprimis de *juſtificatione* noſtri, de unico *mediatore ac redemtore* hominum, & capitibus ſimilibus ſubjecit, ac demum coronidis loco inſectationem univerſi Ordinis cucullatorum non vita minus improba, quam doctrina impia probroſi ſuperaddidit, omniaque *Witebergam* miſſa typis excudi curavit, eodem adhuc fluente anno, quo res fuit geſta: Qua ſanè cura, ut aliud adſecutus nihil ſit ob ſtili ruditatem (armis enim quam literis major erat) popularium ſuorum multos hæſitantes excitavit, ut papismo abjecto viam veritatis ſequerentur. Hic fructus jactantiæ Laurentianæ fuit.

Erat iſto tempore in cœnobio Dominicano apud Nordanos Monachus literis apprimè exultus, *Henricus* RESIUS. Is in libris ſacris, & ſcriptis Patrum aſſiduus, & ipſo certamine, quod de religione erat, excitatus, ac *Lutheri*, *Melanchthonis*. *Zwinglii*, *Oecolampadii* lucubrationibus editis adjutus, Verum etiam videre cœperat: & jam in Concionibus ſuperſtitiones impias, & craſſos errores in papismo graſſantes modeſtè taxabat, in ſodalitio tamen gregalium ſuorum & cuculla manebat. Oden verò Germanicam de *myſterio eucharistiæ* elegantem concepit, & mox à colloquio

(a) Quam Deſcriptionem ante paucos annos iterum edidit atque ſuo Commentario de Reform. Friſ. Or. Tomo I. pag. 479--526. ſubjecit Reverendus Emdanorum Eccleſiaſtes *Eduardus* MEINERS.

loquio Oldershemio in vulgus edidit, ut in hac quoque doctrinæ parte lucem aliquam mentibus affunderet, quæ quidem ita placuit, ut usus ejus in Ecclesiis statim reciperetur. Atque *eam Oden* comitatus est in lucem exiens brevissimus tractatus *de eodem illo mysterio* à Georgio *Aportano* conscriptus, & per capita aliquot digestus, quo obviam itum idolomaniæ, & aliis superstitiosis, & cum analogia fidei pugnantibus opinionibus, quæ tum vicinis in regionibus in scenam prodibant. *Resius* autem jam satis confirmatus & de relinquendo ordine certus, ut majore cum fructu hoc faceret, capita aliquot doctrinæ ad subruendum à fundo Papismum comparata conjecit in chartam, & copia ab EDZARDO Comite libentissimè impetrata, *Emdæ*, *Nordæ*, *Auricæ*, adeoque passim celebrioribus locis totius regni templorum valvis curavit affigi. Simul verò omnibus eruditis, quibus papismus adhuc sapiebat apud Frisios, denunciavit, ista se publicè disputantem tueri paratum esse, contra quosvis dissentientes, ac oppugnare volentes, invitavitque ad faciendum periculum, cunctos, quibus animus esset, aut qui pontificiam religionem asserere se posse quoquo modo arbitrarentur. Ecclesiarum quoque Pastores orthodoxos, quibus per munia ministerii sui id liceret, ut actioni interesse & discutiendis errorum tenebris operam conferre vellent, obsecravit. Diem & locum actioni dixit Calendas Januarias anni sequentis, apud Nordanos in fano Cœnobii sui.

§. LXXIII. Sed illud unicum ex rebus BREMENSIBUS ad hunc Annum commemorare nobis sufficiat, quod Canonici Stephaniani (a) tum sibi ipsis imposuerint silentium. Cum enim in ipsorum templo, *Hermannus* quidam, Vir Doctus, & puriori religioni addictus, esset sepultus, Canonici, quod hæretici hominis sepultura ædes sacras contaminatas esse cum superstitiosè tum impiè judicarent, sibi inde migrandum esse reputarunt, qua migratione spontanea, quod simul Evangelio apertam reliquerint januam, lætamur meritò, gratique recordamur.

Inter Lutheri Scripta, quæ A. 1526. prodierunt, inprimis *Expositio quatuor Psalmorum* 37. 62. 94. & 109. quam sub anni finem edidit, commemorari meretur, cum alias ob rationes, tum, quod

(a) vid. SCULTET. Annal. dec. II. p. 86. ex *Chronica Bremensi*.

quod eam MARIÆ *Austriacæ*, Ludovici Hungariæ Regis Viduæ, Caroli Imp. & Ferdinandi sorori dedicavit, ejusque adeo Nomen & virtutes æternis seculorum fastis inscripsit. Erat enim hæc MARIA, quod ipse Lutherus in Epistola testatur Dedicatoria, Evangelio favens, quin imò, Eandem is describit (a) tanquam *Mulierem verè heroico spiritu*, *præcipua pietate & modestia*; Singularis autem ejusdem ad puriorem doctrinam propensio vel ex eo patebat, quod *Johannem* HENCKELIUM (b) Concionatorem haberet Aulicum, quem *Spalatinus* Doctorem Evangelicum, & virum (c) honestissimum ac humanissimum laudat; Accedit ejus in Scripturam S. affectus, adeo ut quoque, cum Latinæ Linguæ perita esset, ea referatur, quod ordinario Biblia Latina secum, etiam in venatione tulerit (d), quodque dicta pro concione allegata semper evolverit, ac sollicitum de eorum sensu examen instituerit. Nam & Eadem hæc Regina deinceps in Comitiis (aderat enim Augustæ) Augustanis A. 1530. celebratis, cum deliberatum ac fixum in animo haberet, conciones audire Evangelicas, prohiberi non potuit, quo minus eædem apud ipsam (e) haberentur, quippe quæ tum quoque Carolum Imp. Fratrem non semel graviter admonuisse refertur, „ ne se à sacerdotibus decipi „ sineret, sicut deceptus fuisset (f) maritus suus Ludovicus (g) „ &

(a) In Ep. ad Melanchth. A. 1530. d. 10. Julii v. SECKENDORF. L. II. §. XXII. n. 6.

(b) Memorabilis est *Des.* ERASMI ad Henckelium hoc ipso anno scripta Epistola ad diem Nonar: Martii, quæ legitur in Volumine Epistolar. Erasmi I. n. 796. fol. 913. seqq. ubi inter alia; *Non hic*, inquit, *te prædicamus*, *sed misericordi Deo pro dotibus amplissimis*, *quas in te contulit*, *& per has in te* ἐνεϱγῶντι *gratias agimus ex animo gratulantes inclytæ Reginæ Mariæ*, *fœminæ*, *ut audio*, *tum piæ tum prudenti*, *vel toti potius Ungariæ* &c. Alia quædam excerpta nobis dat SECKENDORF. L. II. §. XXII. f. 57.

(c) SPALATIN. in Annalib. ad A. 1530. p. 140, 141.

(d) SPALATIN. l. c.

(e) vid. LUTHERI Opp. Altenb. Tom. V, fol. 157.

(f) vid. SECKENDORF. l. c. p. 58. ex relatione Lutheri l. c.

(g) Huc truculenta illa pertinent Edicta, quæ, dum vivebat Ludovicus, invita uxore Maria, cudit in Evangelii Confessores, quibus eos om-

„ & Ferdinandus frater. „ Quid? quod, ea & contemtim habuisse dicatur *Medardum* Franciscanum, Ferdinandi concionatorem, magnum Stentorem, & pro Evangelicis, timidè licet ac verecundè, intercessisse (a)! Enimverò, cum Nostra hæc, de Regis ac Mariti sui Ludovici, quocum per integrum quinquennium in matrimonio vixerat, morte in campis Mohadicis lugubrem 1525. nuncium accepisset, tum sese abinde recipere atque unà cum aliis Prælatis, in quorum numero *Alexius Turzo*, Evangelii Patronus, Presburgum concedere, atque, cum ibi per aliquot tempus commorata esset, tandem Viennam migrare coacta fuit, donec ea in locum Margarethæ Austriacæ tum defunctæ, gubernandis provinciis Belgicis A. 1531. præficeretur, ad quam præfecturam magno cum omnium applausu quod fuerit excepta GUICCIARDINUS (b) testis est, uti per integros 25. annos strenuè & non sine Gubernationis, quæ ob insignem prudentiam & moderationem laudabatur, præclarè gestæ testimonio publico eandem gessit (c), usque dum *Philippus*, cui Carolus ab Imperio & Regnorum administratione desistens jam Belgicas tradiderat provincias, eandem in Hispaniam accivit, ne sibi acriora consilia agitanti obstaculo esset, ubi eadem A. 1558. piam uti credere fas est (d), obiit mortem. Juvat in præclaræ Reginæ memoriam gravissimi *Jac. Aug.* THUANI apponere verba de

Z ejus

omnes & illorum fautores, ac factioni ipsi adhærentes, tanquam publicos hæreticos, hostesque sacratissimæ Virginis Mariæ, pœna capitis & omnium bonorum ablatione puniendos decrevit, quorum mentio fit in Historia Ecclef. Ref. in Hungar. & Transsylv., quam B. LAMPIUS edidit Traj. ad Rhen. 1727. 4. p. 58, 59.

(a) Certè LUTHERUS in Ep. ad Melancht. citata: *Studet*, inquit, *ea nobis placare fratrem, sed cogitur id timidè & verecundè facere.*

(b) GUICCIARD. in Comment. de reb. memorabilibus Lib. I.

(c) conf. BRAND. Hist. Ref. Belg. T. I. p. 105. qui & illud in ejus commemorat laudem, quod literarum librorumque esset amans, unde ERASMUS Epistol. Tomo II. n. 1032. fol. 1171. de ea scribat: *Scena rerum humanarum invertitur, Monachi literas nesciunt, & fœminæ libris indulgent.*

(d) ERASMUS certè in Ep. ad S. Vergaram Ep. T. II. fol. 1483. testatur, *ea nihil sanctius ac prudentius habere suam ætatem.*

ejus morte & vita (a): „ Caroli mortem mox Mariæ Hungaricæ, „ dilectiſſimæ ſororis, mors ſecuta eſt XV. Kal. Novembr., quæ „ non totum menſem fratri ſuperſtes fuit, antiqui moris & gra- „ vitatis feminæ, ad hæc ſupra ſexum fortiſſimæ; quæ cum im- „ pudicitiæ acerrima vindex tota vita fuerit, à noſtris tamen, „ incurſionum odio, quæ frequenter à Cæſarianis, dum Belgio „ præeſſet, fiebant, dicteriis & militari laſcivia compoſitis can- „ tilenis falsò inſimulata fuit, quaſi cum Barbanſono, formoſo „ admodum viro, ſed in quo virtus ac fides plus forma pollebat, „ conſueſceret; tam ab hoc crimine abhorrens, ut nunquam à „ Cæſare exorari potuerit, ut cuidam ex primaria nobilitate ju- „ veni fratri percharo, qui unam ex domeſticis ipſius virginibus „ corruperat, culpam condonaret, palam interminata, ſicubi „ illam nanciſceretur, vel in fratris comitatu, fore, ut extremo „ ſupplicio affici juberet. „ Cæterum, Memoria ejus in Eccleſiis Lutheranis conſervatur retenta cantione germanica, ejus gratia à LUTHERO (b), uti putatur, compoſita, illique chara. Nomen etiam MARIÆ verſiculorum trium primis ſyllabis aut literis exprimitur. Initium habet: *Mag ich Ungluck nicht Wiederſtahn.*

§. LXXIV. Diximus in ſuperioribus (c), quod *Henricus* REESIUS in Friſia Orientali diem & locum actioni publicæ dixerit Calendas Januarias anni proximè inituri apud Nordanos in fano cœnobii ſui: Is itaque dies cum adveniſſet, ipſe Reſius, in magna hominum omnis generis frequentia (d) (nam ex omni regione multi omnino utriusque religionis præſertim viri eruditi, ſacerdotes, monachi, eccleſiarum miniſtri, illuc confluxerant, ac plebs Nordana magno numero eodem concurrerat) præſentibus *Jelkone Iderhovio* arcis Berúmanæ præfecto, & *Egberto Aurifabro*, conſule Nordano (is avus erat maternus *Ubbonis Emmii*) qui vice Comitis dabant operam, ne quid indecenter aut turbulenter fieret, ipſe inquam *Reſius* cucullum indutus, in ſuggeſtum aſcendit, dictis-

(a) v. THUAN. Hiſtor. L. XXI. Tom. I. fol. 725.
(b) SCULTET. annal. Dec. II. pag. 90. SECKENDORF. l. c. pag. 58.
(c) vid. §. LXXIII. p. 175.
(d) Hæc ex *Ubbone* EMMIO pag. 839. ſq.

dictisque ad Deum precibus Themata sua (a) clara voce recitavit; Eo facto & exposito breviter consilio suo, ad disputandum modestissimis verbis eos, qui aderant, provocavit, Deinde silentio subsecuto, quiescentibus cæteris, tandem se commovit *Gerardus Synellius* (b) (Snellius) in cœnobio virginum apud eosdem Nordanus abbas, homo literarum cultu insignis, (cujus extat carminum liber infartus poëmatis aliorum auctorum editus 1512. & Hicconi Cankenio Dornumano dedicatus,) omnibus ferventior in fulciendo Papismo, & pauca de se præfatus conatus fuit themata convellere; Sed tam apposite & solidè ei respondit Resius, ac sacra auctoritate traditiones ac doctrinas hominum tanta evidentia confutavit, ut Synellium temerarii conatus sui in conventu tam illustri cœperit pœnitere. Et cum hic post pugnam non longam conticesceret, ceteroquin nemo periculum certaminis ob judicia hominum, qui aderant, ausus fuit rursum subire; Resius omnium, qui hostes non erant, judicio victor est existimatus, Papana natio confusa. Ille verò cum perorasset breviter, gratiasque Deo egisset, spectante omni multitudine in suggesto cucullum posuit, ac monachismum cum toto papismo abjecit. Secuta congratulatio bonorum, qui eum ex suggesto descendentem exceperunt: inter quos *Georgius Aportanus* fuit, & *Johannes Stephanus* Pastor Nordanus, cui, & *Rhodio*, poscente ecclesia collega datus est. Hoc eventu latius adhuc papana religio in Frisia Orientali gaudente Edzardo corruit, vix jam ut hic illic reliquiæ extra monastica claustra apparerent. Cætera sub ditione Edzardi, & quæcunque ad Orientem Amasi proximis mensibus quieta fuere.

§. LXXV. Cæterùm ad res Ecclesiæ (c) progressumque Reformationis circa hunc annum 1527. penitius inspiciendum faciet, si primò statum Orbis publicum hujus tempestatis comparemus;

Z 2 Dura-

(a) Ea erant numero sedecim, uti testatur BENINGA in Chronico Oostfrisiæ p. m. 620. Sed Rev. MEINERS Hist. Ref. Fris. Orient. Tom. II. pag. 352. sq.-366. ea nobis numero XXII. exhibet.

(b) De Synellio vid. not. HARKENROHT ad Bening. Chronic. l. c. p. 620. qui eum Groninganum fuisse refert.

(c) Ita HAHNIUS in Histor. emendator. Sacror. p. 65.

Durabat enim adhuc illud inter Cæsarem & Papam dissidium, cujus initium superiori (a) anno vidimus. Et meritas omnino pœnas protervìæ suæ dabat Clemens Papa, cum Urbs Roma altera nunc vice à milite Cæsareano caperetur, ipsaque victorum direptioni & spoliis cederet. Quæ quidem res, cum ex se in detrimentum auctoritatis & emolumentorum Papalium vergeret, nec ipsam Pontificis personam à vexationibus immunem præstaret, quippe qui mox obsidione in castello S. Angeli cinctus, mox ex eodem captivus ducebatur, militum petulantiæ & libidini permissus, mox & alias à Cæsare publico, quod jam vidimus, ludibrio habebatur, in tantum huc pertinet, ut positum exinde Pontificiæ tyrannidi obicem intelligamus, quo minus in Lutherum & ejus doctrinam, non ita ut ante cœptum hoc tempore sævire licuerit, quanquam mox circa finem hujus anni Cæsar cum captivo suo Pontifice utcunque reconciliatus, victimam (b) iterum Lutherum, & qui eum sequebantur, destinaret, uti pactorum inter utrumque d. 26. Novemb. 1527. initorum caput speciosissimum erat, *ut Concilium universale haberetur*, (quod omnium piorum equidem votis expetebatur, ad seriam doctrinæ & disciplinæ emendationem) sed *ad extirpandam Lutheri hæresin:* Hæc tamen, uti non statim in effectum deducta fuerunt, ita in Comitiis etiam Ratisbonensibus hoc anno mense Martio celebratis, nihil prorsus propter Cæsaris absentiam actum est; atque deficiente fere suprema (c) in Imperio Potestate, arbitrio singulorum principum & magistratuum, tum alia, tum maximè religionis negotia tractabantur nullo in commune consilio.

His ferè diebus *Johannis* Electoris Saxoniæ filius *Johannes Fridericus*, cui desponsa fuerat Cæsaris soror Catharina, natu minima, confectis ea de re & signatis literis, se spe sua illud con-

(a) conf. §. LXVIII. p. 164.

(b) Ita SECKENDORF. L. II. §. XXVIII. p. 79. ex Pallavicino Lib. II. c. XIV.

(c) Aberat enim *Ferdinandus* quoque bello Hungarico implicitus, & *Philippus Badensis*, cui ceteroquin, ut Cæsaris locum post Ferdinandum teneret, erat demandatum, ex Comitiis digressus erat, *Wolfgangum Montfortium* Comitem subdelegatum relinquens, vid. SECKENDORF. l. c. pag. 80.

consummandi delusum sentiebat, siquidem ipsi ob Lutheranam, quam profitebatur, religionem consummatio matrimonii legitimè ceteroquin pacti denegaretur, & Cæsaris legatus Haunartus, qui tunc per Germaniam erat, apertè diceret, non esse fidem servandam hæreticis, Constantiensis, ut opinor, (a) concilii vestigia secutus, uti quidem in scripto quodam Saxoniæ Dux posteà commemorat. De aliis igitur nuptiis cogitare cœpit, sibique *Sibyllam* Johannis Ducis Clivensis Filiam elegit sponsam atque in matrimonium duxit. Intereà verò hæc res Evangelicæ doctrinæ ad alias quoque terras, & quidem ad *Juliaco-Clivenses* diffundendæ pulcerrimam dabat ansam. Proficiscebatur enim *Johannes Fridericus*, ad sponsam videndam, in Ducatum Clivensem, & in comitatu suo sacrorum causa *Fridericum* MYCONIUM (b) habebat, qui singulis diebus coram eo concionabatur, quod etiam, Dusseldorffum cum venisset Princeps, in arce fiebat. Hoc malè habebat *Johannem Corbachium*, in conventu Coloniensi monachum Franciscanum, in illa urbe tunc degentem. Hinc publicè in templo è pulpito declamans d. XVII. Febr. decem articulos credendos enarravit, & simul acerbissimè in novos prædicatores, quos absque vocatione ajebat docere, invectus est, promittens tamen in fine orationis, „ si quis erroris eum arguere „ vellet, se auditurum & ex Scriptura reformationem suceptu- „ rum esse. „ Hujus oblationis causa, Baro *Anaricus* (Anarg Wildenfels) ad Corbachium misit, eumque rogavit, ut eodem die Myconium concionaturum in arce audiret, eumque, si forte quid contra scripturam diceret, corrigere vellet, promittens, se colloquium inter eos procuraturum esse. Monachus verò preces Baronis, licet eodem die iteratas & sequenti die Myconii nomine repetitas, planè respuit, tandem tamen promisit, se d. XIX. Februarii ad colloquium in hospitio Baronis instituendum, venturum esse. Promissis etiam stetit, seque coram loco horaque destinata exhibuit; Cum ad disputationem audiendam ipse Saxoniæ Princeps cum suis consiliariis, multique insuper Clivensis Ducis aulici ac nobiles, nec non plurimi literati cives ac plebeji

(a) SLEIDAN. L. VI. fol. 92. b.
(b) Conf. de Myconio. §. XXV. p. 49, 50. & §. LIX. p. 135.

convenissent, ita ut fores essent aperiendæ, Myconius initium dicendi fecit, sermonemque & ad monachum & ad auditores direxit, illum rogitans, ut in veritatis studium incumberet, hos verò adhortans, „ ut attentos se præberent, monerentque, si „ quid Verbo divino minus conveniens in medium proferretur.„ Hic monachus statim ostendit, cujus spiritus esset filius; contemtim enim Myconium tractans, inurbanè eum compellavit: *Hörst du Fritz!* omniumque verborum ejus summa eò rediit, „ non esse coram Viris militaribus, & imperitis ejusmodi homi-„ nibus, de Scriptura disputandum, sed in doctorum præsentia.„ Provocavit hinc Myconium, Coloniam ut iret, ibique rem suam ageret. Noster verò regerens, ex verbo divino judicium esse ferendum, inter alia ad dictum Joh. XII. 48 provocavit, idque ex versione Lutheri legit; ubi monachus plenus ira exclamavit, ipsum diabolum hujus versionis auctorem esse, dictumque Deut. XVII. 10. Myconii verbis opposuit, ubi judicium de controversiis sacris sacerdotibus concederetur. Ad hæc Myconius, „ con-„ ferendum esse, inquit, versiculum sequentem, ubi norma hujus „ judicii scriptura nominetur.„ His præmissis, de decem articulis, quos Corbachius pro concione proposuerat, disputatum est, monacho nil prope nisi convicia in medium proferente, ita ut Myconium quam plurimis diabolis obsessum vociferaretur, eique, modò conjugium objiceret, modò, quod non vocatus doceret, modò, quod autor esset rusticorum tumultus. Ad hæc omnia satis mansuetè Fridericus noster respondit, Magistri sui Christi exemplum secutus. Demum monachus ad extrema perductus, locumque Scripturæ ad probandam invocationem sanctorum non inveniens, post multa opprobria, quibus Myconium exercuerat, rogavit eum, quid crederet? Hic Myconius, in memoriam sine dubio revocans adhortationem Apostolicam 1 Petr. II. 15. surgensque, fidei suæ egregium edidit testimonium, in hanc sententiam dum loquebatur (a); „ Domini & Amici mei, cum pro „ hæ-

(a) vid. SECKENDORF. qui hanc totam nobis L. II. §. XXXIV. add. I. p. 91, 92. breviter enarrat historiam atque hanc dein addit epicrisin: *Hæc certè relatu dignissima esse judicabunt, quotquot sequestratis affectibus, veritatem ipsam simplicem & divinam amant.*

„ hæreticis undique diffamemur, rogo, ut fundamenta fidei & „ ſpei noſtræ ex me audiatis. Profitemur, peccatores nos eſſe „ omnes, animo & affectibus ad malum ſemper propenſos, & „ Dei voluntati repugnantes. Lex peccata noſtra arguit, & „ quantum ab imagine Dei in præceptis ejus propoſita diſcrepe- „ mus, oſtendit. Agnitionem peccati dolor & metus judicii di- „ vini ſequitur. Hoc inevitabile eſt, nec ullum remedium, nul- „ la etiam divini conſilii, an ignoſcere nobis velit, notitia habe- „ tur, niſi quam per Filium ſuum in carnem miſſum nobis ape- „ ruit. Hic autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus gratiam patris „ ſui prædicat, & dicit, ſe ad ſalvandos homines veniſſe, & medi- „ cinam afferre, & Scriptura teſtatur, quomodo peccata noſtra „ Chriſtus in ſe ſuſceperit. Hoc credendum eſt, & inde unicè „ expectari debet expiatio peccati: A Chriſto enim non ſolùm „ tolluntur peccata, ſed & ejus victoria, reſurrectio, juſtifica- „ tio, ſanctitas, liberatio, aliaque bona nobis donantur. Hæc „ omnia fide acceptamus, & nos per Chriſtum liberatos, ſanctos, „ juſtos, beatos & filios Dei eſſe confidimus, iſta omnia fide „ acquirimus, absque fide nihil eorum tenemus. Hanc fidem ſe- „ quitur Spiritus ſanctus; is effundit in corda noſtra charitatem, „ ut Deum tanquam patrem amemus, ſicut ipſe nos amavit. In- „ de fructus ſpiritus ex ſpontaneo proveniunt corde, quos Pau- „ lus ad Gal. V. enumerat. Ubi arbor nondum bona eſt, fides „ non eſt ſincera, ſpiritus & fides non eſt in corde; ſi enim ad- „ eſſent, utique operarentur, ut calor & lumen ignem ſequitur. „ Hæc omnia efficit in nobis Evangelium & verbum Dei. Quod „ Sanctos attinet, duplicem utilitatem ab iis habemus, *prima*, „ ut fides noſtra illorum exemplo roboretur, ſicut enim illorum „ fidem reſpexit Deus, illisque ignovit, & filios & hæredes ſuos „ fecit, ita & nobis faciet. Hoc fine proponitur à Paulo ex- „ emplum Abrahami Rom. IV. & aliorum multorum, Hebr. „ XI. ſalutem verò ſolummodo per Chriſtum unicum Mediato- „ rem adipiſcimur. Hoc omnia confirmant miracula; Quæ eò „ non tendunt, ficta ſunt aut fallacia. *Secundò* etiam morum „ exemplum ex Sanctis capiendum eſt, ad normam tamen vitæ „ Chriſti, itaque Paulus 1 Cor. IV. 16. jubet, ut imitatores

„ ejus

„ ejus simus, ut ipse Christi. Ex vita itaque sanctorum patientiam in ferenda cruce Christi, obedientiam, charitaem, misericordiam, in quibus Christum imitati sunt sancti, discimus, & ipsi nihil aliud à nobis desiderant, quam ut idem præstemus. Imputatur nobis hæresis, ratione ciborum; sed percipite fundamentum nostrum: Christus omnes cibos nobis moderatos ac sobrios facit (*Christus macht uns alle speise zu fasten-speise*) dum Luc. XXI. vetat gravari corda nostra crapulis & ebrietate: Paulus sobrietatem exigit, hoc itaque est Christianum jejunium, si moderato cibo & potu utamur, & semper sobrii simus: repletio omnis, qua cor gravatur, etsi piscibus aut vilioribus fiat cibis, Christi præcepto repugnat. Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Esca non commendat nos Deo. Regnum Dei non est esca & potus: Ex piscium & panis esu aut abstinentia non fiunt Christiani. Prohibitiones cibi Paulus 1 Tim. IV. tribuit falsis doctoribus. Eos itaque vitamus, neque scandalum infirmorum amplius metuimus, cum jam septem aut octo annis sufficienter informati sint omnes, quid liceat, aut non liceat. „ Hæc cum coram frequenti & splendido auditorio, in domo quæ foro adjacebat aperta locutus, magnaque cum attentione & silentio auditus esset, surrexit Monachus, mitisque jam factus, mutato sermone Myconium allocutus est: *Chare Friderice, profecto libenter hæc audivi, nec ullo modo reprehendere possumus; placent, & recta sunt omnia, & veritatis habent fundamentum; si hæc prædicas, veram Christianorum prædicas fidem.* Ad hæc Anaricus, ad monachum se vertens, dixit: *Sed tu, bone vir! hic os tuum ipse verberas*, quærentique monacho: *cur ita Domine?* respondit: „ Ideo, quia ante dicebas, hunc Fridericum esse hæreticum, & totam ejus doctrinam esse hæreticam & diabolicam, nunc autem fateris, Christianam esse & sinceram. „ Corbachius tunc ad se excusandum protulit: „ se audivisse, ac si non rectè doceret Myconius, & Matrem Domini ac Sanctos conviciaretur, alia verò nunc percepisse, iisque lætari & quocunque venerit, asserturum, injuriam illi factam esse. Peto tamen, pergit, ne mihi ignominiam inferatis, aut victum me esse jactetis, utque hunc actum non pro

„ dispu-

„ disputatione, sed tantùm pro colloquio habeatis, judex enim „ nullus adfuit. „ Tunc Myconius omnem contumeliam sibi illatam oblivioni tradens, monachum alloquitur; „ chare frater! tu „ modo veritatem, & quæ justa & recta sunt, semper doceas, „ Christus te ab omni ignominia custodiet, nos neminem conviciabimur. „ Ad quæ monachus: bene! ait. Conversus tunc ad auditores Myconius, testes eos advocavit, quomodo monachus veritatem agnoverit, & ex Gal. I. 8. anathema dixit omni, qui aliter doceret. Monachus verò, cum & hæc adprobasset, porrigens Myconio, Principi & Anarico dextram, discessit; (a) Tametsi is ad stercora prisca redeundo, deinceps, se victorem fuisse, fingere præter rei veritatem fuerit ausus.

§. LXXVI. In extrema Saxoniæ, boream (b) versus, provincia, Albi & Eydoro fl. & Balthico ac Britannico mari intercepta, *Christianus* HOLSATIÆ dux, qui Patre Friderico Daniam gubernante, Ducatum patrium administrabat, primam Ecclesiarum inspectionem & abusuum Pontificiorum emendationem publicam suscipit: commendata rerum Ecclesiasticarum & visitationis cura præcipua *Eberardo Widensejo* Theologiæ Doctori, quem Magdeburgo princeps evocârat: & *Harmanno Tastio*, Pastori Flensburgensi, quibus ex Nobilitate *Joannes Rantzovius*, aulæ magister, *Joannes Reventlou*, & alii adjungebantur.

Eodem tempore in SCANIA etiam, Anconæ & sparsim alibi in regno Daniæ, puræ Evangelii doctrinæ semina spargi cœperunt.

Sunt verò etiam MARBURGENSIS Academiæ fundamenta prima hoc anno per Philippum Hassiæ Landgravium jacta. Cum

 enim

(a) Adservantur hujus Disputationis Acta in Bibliotheca Gothana, vid. CYPRIAN. Catal. MSS. Bibl. Gothanæ p. 113. Uti ipsa hæc disputatio prelo subjecta, paulò post in publicum prodiit, atque altera vice A. 1585. 8. est edita, unà cum duobus Myconii tractatibus, de consolatione ægrotorum, &, de obsessis. vid. SECKEND. Supplement ad Indicem I. Historicum n. LV. & *Seckendorf.* German. pag. 822.

(b) CHYTRÆUS in Saxon. Lib. XII. fol. 303. & SCULTET. Annal. dec. II. p. 91. conf. Christiani Kortholti Junioris Oratio de emendatis Sacris in Cimbria, quæ cumprimis spectat ad Ann. 1527.

enim (a) ſuperiori anno eccleſiarum Emendationem inſtituiſſet, Scholam quoque adjungendam eſſe judicavit, quæ, (uti habet fundationis à Sereniſſ. Principe factæ diploma) ſeminarium eſſet eccleſiæ, in quo Lux veræ & ſalutaris Evangelii doctrinæ, deterſis Pontificiorum aliarumque ſectarum tenebris ac corruptelis, clara & illuſtris ad poſteros conſervata propagaretur, & aliæ bonæ artes, utiles tùm ad explicandam cœleſtem doctrinam, tùm ad omnem reliquam vitæ gubernationem traderentur. LAMBERTUS *Avenionenſis* annis gravis in nova hac Academia non diu tamen Theologiam profeſſus A. 1530. deceſſit. Cæteri Profeſſores à CHYTRÆO (b) nominantur, quorum notiſſimi ſunt, *Erhardus Snepſius* (c), & *Gerhardus Noviomagus* (d) Theologi, *Euricius Cordus* (e) & poſtea *Eobanus Heſſus* (f), ille Simeshuſæ, hic Francobergæ in Haſſia natus, *Hermannus* item *Buſchius* (g) Nobilis Weſtphalus, Poëtæ & Oratores.

Johan-

(a) CHYTRÆUS in Saxon. L. XII. fol. 298.
(b) CHYTRÆ. l. c.
(c) De quo Seckendorf. Hiſt. Luth. L. I. §. CXXXIX. addit I. f. 242.
(d) De *Gerhardo Geldenhaurio* Noviomago conf. GESNER. in Bibl. univerſ. p. 274. itemque Bibl. Brem. VI. 169. ubi ejus vita à *Th.* HASÆO conſcripta legitur.
(e) De *Euricio Cordo* v. PANTAL. Proſopogr. T. III. fol. 166. it. ADAMI Vitæ Medicorum p. 10, 11. qui &, quam is poſt ſeptennium Marpurgo, ubi invidia premebatur, Bremam invitatus abierit, refert, quod ipſe CORDUS L. XII. Epigramm. his profitetur verbis:

Excepit placido me pia Brema ſinu.
Quæ non vile ſupra mihi pacta ſalaria donum
Gratuitæque dedit commoda tecta domus.
Et quo non ego me dignor, veneratur honore,
Inter primates dans reſidere ſuos.

(f) De *Eob. Heſſo* ſingularis extat *Joach.* CAMERARII libellus Lipſ. 1696. 8. denuò impreſſus. Is autem ſerius Marpurgum acceſſit, atque, uti videtur, poſt Euricii Cordi diſceſſum, vid. CAMERAR. l. c. pag. 53.
(g) De *Herm. Buſchio* extat Relatio Hiſtorica *Herm.* HAMELMANNI, itemque *J.* BURCKHARDI commentatio ad H. Buſchii Vallum Humanitatis.

Johannes autem Elector Saxoniæ hoc anno in ſuis provinciis præcipuam ſanè, quam potuit, curam Eccleſiis, in quibus multa inordinate & perperam (a) quantum ad adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, fiebant, adhibuiſſe jure cenſendus eſt, dum Viſitandi Eccleſias ſingulas negotium dabat ex nobilitate quibusdam primariis viris ex ordine politico & Theologis quibusdam, qui diſpertitis operis illud in ſe ſuſcipiebant, ubi *Luthero* (b) per illas regiones, quæ Witeberga propius aberant, *Melanchtoni* per Thuringiæ tractum, *aliis* alibi has partes obire contigit; Finis autem huic labori anno ſeq. demum eſt impoſitus: Neque autem breviter dici poteſt (c), quantum boni illa inſpectionis opera, diligentiaque effectum fuerit, cum & peccata aliquot annorum corrigerentur, & fulcirentur ruinæ in multis locis labefactatarum Eccleſiarum, & proſpiceretur in poſterum incolumitati illarum. Complexus tunc eſt *Phil.* MELANCHTHON doctrinæ Summam perſpicua brevitate, & compendio memorabili, ut certò ſcirent docentes in Eccleſiis regionum illarum, quid ſequi deberent, nec diverſa & diſſentanea traderentur. Qui libellus (d) maximè & utilis per ſe & pro tempore neceſſarius, non caruit obtrectatoribus variis, quorum aliqui requirerent nervos,

(a) Verba CAMERARII in Vita Melanchth. pag. 109.

(b) vid. SECKENDORF. Hiſt. Luth. L. II. §. XXXVI. p. 101. qui ſpeciatim & nomina viſitatorum enumerat, & loca viſitationi ipſorum aſſignata recenſet.

(c) Verba CAMERARII in Vita Melanchth. l. c. p. 109.

(d) Eſt equidem juxta libelli illius tenorem tum A. 1527. & 1528. inſtituta Viſitatio, addito ſingulari mandato ſive inſtructione viſitatorum, cujus breve argumentum ex Archivo Vinarienſi refert SECKENDORFIUS L. II. §. XXXVI. p. 100, 101. Sed ita tamen, ut deinceps idem ille libellus viſitatorius ad Lutherum, uti, ſi quæ corrigenda arbitraretur, corrigeret, fuerit miſſus, priusquam excuderetur: Fuit enim A. 1528. demum excuſus quoque ſub tit. *Unterricht der Viſitatoren an die Pfarrer im Churfurſtenthum Sachſen*, cum præloquio Lutheri, qui inprimis articulum *de Sacramento Cœnæ* immutaſſe multis modis perhibetur. vid. Seckendorf. l. c. fol. 104, 105. addit. II. n. (1.) qui id quoque fol. 103. obſervat, quam hujus libelli, renovata & emendata ab ipſo Luthero editio prodierit A. 1538. ſub titulo: *Das viſitation-Büchlein*, quando nonnulla, quæ prius adhuc propter infirmos uſu veniebant, fuerunt omiſſa:

& vim contentionum, alii dicerent, prodi causam, rursumque libertatem eripi & adduci in servitutem homines. Nam auctore & monitore Philippo aliquid tunc de disciplina & nonnihil de vita dissoluta constitutum, & eo libello cum fidelissimis præceptionibus & salutari doctrina (a) perscriptum fuerat. Ipse saltem Philippus ad hanc ipsam religionis & cultus à se compositam formulam, velut ad explicatam & salutarem doctrinæ utilis & necessariæ formam, in tanta primarum disputationum & opinionum varietate & confusione, se postea plus una vice (b) retulit; eundemque hunc libellum tractatuum à se compositorum optimum reputavit: Cæterùm notari debet, quod, cum placido liber is conscriptus esset stylo, magisque ad eas, quibus Evangelica Doctrina tunc proscindebatur, criminationes, ut iis remedium daretur, respiceret; abstineret autem ab invectivis in corruptelas Ecclesiæ, multoque adhuc magis in Pontificem, neque etiam Lutheri nominetenus mentionem injiceret, &c. non defuerint adversarii, qui & Melanchthonem defectionis & Lutherum ipsum doctrinæ mutationis arguerent: Certè erant, qui gloriabantur (c) Lutherum nescio quot capita doctrinæ revocasse, atque ipsum Melanchthonem parùm abesse à fide, quam dicebant, catholica, ad quam facili negotio reduci posse credebatur, uti revera ad plenam ab Evangelio defectionem se propter eundem sollicitatum esse Melanchthon ipse scribit: (d), Id saltem constat, *Johan-*

(a) Ill. SECKENDORFFIUS egregio instituto, compendium ex hoc libello nobis suppeditavit rerum primariarum, fol. 103--106.

(b) vid. CHYTRÆ. Saxon. Lib. XI. fol. 291, 292.

(c) Sprevit hæc Lutherus, uti ex ejus Epistolis ad Spalatinum Epist. T. II. p. 345. b. & 351. a. satis liquet, ubi inter alia: *Si de his statutis glorientur adversarii, misera est eorum gloriatio nec durabilis.*

(d) MELANCHT. in Ep. ad Camerar. Epistolar. Lib. IV. fol. 669. edit. Londin. *Faber ex Bohemia ad me scripsit, hortaturque, ut deficiam à causa, habiturum me defectionis præmium conditionem aliquam apud* Ferdinandum *Regem. Et interpretatur me labascere, quia in libello Inspectionis Ecclesiarum fuerim* ἐπιεικέστερος *(æquior); in quo tu vides nihil aliud me scripsisse, quam quod passim tradidit Lutherus. Et tamen quia sine asperitate verborum scripsi, judicant isti, scilicet homines acuti, me dissentire à Luthero.*

hannem Cochlæum in narratione de Visitatione Saxonica, Philippo affingere subdolam moderationem & ipsi Luthero (a) mutationem dogmatum, quam multi ex Catholicis, uti ait, editis libris ostenderint; sed invita prorsus veritate & posthabita omni modestia.

§. LXXVII. Hoc ipso anno Fridericus SILESIÆ Dux, Princeps *Lignicensis*, Reformationis Ecclesiarum suarum Apologiam edidit, quæ in appendice Germanica Annalium Silesiæ Curæi legitur. Idem Confessionem (b) Theologorum suorum de Eucharistia publicat, cum fide Helvetiorum per omnia fere congruentem, quæ Tiguri recusa est, dolente, ut ex Confessione ejus Magna, quam Anno sequenti 1528. edidit videri potest, Luthero. Scholam quoque illustrem LIGNITII aperit, ad quam Viros doctissimos ex Academiis vicinis vocat.

Sed & MAGDEBURGI (c), pro ea, qua tunc urbs illa potiebatur, libertate, strenuè procedebat Doctrina Evangelica, urgente Civitate & connivente Archiepiscopo Alberto Moguntino, qui tum quam pacis publicæ studiosus esset, documentum dedisse legitur; Cum enim Cæsar Magdeburgenses hoc anno 1527. ob mutatam religionem proscripsisset, ipse Archiepiscopus has literas dicitur suppressisse, tanta diligentia, ut ne γρυ quidem de isto fulmine tum emanarit (d) in vulgus.

HALIS quoque Saxonum, quanquam in eam urbem ordinaria potestas esset Archiepiscopo, is tamen erat civium numerus (e)

 & ea

(a) vid. SECKENDORF. L. II. §. XXXVII. fol. 108. qui & Erasmum in ea fuisse hæresi, ostendit, ac si Lutherus palinodiam caneret, cum tamen, uti rectè Vir Illustris notat, ne unicus quidem articulus in thesi sua mutatus, in Visitatione illa demonstrari possit, neque ad dogmata ipsa pertineat, quod alia methodo alioque stylo ad instruendos pastores plebanos, alia in refutandis adversariis Lutherus uteretur.

(b) SCULTETUS Annal. dec. II. p. 95. ex Chronologia Cranzhemii.

(c) SECKENDORF. L. II. §. XXXI. p. 83.

(d) vid. P. LENTZII Histor. Archiep. Magdeburg. p. 147. ubi & V. D. S. Waltherus in additamentis refert, quam illud diploma cum A. 1727. forte in manus suas pervenisset, is ipse illud inseruerit Parti I. Singularium Magdeburgensium à se editorum p. 14.

(e) Ita SECKENDORF. loquitur l. c. p. 83.

& ea ob vicinam Saxoniam fiducia, ut concionatoribus Evangelicis planè carere nollent; Saltem quod jam A. 1523. ibidem *Nicolaus Demuth* Præpositus cœnobii novi operis (***zum neuen werk***) unà cum duobus aliis Pastoribus puriorem annunciaverit doctrinam, constat (a), quanquam is se, quod uxorem duxisset monacham, Torgaviam recipere debuerit; Inter eos verò, qui hoc Anno Evangelium ibi annunciabant, erat *M. Georgius* WINKLER, *Bisschofs werda-Misnicus*, qui & sacram Cœnam sub utraque distribuere ausus erat. Hunc Capitupitulares Moguntini (b) sive Canonici, *Aschaffenburgum*, ubi tum congregati erant, evocarunt, ita tamen, ut auditum suæque fidei rationem reddentem in pace dimitterent; Enimverò, is, cum re bene gesta ad suos redire vellet, ac certo quodam ab ipsis Canonicis ipsi dato, stipatus esset comite, qui tamen à via eum magis abducere, quam in via comitari, per insidias, ipsi à Canonicis (num verò ab aliis dubium,) structas, in sylva non nisi duobus ab Aschaffenburgo milliaribus distante occisus fuit, quam rem LUTHERUS edito singulari ad Halenses libello consolatorio (c) æternitati consecravit, in quo inter alia, *Mundum*, ait, *cauponam esse Satanæ* (d) *ejus insignia homicidium & mendacium* (Joh. VIII.) *ejus opus esse tot tragicos casus*, *maximè verò bella inter reges*, (quæ tempore illo gerebantur) *Qui igitur verbum Christi prædicant*, *à diabolo pro turbatoribus illius cauponæ suæ haberi & infestari.*

In Suevia apud ULMENSES (e), saltem in illorum ditione Pastor

(a) vid. FRIK. in Seckendorf. Germ. p. 2039. conf. RAMBAC. in præfat. ad libellum consolatorium ad Halenses directum Germ. editum 1736. 8. §. 3. p. 4.

(b) Atque adeo non Archiepiscopus ipse, quod Ill. SECKENDORFIUS l. c. fol. 83. tradit.

(c) vid. LUTH. Op. Altenb. T. III. fol. 741. sq. pronti eundem ante aliquot annos separatim edi curavit Cl. RAMBACHIUS inter reliqua minora Lutheri scripta idiomate Germanico exhibita.

(d) *Eine herberge*, *da der wirth ein schalks-wirth ist*, *und sein haus hat das mahlzeichen*, *oder schild über der thür*, *und heist*, *zum mord und zur lügen.* &c.

(e) Conf. §. XXXVII. ad A. 1523. pag. 77.

Paſtor Leipenſis (*Hans Jerob*) jam A. 1524. Evangelium docere atque Sacram Cœnam ſub utraque celebrare auſus erat, magno ad eam ex Urbe facto concurſu (a). Auſus etiam eſt Paſtor Xenodochii *Joh. Negelin* Miſſas intermittere, & eo nomine in cenſuram vocatus, libello ſupplici, conſcientiæ ſuæ, verbo Dei apertè conſtrictæ, rationem haberi petiit, à qua animæ ſuæ ſalus penderet, eaque ſubmiſſione decretum à Senatu obtinuit, ut à celebranda Miſſa liber eſſet, attamen in ſua ſtatione conſervaretur (b). Inſtantibus autem indeſinenter civibus, vocatus fuit eodem anno 1524. *Conradus* SOMIUS, Ulmenſium deinceps dictus Evangeliſta (c), qui, quod ſtrenuè prædicaverit Evangelium, idque adver-

(a) SECKENDORF. L. I. §. CXXXIX. p. 242. b.

(b) SECKENDORF. ibid. & FRICK: in Seckend. Germ. p. 658.

(c) De hoc *Conrado Somio*, ſive *Samio*, cum ejus, Viri tam præclari, quo fato neſcimus, obliterata fermè ſit memoria, pauca ſunt monenda: Erat is patria Wirtenburgicus, natus in nobili ſupra Ulmam ad Danubium vico, dicto *Roten-acker*, atque paſtor primo Brackenheimenſis (eſt autem *Brackenheim* ſive *Brackenach* Wurtenburgici Ducatus) uti ad eum Paſtorem tum Brackenheimenſem Lutheri extat Epiſtola Conſolatoria d. 1. Octobr. 1520. data, qua eum, ne ſtationem relinquat, hortatur & corroborat. Interea is Brackenheima ob doctrinam Evangelii à Pro-Rege Ferdinandi pulſus eſt, atque A. 1524. ad *Ulmenſes* vocatus, primò in æde Franciſcanorum, dein & in templo maximo, quod vulgo Munſter nominant, conciones habuit, ita tamen ut Pontificii in eodem tum docerent templo: Præfuit is verò Eccleſiæ *Ulmenſi* per annos novem, illique non ſolum ſalutaria ſuppeditavit conſilia, ſed & vicinis eccleſiis non ſemel proficuus fuit, ut Memmingenſibus is A. 1525. egregia ſubminiſtravit ad Reformationis negotium ſuppeditantia ſcita, doctiſſimo SCHELHORNIO in Hiſtor. Reform. Memmengenſis p. 76. ſq. laudata. Eſt verò ille A. 1533. fato ſuo functus. *Abr.* SCULTETUS rectè notavit, eum Zwinglii ſententiæ fuiſſe addictum, quod equidem ſed nullo jure negare ſuſtinet FISCHLINUS in Memoriis Theologorum Wirtenberg. P. I. p. 8. & in ſupplem. p. 6, 7. ipſumque LOESCHERUM in Hiſtoria motuum ſibi adſtipulantem adducit: Eſt verò frigidum illud, quod dicunt, Lutherum A. 1520. epiſtolam dediſſe ad ipſum conſolatoriam, quaſi exinde poſſit colligi, (id quod quatuor demum annis pòſt locum habere poterat,) eum non Zwinglio, ſed Luthero magis adhæſiſſe; Sed & quis non videt quam perpluat illud, quod deducitur ex vocatione *Martini Frechti* opera Somii ad Ulmenſes, argumentum, ſiquidem *Frechtus*

versus quoscunque puritati ejus adversos defenderit, ex quam variis Zwinglii ad eum colligitur Epistolis, quæ in volumine Epistolarum Zwinglii & Oecolampadii leguntur; Uti sic inter alia de molestiis (a), quæ apud Ulmenses suscitabantur per Anabaptistas: „ Dolet mihi fideles à Catabaptistis esse seductos, sed bono „ animo esto: redibunt, si rectè tractentur. Nam apud nos mul- „ ti, cum eos audissent, inter initia nonnihil patiebantur: nam „ & plurimos in acerbissimum odium nostri traxerant mendaciis, „ quiritationibus, & quæ ante omnes eis est propitia, hypocrisi. „ Nos autem cum veritatis scuto tecti, omnes ipsorum ictus „ constanter aut exciperemus aut eliderennus, tandem apparuit, „ ubinam eos calceus urgeret. Errones sunt: mulierculas, imo „ viros quoque circumveniunt, ut, quicquid abstrusissimè repo- „ suerint, depromant. Hinc illis nihil deest, qui nusquàm diu „ esse possunt. Nusquam enim tuti sunt. Uberrimus ergo hic „ quæstus est, grandiloquentia victum parare. Suspenduntur „ simplices eorum, haud aliter quam Phæaces ad vafri Ulyssis „ nar-

tus ipse non tam Luthero in illa controversia sacramentaria quam potius Zwinglio adhæserit, unde OECOLAMP. ad Grynæum in Ep. Zwingl. L. IV. fol. 180. b. *Salutabis ex me M. Frechtum, cui plurimùm gratulor, quod Ulmæ Christum piè daturus est* &c. &c. Illud verò prorsus est frivolum, quod dicitur, „ quodsi certò fuisset compertum, eum fuisse „ Zwinglianum, tum C. Dietericus eum non adeo impensè laudare po- „ tuisset etsim. „ Neque verò quisquam opportunius, quam ZWINGLIUS ipse in Epist. L. IV. p. 171. b. hanc causam definiet: Is ita ad Somium A. 1526. d. 2. Julii. *Unum hoc scias, mihi fratribusque cunctis probari libellum istum ac modum, quo tu* de eucharistia *apud ecclesiam tuam tractavisti.* Et A. 1531. d. 16. Augusti l. c. p. 172. b. *scio & hoc te non latere, In cœna Domini, non nisi* sacramento corporis & sanguinis Christi *homines cibari, qui jam dudum spiritualiter cibati ac saturi fuerunt* &c. cf. ZWINGL. ad Somium d. 12. Febr. 1527. fol. 188. b. & denique OECOL. ad eund. d. 10. Febr. ejusd. anni p. 205. b.

(a) vid. Tom. II. Epist. Zwingl. & Oecolamp. fol. 80. b. apud SCULTET. Decad. II. pag. 92. Cæterùm memorabilis est in hac Epist. locus de Ulmensis civitatis inter Suevos nobilitate: „ Nec est, ut Hel- „ vetiorum civitatem Suevicæ comparetis. Apud nos enim omnia fuerunt „ corruptissima. Apud vos autem multæ sunt urbes, è quorum numero „ tua est, quæ adhuc priscos Sabinos referant. „

„ narrationem oscitarunt. Efficient, ut aliquandiu rem Christianam remorentur: at nihil solidi ad maturitatem perducent. „ Perditi enim & nequissimi quique ad ipsos desciscunt, & ubi „ negotium non vident succedere, deficiunt à secta, & deinde „ universum Christi negotium contendunt fabulam esse. „

§. LXXVIII. In urbe NORDLINGENSI *Theobaldus Billicanus* itidem à Zwinglii & Oecolampadii partibus esse incepit, atque coram Petro Gynoræo, homine & pio & docto fassus est, „ se contra sententiam Helvetiorum nihil posse „ (a). In oppido BISCHOFSHEIM, quod in Greichgoja situm, nobilissimæ Helmstediorum familiæ (b) paret, præconem Evangelii hoc tempore agebat *Nicolaus Renneisen* Benshemensis Palatinus. Is epistolam ad Hebræos ad populum interpretatus, Missaticum sacrificium solidis Scripturæ rationibus confutat. Ad articulos etiam falsò sibi impositos scripto respondens, totum idolomaniæ & superstitionum Pontificiarum chaos validissimis argumentis disjecit. Germanicè omnia edita sunt à *Theologis Heidelbergensibus*, multis post obitum *Nicolai* annis, videlicet an. 1563. idque ideo, „ ut intelligerent nostri homines, quæ nunc Dei beneficio in „ Ecclesiis Archi-Palatinis sonat doctrina (c), eam jam tum sub „ initium renascentis Evangelii in his terris sub nobilissimarum „ familiarum patrocinio fuisse doctam. „

De LUTHERI scriptis ad Annum 1527. quæ monenda sunt, retulit SECKENDORFIUS (d); Circumferebatur illo tempore

 liber

(a) Confitetur id SECKENDORF. in Supplem. ad Indic. I. Historicam, nec LOESCHERUS in Hist. Mot. T. II. p. 146. id cæteroquin fuit, quanquam dubitanter admodum ea de re loquatur. ipse *Billicanus*, cum *Brentio* primus qui apud Heidelbergenses Evangelicam professus est doctrinam. vid. STRUV. Hist. Reform. Palatin. p. 18. & ALTING. de Ecclesiis Palatinis p. 25, 26. edit. ult.

(b) Notari debet, eam Palatinatus inferioris partem quæ ad Nicarum sita est, *Greichgojam* vocari, eamque mixtæ esse jurisdictionis, ut quædam loca Nobilibus, alia verò ipsi pareant Electori.

(c) Ita SCULTET. Annal. Dec. II. p. 102, 103. qui & Nicolai hujus de S. Cœna memorabilia excerpit verba, apud ipsum legenda. conf. STRUV. lib. cit. p. 22.

(d) SECKENDORF. L. II. §. XXXIII. fol. 88, 89. sq.

liber prædictionum cujusdam *Joh. Liechtenbergii*, Astronomi superioris seculi, in quibus inter alia multa, magna Cleri afflictio & Ecclesiæ mutatio prænunciata esse videbatur. Libro isti, Germanicè cum figuris monstrosis hoc anno denuò publicato Lutherus præfationem (a) præfixit. Putabant enim Pontificii, prædictionem illam planè jam impletam esse nupero bello rustico, in quo multum passi fuerant Clerici, ut deinceps sibi omnia polliceri bona possent &c. Sed Lutherus, etsi illis se non invidere dicat, quam sperabant, felicitatem, si modo doctrinam & vitam emendent, putat tamen, si id negligant, eos sperare nil posse, fore potius, ut quæ ipse iis ominetur, eventu magis probentur, quam Lichtenbergii prognostica. Cæterùm in hac Præfatione haud spernenda monet de vanitate Astrologiæ, &, qui fiat, ut Deus mendacibus illis quædam veluti inspiret, quæ vera sint, & inter plurima falsa eventu comprobentur; itemque, ut Deus per angelos mirabilia, eoque modo, quem nos non capimus agat: portenta deinde, quæ in cœlo sive aëre fiunt, quò Cometas, itemque Eclipses refert, Principibus potissimum metuenda esse dicit, ut signis illis excitari ad corrigenda vitia se sinant, cum rectè monentes non ferant. *Nostra*, ait, *ætate multa vidimus ejusmodi signa, parelios, irides insuetas & alia: secuti sunt Regum Galliæ, Hungariæ, Daniæ casus, de quibus nemo cogitabat.*

§. LXXIX. Priusquàm verò nunc ad eam, quæ Anno sequenti vicesimo octavo promota est, Ecclesiarum Reformationem accedamus, necesse est, ut pauca de intestinis illis discordiis referamus, quæ hoc tempore in Germania gliscebant, quæque quanquam in nervum non eruperint, silentio tamen præteriri non possunt. Hassiæ Landgravio PHILIPPO Magnanimo, de inito inter Principes Imperii Pontificiorum partibus addictos, *Ferdinandum*, *Joachimum* Brandenburgicum, *Georgium* Saxonem, *Wilhelmum* & *Ludovicum* Bavaros, *Albertum* Moguntinum, *Mattheum* Salisburgensem, *Wigandum* Bambergensem, *Conradum* Wirtzburgensem, &c. fœdere, ad extirpandos delendosque Lutheranos indicium fecerat *Otto Packius*, gente è Misnia nobilis, Legum Doctor & Georgii Ducis Saxoniæ Consiliarius & aliquando vice-Cancellarius, homo alias versutus ac prodigus. Huic in-

(a) LUTHER. Oper. Germ. Tom. III. fol. 406. seqq. edit. Jenens.

indicio fidem quandam, missa fœderis, quod *Vratislaviæ* dicebatur initum d. XII. Maji ejus anni, copia (a), conciliabat Packius, majorem adhuc se conciliaturum ipsius authentici exemplaris procuratione pro 4000. florenorum summa pollicitus; Cum interea ad bellum se jam pararet Landgravius, & Electorem Saxonem, cujus pariter causa agebatur, in societatem hujus belli defensivi pertrahere allaboraret, qui se 26000. militum manum conscripturos esse conveniebant inter se. Accidebat autem, ut inter hunc belli apparatum, Principes illi Pontificii (b), quos fœderis illius initi insimulaverat Packius, unus post alterum se ab hac suspicione tum apud Landgravium & Saxonem Electorem, tum etiam apud constitutum adhuc Imperii Regimentum, editis publicis Scriptis sic satis purgarent, ut nec ipsi Packio illud, quod ad uberiorem rei probationem afferre receperat, integrum esset. Hæc dum ita evenirent, Richardusque Trevirensis, atque Ludovicus Palatinus Septem-viri pro pace intercederent, tum demum ab armis discessum, anguisque in herba adeo suffocatus est (c): Sunt atque fuerunt, qui non omnino nihil hujus fœderis fuisse, vel conceptum illud quidem, non autem in effectum deductum (d) neque planè decretum fuisse putarunt. Interea Lutherus ad Wenceslaum Lincum Ecclesiasten Norimbergensem (e) de hoc Pontificiorum adversus Evangelicos fœdere, epistolam misit violenter scriptam, in qua Georgii Saxoniæ Ducis *excusationem frigidigissimam vocat*, & tantùm non minatur Pontificiis, „ si deinceps „ aliquid moliantur, se Deum oraturum, deinde Principes monitu-

 „ rum,

(a) Formulam fœderis integram habet HORTLEDER Vol. I. L. II. c. I. fol. 776. & *Laur.* FRISIUS in Chron. Wurzburg. p. 912.

(b) vid. HAHN. Hist. emend. Sacror. p. 68. ex quo breviter hujus causæ summam excerpsimus. conf. Seckend. L. II. §. XXXV. fol. 94. 95.

(c) v. SLEIDAN. Hist. Lib. VI. fol. 97. a. qui addit, ea lege tum discessum fuisse ab armis, ut in belli sumtum, aureorum millia centum dependerent Episcopi Landgravio, Moguntinus quidem XL., Wirciburgicus totidem, Bambergicus vicena.

(d) SPALATINUS in Annalib. p. 102. sq. rem certam esse profitetur, SLEIDANUS l. c. p. 97. b. in medio relinquit.

(e) v. LUTH. Ep. Tom. II. p. 387.

„ rum, ut absque misericordia perdantur: quandoquidem sangui-„ sugæ insatiabiles quiescere nolint.„ Epistola hæc ad Georgium (a) Saxoniæ Ducem perfertur. Is ad Electorem Saxoniæ Johannem exemplum mittit, quæstionem in Lutherum decerni postulat, literas valdè minaces addit. Lutherus Epistolæ suæ patrocinium planè Rhetoricum suscipit, libro, quem *de literis arcanis furto sublatis* adversus Georgium Saxoniæ Ducem (b) edidit. Ipse autem Packius non alium hujus à se excitatæ fabulæ tulit fructum, quam ut apud Landgravium primò carceri inclusus, post quidem ex illo liberaretur, ac per annos aliquot hinc inde oberraret, usque dum A. 1536. auctoritate Reginæ Mariæ iterum comprehensus, sive Mechliniæ, sive Antverpiæ, ibidem capitis pœnam lueret.

§. LXXX. Sed misso hoc tumultu, qui in graviora longe mala redundare potuisset, ante omnia notamus Visitationem Ecclesiasticam in terris Saxonicis superiori anno inchoatam, hoc non solùm fuisse continuatam, sed & publicato (c) visitationis decreto confirmatam & maxima ex parte absolutam fuisse; Dicitur autem illius visitationis maximoperè propter inscitiam docentium & improbitatem necessariæ, (*) effectus is quoque fuisse, ut Lutherus ad adornandum (d) *Catechismum utrumque*, qui etiam-num

(a) SCULTET. Annal. Dec. II. p. 178.

(b) De his omnibus MELANCHTHON ad Camerarium (vid. Melanchth. Epist. Lib. IV. n. 71. pag. 665. edit. Londin.) ita scribit: Deus corrigat ejusmodi σφαλμάτα nostra.

(c) SECKENDORF. l. II. §. XXXVI. f. 100. cf. quæ §. LXXVII. notavimus, pag. 187, 188.

(*) vid. Melancht. Ep. Lib. IV. Ep. 58. ubi de seipso. *Ego in molestissimis negotiis* (intelligit visitationem Ecclesiarum) *hoc tempore, & quidem nullo cum fructu, quantum video, versor. Adeò sunt omnia perturbata, partim inscitia docentium partim improbitate.*

(d) Reliqua Lutheri Scripta Anni 1528. recenset Ill. SECKENDORFIUS Lib. II. §. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. p. 108-120. non neglectis libris Polemicis, quos adversus Pontificios, Anabaptistas, & adversus ipsum Zwinglium & Oecolampadium stilo edidit non usquequaque ad moderationem composito. Unde de eo tum jam MELANCHTH. in Epist. Lib. IV. ep 65. p. 658. ita ad Erasmum: „ Quem (de Luthero „ loquitur) quidem virum ego meliorem esse Judico, quam qualis vide-„ tur facienti de eo Judicium ex illis violentis scriptionibus ipsius.

num in librorum Symbolicorum Ecclesiarum Lutheranarum censum veniunt, animum admoveret.

Cæterùm incidit in hunc annum 1528. Reformatio Ecclesiarum in Comitatu DIEPHOLDIANO Westphaliæ; Cum enim Fridericus Comes (a) duxisset Evam Comitissam natam de Regestein, quæ perceperat gustum Evangelii in Patria, ea fuit piis monitis hortatrix marito & Domino suo, ut curaret Evangelium in sua ditione propagari, & Germanicos Psalmos cantillari in Ecclesiis, tamen tali illustris fœminæ proposito vehementer restiterunt Capitulares, Canonici & Vicarii in Drepper (b); Sed cum pia matrona non desisteret & ad Comitem ipsum fama perferret, quendam virum doctum & lectorem in cœnobio Franciscanorum nomine *Patroculum Romelingum* Susatensem, magna cum libertate & mira facundia *Osnabrugæ* tradere Evangelium, & propterea in periculo versari, nec tamen mox ideo desistere cœptis, sed animosè pergere, statim Comes Fridericus mittit A. 1528. in vicinam Urbem *Osnabrugam* legatum, & curat Romelingium evocari ad se & audita ipsius concione eundem retinuit in ministerio, isque adeò abinde inter *Diepholdanos* non sine fructu per multos annos sacro functus est ministerio.

BRUNSVICENSIS Reip. (c) civibus perfectam doctrinæ & rituum Emendationem continuata precum vi petentibus Senatus tandem assensit, sicque universalis illa A. 1528. solennisque per totam civitatem introducta est doctrinæ, magistratu annuente, Reformatio, vocatis in consilium Jena *Winklero* & Witeberga *Bugenhagio*, qui partitis operis rem sunt aggressi, ita tamen ut in Bugenhagium difficillima rediret opera, novam, emendatamque Christianarum Ecclesiarum administrationem sub nomine *Ordinationis Ecclesiasticæ* conscribendi, quæ tum unanimi magistratus & civium consensu est introducta; Cautissimè verò ac circumspectissimè novas has constitutiones Ecclesiasticas, cerimonia-

(a) Ita HAMELMANNUS Oper. Historicor. p. 789, 790.

(b) Est is locus hodie dictus *Mariendrebber*, tum sedes capituli, ac etiamnum sepulcris Comitum nobilis.

(c) Conf. §. LVIII. p. 132.

niarum regulas, ac citra conscientiæ nodos adornasse (a) & literis consignasse dicitur Bugenhagius, ne denuò illarum abusu in veterem superstitionem degeneraret imprudens populus. Scripsit autem has dialecto sua vernacula Saxoniæ inferioris, cum populo huic se attemperaret, uti versionem Lutheri vernaculam in eandem transfudit dialectum: Præfecit tum singulis quoque templis de consilio Bugenhagii Senatus Doctores publicos, summa rerum cura M. Martino *Gorolitio* commendata, cui A. 1544. defuncto ordine successerunt *Nicolaus Medlerus*, D. *Joachimus Morlinus*, D. *Martinus Chemnitius*.

BREMÆ quoque hoc anno 1528. Evangelica doctrina perinsigne tum ornamentum, tum incrementum accepit. Præterquam enim quod cœnobia Catharinæ & Johannis tum fuerint occlusa, Monachisque mandatum, ut à cerimoniis Pontificiis abstinerent, clausum quoque fuit Wilhadi templum; Sed & Amplissimus Senatus scholam, seminarium pietatis, politiorum literarum & artium hoc anno aperuit, vocatis ad hunc ludum *Johanne Oldenburgio* optimarum artium Magistro, Rectore (b) *Nicolao Buscoducense* itidem Philosophiæ Magistro, quodam *Ibero*, *Petro Cantore*, *Johanne Sibkeloh* & *Luberto Meiero*, auditorium unum alterumque in cœnobio suo, ubi hodie secunda & tertia classes sunt, ultrò aperientibus monachis Dominicanis conventus S. Catharinæ. Magnifico urbis Senatu, cum ex ærario publico, tum ex reditibus Xenodochii S. Gertrudis (deserti jam à Pontificiis peregrinantibus) sumtus necessarios suppeditante, auctos tamen non parum Collegii Seniorum, aliorumque bonorum annua beneficentia. Quibus omnibus Curator & Scholarcha præfectus est *Luderus Hals*, civis primarius & locuples in ordinem Senatorium deinceps allectus, Vir integris annis quindecim de primitiis *Scholæ Bremensis* præclarè meritus.

HAMBURGI quomodo hactenus inter varios cum Pontificiis conflictus, Evangelium tamen fuerit promotum, brevibus nobis

(a) Vid. MOSHEM. Diss. in Jubileum Reform. Brunsvicensis, p. 11, 12, 13.

(b) Vid. *Gerb.* MEJERI Theologi Bremensis Oratio de Scholæ natalitiis, p. 19.

bis est exponendum. Primus (a), qui Pontificiæ doctrinæ errores hic detegere, animosque, quantum in ipso erat, ad instantem doctrinæ mutationem, quod jam in superioribus diximus, præparare ausus est, erat M. *Ordo Stemmelius*, qui Pastor ad D. Catharinæ, & simul Vicarius ad templum Cathedrale fuit. Prima hæc scintilla postea secutæ lucis Evangelii emicuit Hamburgi A. CIↃ IↃ XXI. vel CIↃ IↃ XXII. Tunc enim Stemmelius Pontificiorum erroribus publicè se opponere instituit. Huic paulo post, alii adjungebantur Evangelii præcones in ipsa urbe, inter quos *Stephanus Kempe*, qui A. 1523. Rostochio huc advenerat, & *Johannes Fritze*, itemque *Johannes Zegenhagen*, qui A. 1526. Magdeburgo vocatus erat. His autem omnibus cum Pontificiæ doctrinæ addicti se pro viribus opponerent, factum est ut post varia tandem certamina, Senatus omnes ordinis sacri viros in Curiam convocaret, & propositis quibusdam articulis, ab ipsis observandis, in quibus pura verbi divini prædicatio, & pacis studium potissimùm ipsis injungebatur, litibus finem imponere allaboraret. Huic Senatus mandato Pastores Evangelici morem gerebant, contranitentibus Pontificiis, inter quos præ ceteris *Nicolaus Bustorpius* Evangelicis multas cievisse molestias refertur. Hi interim, quum ob ejus errores & pertinaciam pro concione in eum invehenentur, Senatus A. 1527. denuò pastores ab utraque parte in Curia comparere jubet. Tandem tertia vice A. 1528. die Martis post misericordias Domini in Curiam convocantur, ut unusquisque doctrinæ suæ rationem redderet. Quum verò Pontificii nihil solidi ex verbo Dei pro defendendis suis erroribus afferre possent, habita inde, tum à Senatu, tum à selectis civibus, qui aderant, deliberatione, hi petierunt, „ ut, quoniam satis appareret, quòd „ septem Concionatores, aliique eorum socii, decreto Senatus A. „ 1526.

(a) Conf. §. XLVII. p. 107. & §. XXVII. p. 53. *Arn.* GREVIUS in Vita *Joh. Æpini* p. 14, 15, 16. qui se hæc breviter recensuisse testatur ex STAPHORSTII Hist. Eccles. Hamb. P. II. Vol. I. qui hæc fusius enarrat p. 1--148. conf. HAMELM. Hist. renati Evangel. p. 144. SECKEND. L. I. p. 244. sq. Qui auctores quæ scripserunt, potissimum ex *Stephani* KEMPENII libro, cui titulus, *Warhafftigen bericht, wo der Papen messe, Predige und andere Karcken-geprange allhier to Hamburg geandert &c.* hauserunt.

„ 1526. publicato non paruissent, secundùm legem illam cum iis „ ageretur. Contentos tamen fore, si duo, nempe *Rensburg* & „ *Vathaur*, urbe excederent, reliqui revocarent, quæ concionati „ essent, & à concionibus abstinerent, excepto D. *Mollero* & *Fabiano* quodam Lubecensi, qui modestius egissent. Verùm, quum res ad multitudinem civium, in platea exspectantium emanasset, severiorem illi animadversionem postularunt, ita, ut cum aliter tranquillari non possent, quinque ex Pontificiis Concionatoribus urbe illico excedere jussi sint, deducentibus eos primariis ex civibus, ne à plebe injuriam paterentur. D. *Mollerus* brevi post Rostochium concessit, ubi A. 1530. vitam cum morte commutavit. D. *Johannes* autem BUGENHAGIUS Wittenberga ab Hamburgensibus expetitus, A. 1528. die Dionysii, quæ IX. Octobris erat, advenit, sacra ibidem ordinaturus, cujus etiam *Ordinatio ecclesiastica* in Vigiliis Pentecostes à Senatu & Civibus recepta est, quo pro insigni beneficio A. 1529. Dominica Trinitatis, quæ erat dies XXIII. Maji publicæ laudes & gratiarum actiones in omnibus Hamburgensium templis Deo sunt exhibitæ.

Quicquid sit, Scholam tum quoque in Cœnobio S. Johannis erectam esse docemur (a): Et quanquam Collegii Hamburgensis præpositus & Decanus, postquam urbem deseruerant, graviter de mutatione illa in Judicio Cameræ conquererentur, præter mandatum tamen quoddam chartaceum nihil obtinuerunt. Monasteria tum quoque dimissis non sine viatico Monachis à Senatu sunt in gubernationem suscepta, & ærarium pauperum ad S. Mariam Magdalenam est institutum. Neque ita multò post *Johannes* ÆPINUS Vir plane egregius ad Hamburgensem Ecclesiam accessit.

De GOSLARIENSIS Ecclesiæ Reformatione (b) hoc anno ulterius promota hæc traduntur. Erat hactenus (c) in æde duntaxat

(a) Ex Chytræo & Hamelmanno apud Scultetum p. 152, 153.
(b) Conf. §. XXVI. p. 52, 53.
(c) vid. SCULTET. ex Hamelmanno p. 153, 154. & conf. *Jo. Mich.* HEINECCII Antiquit. Goslariens. Lib. VI. fol. 448. ubi simul quoque de Joh. *Amando* primo hujus Civitatis Superintendente quædam traduntur

taxat Jacobi Verbum Dei sincerè prædicatum & Sacramenta legitimè administrata. In hoc verò tempore delecti ex omni Civium numero quinquaginta Senatum de plena Ecclesiæ per omnes parochias reformatione admittenda interpellant. Qui cum Civium petitioni tandem annuisset, Magdeburgo accitus *Nicolaus* AMSDORFIUS, mensem integrum ibi docendo multos Christo lucrifecit: rationem in regimine Ecclesiastico observandam præscripsit, cum Wittenbergensi & Magdeburgica congruentem, & collegio Concionatorum universo *Joannem Amandum*, qui in Borussia Monachum egerat, præfecit. In ipso autem eodem tum collegio *Antonius Corvinus* Hannoveranus, dictus aliquando *Zithogallus*, erat, quippe qui itidem hoc jam anno dignus videbatur Amsdorfio, quem Goslariensi Ecclesiæ commendaret, ædique S. Stephani præficeret Pastorem (a). Huic accedebant, *Henricus Kniggius* & *Johannes Grauertus*, sed quos Amsdorfii Zelus (b) paulo post urbe excedere jussit, „ quòd „ Christi corpus cœlo receptum corporaliter in Sacramento Eucharistiæ adesse negarent, „ cum ceteroquin viri essent quantivis pretii. Sed & *Henricus Gefferdus* S. Gebhardi, *Henningus Fliedt*, *Johannes Schultze*, *Laurentius Hillen*, *Johannes Ebeling* (c) & *Henningus Block* inter primos ejus Ecclesiæ ministros recensentur.

Cc §. LXXXI.

tur non proletaria, ex quibus id colligas, eum fuisse Virum lingua promtum, auctoritate eximium, animo concitatissimum, doctrina mediocrem, à judicio verò pæne inopem fuisse, nisi forte nimis immite fuerit in his judicium *Heineccii*, Pastoris Lutherani, quod constat ipsum Amandum Zwinglii magis sententiæ favisse quam Lutheri in causa sacramentaria; vid. l. c. fol. 454. & MOSHEM. Diss. Histor. Ecclesiast. Vol. I. n. XII. p. 627, 628.

(a) v. Antiq. Goslar. pag. 450. Is inter reliqua, quæ edidit, scripta quoque à Gesnero recensentur in Bibliotheca universali, Amandum collegam singulari scripto defendit.

(b) v. Antiq. Goslar. p. 543. & 456. & MOSHEM. Diss. cit. quæ de hac Kniggii & Grauerti causa cumprimis agit. Cæterùm est error LOESCHERI in Supplem. ad Hist. motuum p. 21. quando Amandum cum Kniggio Goslaria ejectum dicit.

(c) Antiq. Goslar. l. c. p. 453.

§. LXXXI. Ecclesiæ NORICÆ (a), quæ Marchionum Brandenburgicorum sunt in Franconia, hoc anno quoque per institutam solennem Ecclesiarum Visitationem in egregio Reformationis opere sunt confirmatæ; Enimverò GEORGIUS Brandeburgicus, defuncto Fratre *Casimiro* A. 1528. à Provinciarum Noricarum Ordinibus instigatus conventum Ordinum *Onolsbaci* indixit, ubi inter alia, Ordinum Provinciæ desideria ipsi Principi inclyto & pientissimo fuerunt proposita (b), quibus petebant, „ ut Piissimus Princeps seriò curare velit prædicationem Verbi „ divini sive Evangelii ex Veteri & Novo Testamento, neque „ præterea quidquam aliud doceri in provincia permittat: „ Quibus petitis & annuit Princeps, & eo ipso magnam sibi creat apud Ferdinandum Regem, cui alias carissimus erat, invidiam, quam tamen prolixa ad illum scripta Epistola apologetica amoliri tum est conatus (c). Ut verò hæc piissimi Principis atque Ordinum Regiminis desideria tanto facilius tantoque melius adimpleri possent, Visitationem publicam esse instituendam Ecclesiarum utriusque Ducatus solennissimam decreverunt, eumque in finem, unà cum Proceribus Civitatis Noribergensis SWOBACI convenerunt, ubi ipsa illa hoc anno conscripta Visitatio fuit recepta, publicoque consensu approbata, quæ XXIII. complectitur articulos (d), qui non modum solummodò procedendi, sed

(a) conf. §. LIII. p. 121. sqq.
(b) vid. SECKEND. II. XLII. pag. 121. & *Frank. Reform. Acta* pag. 27. ubi originalia petitionis & decreti verba habentur.
(c) vid. SECKENDORF. l. c. qui breve nobis illarum literarum suppeditat argumentum p. 121.
(d) Indicavit ea, quæ ad horum articulorum, visitationem illam constituentium, notitiam pertinent, omnium primus Auctor Doctiss. *Actorum Ref. Franconicæ* l. c. p. 31. qui simul hujus *Visitationis* exemplar quoddam MSS. se nactum esse profitetur, quod quare inter reliqua Documenta prorsus eximia, non subjunxerit ipsi narrationi historicæ, certè non assequimur, nisi forte ipse articulus nonus *de Sacra Cœna* non fuerit conceptus ex hodiernorum Lutheranorum sententia; Id saltem certum est, quod in illo Consilio, quod A. 1524. *Sleupnerus*, *Osiander* & *Venatorius* Noribergenses Reformatores, Senatui suo exhibuerunt, uti §. LIII. pag. 121. à nobis relatum est, hunc in modum, ad mentem Zwinglii, sua exponant: „ *Darans*

ſed vel maximè veritates doctrinales concernunt, ipſamque fidei doctrinam nervosè expoſitam; atque iis potiſſimum conſentiunt, quæ jam, (quod ad §. LIII. p. 122. diximus,) A. 1524. Caſimiro Principi quoque erant exhibita, ſaltem ad ea corroboranda faciunt & illuſtranda; Eſt autem ſollicitè hæc Viſitatio, ſecus ac à Viris doctis factum eſt, diſtinguenda ab *articulis* aliis XVII. ita dictis *Swobacenſibus*, quos anno ſequenti 1529. à Luthero conſcriptos atque in conventu altero Swobaci inter Proteſtantes habito menſe ejus anni Octobri receptos novimus, quique ordinariò *Swobacenſium* vel *Torgavenſium*, (cum in oppido illo à Luthero atque Theologis Witebergenſibus Johanni Electori Saxoniæ pro fundamento Auguſtanæ Confeſſionis denuò exhiberentur,) imo etiam *Smalcaldenſium* nomine appellantur, & quos Aug. Confeſſionis à Phil. Melanchthone compoſitæ materiam conſtituere, rectè jam à quam multis Theologis (a) eſt obſervatum.

„ *Daraus man wol verſteet, das, wer zu Chriſto Kumpt, und an in glaubt,*
„ *der iſſet ſein fleiſch, und trinkt ſein plut geiſtlich, darvon aber ſpricht er*
„ *weyter, wer meinfleiſch iſſet, und mein blut trinkt, der bleibt in mir,*
„ *und ich in im, das iſt, wan man predigt, Chriſtus hab ſich für uns ge-*
„ *ben und ſein plut zur vergebung unſer ſund vergoſſen, und wirs glauben,*
„ *ſo iſt Chriſtus in uns, und wir in im. Das kan aber die menſchlich ſwacheit*
„ *nit wol begreiffen, ſonder wankt und zweyfelt daran, und gedenkt alſo,*
„ *das Chriſtus fur uns gelitten hab, iſt wol zu glauben, das ich aber auch*
„ *einer aus der zall ſey, und er in mir ſeyn ſoll, wann ich nur ſeinem*
„ *wort glaub, das kan ich nit wol begreiffen, da kommt dan Chriſtus un-*
„ *ſerer ſwachheit mit dem euſſerlichen zeichen zu hülff, und ſpricht: Das*
„ *iſt mein leib, der fur euch dargeben wirt, und das iſt mein plut, das*
„ *fur euch vergoſſen wirt, darumb ſolt irs eſſen und trinken, auff das ihr*
„ *wiſſet, das ich mit euch rede, ſo ich ſprich, es werd fur euch gegeben*
„ *und vergoſſen, glaubt ir das, ſo bin ich in euch und ihr in mir. Auf*
„ *das ihr aber das feſtiglich glauben mögt, ſo nempt hin und eſſet meinen*
„ *leib, nempt hin und trinkt mein blut, dann, als warlich die ſpeiſs und*
„ *das getrank, in des menſchen fleiſch und blut verwandelt, und nicht*
„ *mer von ihm geſcheiden wirt, als war wil Chriſtus in uns ſein, wann*
„ *wir ſeinem wort glauben ----- das Evangelion bringt Chriſtum in uns,*
„ *das heylig Sacrament des altars thuts auch, und geen alſo beide -- neben*
„ *eyn ander daher.* „ vid. Acta. Reform. Francon. in additam, D. 4.

(a) MUHL. in relat. de Confeſſ. Aug. §. 3. JANUS in Diſp. pec. de arti-

In Comitatu MONTISBELGARDENSI in Burgundiæ finibus, sed Germanici juris, sub Wurtenbergensi principe Evangelium liberè prædicari cœpit, quod verba *Johannis Baptistæ Piscatorii* (quo concionatore aulico utebatur Princeps) arguunt in Epistola data ad Jo. Oecolampadium, ubi fatetur: „ *Christum & verbum ejus Mompelgarti liberius, quam credi possit, annunciari* (a). „

ARGENTINENSIS Ecclesiæ ministri (b), inter alios doctrinæ Pontificiæ quos denudabant errores, „ Missam quoque docebant impiam esse & ad summam nominis divini contumeliam pertinere. Quapropter & abrogandam eandem & rectum usum cœnæ Domini restituendum esse. Nisi Scripturæ Sacræ testimoniis hæc demonstrent, nullam pœnam recusant. „ Quum autem Pontificii contrà docerent, exarsit contentio, quam Senatus, facta collatione sententiarum, & aliqua disputatione finiri volebat. Et quum hoc impetrari non posset, edicit pontificiis, „ quoniam alteros improbent, ac impia docere dicant, neque tamen causæ cognitionem admittant, ne posthac docendi munus usurpent. „ Episcopus autem crebris interea literis ac internuntiis monet & orat senatum, ut in veteri majorum religione persistant, neque doctoribus fidem habeant, &, quanti sit res periculi, demonstrat. Senatus invicem orat, quod etiam annis aliquot antè fecerat, „ det operam, ut, quæ pertinent ad verum Dei cultum instituantur, cetera verò tollantur & antiquentur: hoc enim ipsius proprium esse munus. „ Ille verò, tametsi conventum atque diem aliquando condixerat ejus rei causa, nihil tamen præstitit, & literis tantùm ab instituto deterrebat, & precibus nonnunquam intermiscebat comminationes. Cumque jam propè desperaret, Senatum imperii, qui tum erat Spiræ, orat, ut suam authoritatem interponant. Hi missa legatione sub finem Decembris, admodum splendida, petunt, „ ne Missam abrogent: nam neque Cæsaris, nec Ordinum esse, veterem, & à majoribus acceptam religionem immutare, nisi vel per generale, vel totius „ natio-

articulis Swobacensibus, FRICK. in Seckendorf. Germ. L. II. §. LIX. p. 967. SALIG. in Hist. Aug. Conf. L. II. c. II. p. 158. sqq.

(a) vid. Ep. ZWINGL. & Oecol. Lib. I. fol. 20. b. & 21.

(b) SLEIDAN. Hist. Lib. VI. fol. 98. a. & sqq.

„ nationis Concilium. Quòd si nimis hoc esse longinquum videa-
„ tur, differant saltem usque ad imperii conventum, jam brevi fu-
„ turum, atque ibi sua postulata proponant: non se dubitare, quin
„ æquum sint laturi responsum, legibus enim esse cautum, ne pri-
„ vato Magistratui liceat rescindere, quæ communi totius orbis
„ consensu decreta sunt. Æquum igitur esse, ut hoc ab ipsis impe-
„ tretur. Quòd si verò pergant, fore, quia vis in eo sit, ut & Cæ-
„ sar, summus magistratus, & ipsius per imperium legatus Rex
„ Ferdinandus, graviter hoc & permolestè ferant. Se quoque pro
„ suo munere atque fide teneri, quicquid est ejus rei, perscribere
„ Cæsari, ac simul adhibere, quæ oportet, remedia, quod qui-
„ dem inviti admodum faciant. Itaque rogare, ut diligenter hæc
„ secum expendant, & rectè monentibus auscultent: hoc & Cæ-
„ sari fore longè gratissimum, & ad ipsorum quoque laudem atque
„ salutem pertinere. „ Senatus, ubi sui instituti rationem expli-
casset, legatos commodè abs se dimittit. Fuerat ibi paulò antè Hil-
dessemus Episcopus, & nomine Cæsaris idem postulaverat, horta-
tus, ut morem gererent, præsertim quum Cæsar etiam de na-
tionis Germanicæ concilio cogitet. Nam alioqui fore, ut consi-
lium sibi Cæsar ac reliqui ordines capiant. Ad hæc Episcopus
Argentinensis aliquot senatores urbis, viros nobiles, privatim
interpellat, suos beneficiarios, & missis literis ad singulos, quan-
doquidem fide sint ipsi & jurejurando devincti, graviter monet,
ut abrogationem Missæ totis viribus impediant, neque compro-
bent. Senatus interim, quum jam supra biennium ea res agere-
tur, & Ecclesiæ ministri quotidianis concionibus vehementer in-
starent, cives etiam supplicarent, convocatis omnibus ex more,
qui rebus arduis adhiberi solent, numero trecenti, rem omnem
ordine commemorant, & in utramque partem multis in medium
adductis, quòd si Missam aboleant, quid à Cæsare sit periculi,
si non faciant, quantopere Deus offendatur, explicant, & cogi-
tandi spatium ipsis largiuntur, & ut tributim collecti deliberent,
petunt, quò deinde, quum rursus convenient, de communi vo-
luntate atque consilio statuatur. Quum ergo venisset dies, eo-
rum sententia, qui Missam oppugnabant, superior extitit. Itaque
fit Decretum, Februarii die vigesimo, Anni 1529. „ *suspendi*

„ *Missam oportere ac intermitti, donec adversarii demonstrent esse cul-* „ *tam Deo gratum* (a). „ Hoc Decretum & in urbe ac foris, quàm latè patet ipsorum jurisdictio, Senatus valere jubet atque servari, & per literas deinde certiorem facit Episcopum: qui non absque gemitu maximóque dolore se illud accepisse, & cogi patienter ferre, & quod sui sit in eo muneris, facturum se rescribit.

§. LXXXII. In ORIENTALI FRISIA amoto tum quietis & concordiæ custode EDZARDO, principe raræ sapientiæ, contagionis aliquid pestilentissimi dissidii, quæ Germanicas Ecclesias eo tempore afflixit, sub novo imperio successoris, adhuc per ætatem incauti, qui annum à natali vicesimum tertium agebat, & natura facilis erat ac mobilis, affricare Ecclesiis horum locorum Satanas conatus est. Vicini quippe Lutheranarum partium (b) homines præfervidi & contentiosi, videntes Ecclesias nostrates tranquillas & concordes, nec ignorantes, doctrinam hic vigere palato suo non placentem, ægrè id ferre, & blandè primùm eas sollicitare, dein cum sic nihil proficerent, allatrare, demùm cum toto doctrinæ genere acerbissimè traducere. Nam Verbum Dei & Sacramenta vilia & nullo loco ab his haberi, clamabant: ipsi verò ὑπερβολαῖς Lutheri utebantur, & insistebant supra modum, easque pro vehementia aut imperitia suá faciebant sæpe deteriores, verbi & Sacramentorum vim in usu externo supra verum efferebant, pixidiculas ea omnis gratiæ divinæ vocitabant: denique ita loquebantur, ut operatum opus paganorum in scenam reducere velle viderentur. Et supererant his locis homines Papismo adhuc dediti, quibus ista non parum placebant. Nec deerat ex

(a) Hæc omnia breviter & nervosè à SLEIDANO Argentinensium rerum intimè conscio enarrantur l. c. Cæterum est notabile, quod his ipsis decreti verbis tum pro temporis ratione ita conceptis, ante quinquaginta & quod superest, annos innixus quidam Jesuita Gallus, *Jo. Dezius*, voluerit evincere, nunc demum sublato illo decreto publica auctoritate restitui ab Argentinensibus debere Missam, quoniam ipse edito libello de reunione Protestantium hunc cultum Deo gratum esse post centum & quinquaginta annos, demonstraverit, cum tamen nihil dicat, nisi quod millies dictum jam est & refutatum. vid. SECKEND. Lib. II. §. L. n. 1. p. 144.

(b) vid. *Ubb.* EMM. Lib. LIV. p. 846. ad A. 1528. cujus verba per totam hanc §. sunt adhibita.

ex his, qui Papismum reliquerant, unus & alter, authoritate in populo valens, forsan etiam duo tresve è doctorum numero, quorum animi accusationibus hujusmodi Ecclesiarum innocentium abriperentur. Nam Zeli & doctrinæ nomen accusatores habebant, & duæ res erant, quæ fidem aliquam conciliari posse videbantur. Etenim *Anabaptismus*, quanquam tenuibus adhucdum initiis tum primum in hac regione se proferens, qui stragem prioribus annis per Germaniam dederat, obtrectationis materiam contra innocentes præbebat. Et *Andreas Carolstadius*, quanquam privatus, & vitæ rusticæ se dare meditatus, odium tamen Lutheranorum omnium, & invidiam nominis Monetarii, tumultuumque rusticanorum, licet culpa vacuus, quocunque veniret, secum trahens, hospitio hujus agri usus esse aliquandiu ferebatur (a). Hinc quippe calumniæ arcessebantur: hæc idonea putabantur ad invidiam Ecclesiis insontibus, sed in verba Lutheri non juratis, conflandam. Ob quæ Ecclesiastæ permoti, qui tota regione consensum pristinum tuebantur, in quibus *Emdani*, *Nordani*, *Auricani*, *Oldershemii*, *Jemgumani*, *Leerani*, *Wenerani*, *Larletani*, aliique in agro *Amasano* erant, Confessionem fidei & doctrinæ suæ his de rebus conscriptam, & triginta tribus capitibus brevibus comprehensam ediderunt in lucem, fluente mense Novembri istius anni, quo Edzardus decessit. Voluerunt enim publico Symbolo testari consensionem & innocentiam suam contra obtrectatores, & reprimere errores emergentes, & confirmare etiam suos, si qui nutarent. Confessioni in frontispicio hunc titulum præfixerunt: *Summa & confessio doctrinæ Ecclesiastarum in Frisia Orientali*, ex qua videre licet, eos nec Sacramenta, nec Dei verbum contemnere, ut falsò iisdem impingitur. Et pagina versa, hæc verba præmiserunt. *Summa doctrinæ, quam nos Ecclesiastæ in Frisia Orientali unanimiter docemus, parati quovis tempore prolixius rationem ejus ex Dei verbo reddere.* Summa verò illius hæc fuit: „ Christum „ solum & unicum esse auctorem, fontem, causam salutis nostræ; „ uni-

(a) Ipse Lutherus in Ep. A. 1529. d. 6. Maji scripta hujus rei fidem facit: *Carolostadius lætus & triumphans in Frisia concedit. Vocavit literis gloriosis & gratulatoriis uxorem ad se. Scilicet nova monstra nobis cudet satan!* v. BUDD. Supplem. Epist. Luth. p. 64.

„ unicum inter Deum & homines mediatorem: ejus gratia & „ meritis tantùm remitti peccata, non operibus ullis nostris: & „ in illis, non in nobis spem ponendam: huc usum verbi & Sa- „ cramentorum, referendum: non fingendum usum, non vim, „ non finem alium: esse ea à Deo instituta & demandata, utilia „ nobis & nullo modo spernenda: sed justificare, aut salvos fa- „ cere nos, aut Christo inserere non posse: sola verò fide justi- „ ficari nos, & Christi, gratiæque ac meritorum ejus participes „ & salvos fieri: Fidem autem gratuitum donum Dei, ejusque „ opus & effectum in nobis esse; ea ubi non sit, cætera nihil „ prodesse. „ *Hac doctrina salva*, testantur iidem, *ob diversas interpretationes locorum quorundam in literis sacris nolle se cum quoquam pugnare, aut quenquam, etiam à vero aberrantem, condemnare; aliorum item condemnatorias contra se sententias, si quæ sint, fretos innocentia sua, parum curare, expectantes verum & justum judicem Christum.* Et huic confessioni adjecêre *Symbolum* aliud multò brevius, ejusdem sententiæ, quod post recitationem Decalogi & Symboli Apostolici, in more fuit, cum alibi, tum Emdæ & Nordæ, finita concione pronunciari, docens, *totam salutem nostram ex solo Deo, Patre, Filio* & *Spiritu sancto esse, nihil hujus ex nobis.* Et ne quid adhuc relinqueretur dubii, eodem labente anno submissa est *Explicatio ejusdem confessionis* prolixior & plenior.

§. LXXXIII. Remoram verò tum toti Reformationis negotio, & prosperis ejus successibus injicere videbantur, quæ A. 1529. Spiræ celebrabantur, Comitia, quæque Imperator, pacatis ex parte motibus, qui rempublicam concitaverant, jam circa anni hujus principium cogi jusserat: In iis enim Ferdinandi pariter (qui Cæsaris absentis nomine præsidium habebat) ac ipsius Cæsaris auctoritate, & majoribus Statuum adversæ partis suffragiis decretum condebatur, decreto Spirensi ante triennium propemodum facto maximam partem adversum, cum enim in priori illo, *sua cuique religio, modò Deo & Cæsari rationem reddere posset*, usque ad concilium *libere permissa fuisset*, id ipsum jam ex plenitudine potestatis abolebatur (a) prorsus, sicque sublata illa sacro-
rum

(a) vid. MULLER. Histor. Protestat. L. I. c. III. p. 27. & 28. conf. SLEIDAN. L. VI. fol. 100. & 101.

rum libertate, causa Evangelii in haud leve conjiciebatur discrimen, siquidem juberetur quoque, ut, qui doctrinæ genus mutaverant, à novis rebus in religione abstinerent, nec doctrina illorum, qui secus ac Ecclesia (Romana scilicet) de Sacra Cœna docebant, reciperetur, porro, ut nullæ missæ abrogarentur, quin potius ut, ubi nova doctrina introducta esset, neminem tamen impedirent, qui priscis interesse sacris, aut pro more antiquo missam adire vellet, dum interea quoque Anabaptistis pœna capitis denuntiabatur.

Huic itaque malo cum remedium haud inveniretur aliud, quam ut à parte Evangelicorum fieret *Protestatio* legitima & Appellatio, cum ad Cæsarem melius informandum, tum quoque ad Concilium liberum & universale in causa religionis habendum; Tum post tentatas varias deliberationes ejusmodi *Protestationem* solenniter interposuerunt, qui pro Evangelio stabant Principes, *Johannes* Elector *Saxoniæ*, *Georgius* Brandenburgicus, *Ernestus* & *Franciscus* Lunebergici, *Philippus* Hassiæ *Landgravius* & *Wolfgangus Anbaltinus*, suamque die 19. Aprilis de scripto palam recitarunt Protestationem, eandemque die 25. ejusdem mensis publicè ediderunt: In ea, se à Decreto anteriore recedere, aut Missam permittere non posse, publicè declarant, nec commodum etiam aut utile esse judicant, ut alii ob doctrinam de S. Cœna non auditi nec examinati condemnentur, cumprimis quia Cæsar nullam eorum in literis mentionem fecerat: Ab hac declaratione, Evangelicis deinceps PROTESTANTIUM (a) nomen dari cœpit, quòd non solùm in Germania, sed apud exteras quoque gentes pervulgatum est atque celebre: Huic Principum protestationi, communicato consilio, primi nominis civitates aliquot sese conjungunt, *Argentina*, *Noriberga*, *Ulma*, *Constantia*, *Rutelinga*, *Winsbemium*, *Memminga*, *Lindavia*, *Campodunum*, *Hailbrunnum*, *Isna*, *Wissenburgum*, *Nordlinga*, *Sangallum*: Neque verò ita tantùm protestatos hos fuisse solenniter, sed & paulo post *Appellationis* formam (b) eosdem concepisse ac edidisse notum est, in qua rem omnem ordine

(a) vid. SLEIDAN. fol. 102. a.

(b) Ipsum *Appellationis* instrumentum prorsus memorabile suæ *Historiæ Protestationis* inseruit MULLERUS Lib. I. c. V. p. 51——125.

dine commemorant, ac demum ab omni actione Spirensi & decreto ibi facto provocant ad Cæsarem, ad futurum generale vel Germanicæ Nationis legitimum Concilium, ad omnes denique non suspectos Judices, ac simul Legationem ad Cæsarem decernunt; De qua legatione ut tribus verbis dispiciamus necesse est.

Finitis enim Comitiis, Conventus à Protestantibus agebatur Noribergæ, ubi de Legatione (a) ad Cæsarem decernebant, quæ mentis & factorum suorum apud eundem interpres esset. Qui designabantur legati, erant *Johannes Ehingerus* Consul Memmingensis, *Michael Cadenus* Syndicus Noribergensis, & *Alexius Frauentrautius* Secretarius Georgii Marchionis Brandeburgici: Hi cum sumtibus ad iter conficiendum necessariis, ad quos symbolas quisque suas contulerant qui è Principibus & Civitatibus nomen suum inter Protestantes erant professi, satis instructi essent, mox viæ se dabant, & Genuam usque profecti, de Cæsaris ab Hispaniis adventu cognoscunt, eundemque ineunte mense Septembri Placentiæ in Italia offendebant, viam sibi & aditum ad Cæsarem facientes per Mercurinum de Gattinaria, & reliquos Cæsarei consilii administros; Cæsar d. 12. Septembris equidem ipsis constituit diem, sed monet simul ut sua postulata scripto complectantur, neque sermone utantur prolixiori propter varias & gravissimas occupationes. Quo facto, antequam Cæsaris ad proposita gravamina reciperent responsum per integrum detinentur mensem, neque vel tum ad illorum vota est responsum (b), ut potius appellationem in forma conceptam contra hæc omnia (c), Principum Protestantium & sociorum nomine denuò hic interferendam esse è re sua ducerent. Quo tamen facto, & quod minoris essent conditionis (d), Cæsar eos duris excepit verbis atque per

(a) SLEIDAN. Lib. VII. fol. 104. a. SECKEND. L. II. p. 134. sq. HAHN. Hist. emendator. sacror. p. 71. MULLER. Hist. Protestat. Lib. II. p. 143——393.

(b) Ipsum hujus responsi formulam notabilem habemus apud MULLER. l. c. p. 196. sq.

(c) Rectè monet SECKENDORF. L. II. fol. 133. non protestationem, sed appellationem ad Cæsarem ipsum, Spiræ contra decretum compositam, legatos hos Alex. Sweiffio insinuasse.

(d) vid. SECKENDORF. Lib. II. pag. 135. a.

per aliquot dies in custodia detinuit, jussitque, ne pedem moveant è diversorio, ne quid suis perscribant, ne suorum quem aliquò mittant, donec aliud renunciet, capitis atque fortunarum denunciata pœna, si secus faciant; Ut non nisi repetita petitione sua & multa aliorum intercessione tandem abeundi libertatem obtinuerint. Quanquam vel tum Cadenus Noribergensis Syndicus jussus fuerit manere, capitis pœnam nisi pareat incursurus. Cujus quidem rei hæc erat causa (a); Landgravius dederat abituro libellum eleganter adornatum qui *Doctrinæ Christianæ Summam* paucis complectebatur, ut Cæsari daret: Is per occasionem, cum ad Sacrum iret Cæsar, porrigit: Cæsar invicem Episcopo cuidam Hispano, ut quid rei esset, cognosceret. Hic forte in locum illum incidit, ubi Christus monet Apostolos, „ne principatum affectent, hoc enim ipsorum non esse professionis, & gentium reges usurpare sibi talem potestatem.„ Eum locum inter alia auctor tractaverat, demonstrans cujusmodi sit Officium ministrorum Ecclesiæ; sed ille, cum obiter legisset, percontanti Cæsari sic referebat, quasi magistratui Christiano jus gladii tolleret libellus, & gentibus duntaxat, alienis à religione Christiana permitteret: Hac ergo de causa detinetur iste: Hoc etiam Nicol. Granvellanus, qui Mercurini partes obibat ægrotantis, addebat, velle Cæsarem, ut idem scriptum exhibeat quoque pontifici; cum autem ipse factum purgaret, neque satis commodum responsum fer-

(a) SLEIDAN. fol. 105. b. 106. a. Mirum est quod hujus circumstantiæ præter Sleidanum nemo mentionem fecerit, uti ne ipse quidem SECKENDORFIUS ejus nisi in transitu meminit, & MULLERUS in lib. cit. p. 220, 221. eandem ex Sleidano sine ulla addita uberiori illustratione transtulit; Ut qualis illa fuerit, & à quo composita Doctrinæ Summa, itemque, quis ille Episcopus fuerit Hispanus, in incerto maneat, nec, quò illa dein fuerit transportata confessio, constet. Intereà tamen, si conjecturis indulgere liceat, judicaverimus, eandem à *Lamberto Avenionensi* fuisse conscriptam, quippe in cujus Paradoxis de quibus §. LXIX. actum est, & quæ Miscellaneis nostris Duisburgensibus inserta leguntur Tom. II. facic. III. n. x. p. 555. sq. inter alia hæc reperiuntur: *Episcopi Domini & Principes esse ac leges fidelibus condere nequeunt.* Item: *Qui non administrant verbum Dei, nihil minus, quam Episcopi Ecclesiæ sunt.* Videmus autem doctissimum. SALIGIUM in Hist. Aug. Confess. T. I. p. 138. in hac eadem conjectura nobiscum facere.

ferret, & è sermone Granvellani periculum suum intelligeret, silentio conscendit equum, & celeriter Ferrariam, inde Venetias profectus, donum revertit.

§. LXXXIV. Sic igitur res Protestantium hactenus parum ex voto procedens ansam suppeditabat, ut de Fœdere arctiori, & mutua terrarum Suarum defensione, itemque Cæsare leniendo, varia agitarent consilia, mox in conventu *Rotacensi*, mox *Swobacensi*, mox *Smalcaldensi*, mox etiam *Noribergensi*, in quibus tamen omnibus, propter intestina dissidia, parùm quoad rei summam fuit profectum: Injecerat enim Electori Saxoniæ scrupulum LUTHERUS (a), qui in id cum suis incumbebat, ut Reformatos ita dictos, sive qui cum Helvetiis sentiebant, ab isthoc fœdere tantoperè utrivis parti Protestantium proficuo ac necessario, excluderet, intempestivo tactus zelo, quòd videret plerosque eruditos, in his etiam *Billicanum* Noribergensem, *Urbanum Regium*, & alios multos in superiore Germania, *Argentoratensium* & *Ulmensium* præcipuè Doctores, *Oecolampadio* & *Zwinglio* magis favere quàm sibi, in illa, quæ tanta cum animorum vehementia tum agitabatur controversia Sacramentaria; Ut sanè, quod à quibusdam tamen est factum, opus non fuisset hæc Lutheri *ad schisma fovendum* consilia, quæ parum laudis habent, vel laudare (b), vel extollere, vel in singulare argumentum zeli ejus adducere; Quum per tristissimam constet experientiam, quam id omne in sua commoda arripuerint Pontificii, qui, uti illud *Divide & Impera* jam tum adamabant, ita omni virium conamine id agebant, ut Saxonem & alios Principes à Civitatibus Imperii, Evangelio addictis, dirimerent, ne qua esset inter ipsos consiliorum communicatio, aut voluntatis consensio.

PHILIPPUS tamen *Hassiæ* Landgravius, immortalem in eo promeritus laudem, his ipsis clandestinis Pontificiorum consiliis & im-

(a) vid. SECKENDORF. Lib. II. p. 139. qui ex ipsa Lutheri manu scripta admonitione quædam nobis subministrat excerpta, ex quibus Lutheri præposterus & non usquequaque laudandus Zelus ad oculum conspicitur, quibus deinceps Vir prudentissimus subjungit: *De rationum harum momento hic non disquiro, & alibi dicendi occasio dabitur.* Ipsam admonitionem lingua Germ. scriptam exhibet MULLERUS lib. cit. p. 230-233.

(b) vid. LOESCHER. Hist. Mot. Lib. I. Cap. VII. §. I. p. 170, 171.

& imprudentibus non minus quam severis Lutheri monitionibus obsistere, atque ne à se invicem separarentur, omni nisu curare, dum non tantummodò per varias literas Saxonem ea de re monet, atque, quam ille articulus *de Cœna* non tanti sit momenti, edocet, quanti sint illi, qui de fide & salute agunt; atque addit, „ *Theologos semper habere* (a), *de quibus disputent*, *nec erroribus* „ *carere*, quod vel exemplo Lutheri pateat, qui Georgium „ Saxoniæ Ducem nuper contumeliosè tractaverit, & Islebii, „ qui in edito proverbiorum libello Ulricum Wirtembergicum „ Ducem exagitaverit; „ Sed &, instituto amico inter utramque partem Colloquio, quod *Marburgi* convocabatur, hunc ipsum offensionis lapidem è medio sustollere allaborabat: De quo tamen Colloquio cum in Historia Dissidii Sacramentarii specialius agendum nobis sit, nunc brevitati studentes sequentia solummodò notamus. 1. Quod Lutherus omni conatu id subterfugere voluerit, quippe qui & d. 23. Junii ad Landgravium scripsit, rogavitque ut re in omnem partem diligenter excussa (b) „ cogitare vellet, utilis, an inutilis talis congressus futurus sit: „ cum Zwingliani errores suos vix sint agnituri, ipse sententiam „ suam abjicere non posset; „ Et deinceps denuò, dato singulari procul dubio ad Johannem Electorem Responso declaravit, „ se animo ad nihil concedendum obfirmato (c) adventurum, „ dum metueret argutiam adversariorum, & quod judicaret nul-„ lam emendationis spem de præcipuis adversariorum capi posse: „ Unde & Oecolampadius (d) de Melanchthone ita scribit: *Potuisset ipsi cum suis satisfieri*, *si tam purgatis adfuissent auribus*, *quam obstinatis animis sua qualiacunque qualitercunque defendere statuissent.*

(a) SECKENDORF. l. c. p. 135.

(b) SCULTET. Annal. Decad. II. p. 197. vid. Tom. IV. Germ. Jenens. fol. 466. ubi inter alia: *Ich weis dass wohl*, *das ich ihnen schlechterdings nicht weichen werde.*

(c) vid. MULLER. Histor. Protestationis lib. II. c. XX. pag. 310. ubi Lutherus: *Ich beruhe darauff*, *dass ichs mit den Strasburgern nicht halten will*, *mein lebenlang*, *und weiss*, *das Zwingel*, *und seine gesellen unrecht vom Sacrament schreiben.*

(d) OECOLAMP. in Præfat. ad Dialog. de Eucharistia, inter Zwinglii & Oecolampadii Epistolas fol. 130. a.

2. Quod voluerit Lutherus, incredibile dictu, ut Judices controversiæ (a) Pontificii essent, *partim* ne viderentur Lutherani & Zwingliani adversus Pontificios conspirare, *partim* ne nimium sibi arrogarent Zwinglii asseclæ, si scilicet, nemo extra partes positus, huic ipsi colloquio interfuisset; Quasi verò Pontificii etiam judicari possint, in ea, de præsentia corporis Christi in S. Cœna disputatione, extra partes positi, ut ab horum ore, de disputationis victoria peti possint testimonia fide digna! Intereà dum Carolostadium, licet id submississimè petentem (b), nec Lutherus, nec Philippus admittere vellent. 3. Quod, cum advenissent tandem, Lutherus, & ægrè à suis dimissus Zwinglius cum Oecolampadio, Bucero, Hedione etsim., de præsentia corporis & sanguinis Christi publicè & privatim disputatum fuerit. Oecolampadius, quocum Lutherus primam contentionis serram reciprocavit, tria (c) maximoperè ursit, „ carnem non „ prodesse, verum Christi corpus non posse esse nisi in cœlo, „ neque adeo in duobus locis simul esse posse, „ itemque, „ Patres & cumpriimis Augustinum verba de esu spirituali in„ tel-

(a) „ *Und so man zusammen kommen solte, müsten - - - auch etzliche* „ *von Papisten, - - - die unser beider bewegen anhorten, darbey sein,* „ *sunst wurde es vil reden machen, die Lutherischen und Zwingler zügen* „ *zu hauffen*, conspirationes *zu machen*, &c. *Auch wurden die Zwingler, so niemands als unpartheyisch darbey gewesen, villeicht destemehr* „ *rühmen wollen, derhalden hab ich dem Landgraven angezeigt, dass, so* „ *man zusammen keme, noth were, dass Leuthe dabey weren von Papistischen, als unpartheische.* „ apud Müller. l. c. p. 310. Cæterùm hic corrigi debet levis SCULTETI Decad. II. p. 197. & aliorum error, qui hanc suasoriam Melanchthoni adscribit, cum tamen & stylus Lutherum auctorem evincat, & MULLERUS l. c. disertè edoceat, esse eandem à Luthero compositam, ut rectè SALIG. in Hist. Aug. Conf. T. I. p. 144. observet, non amplius ex una duplicem effingi debere, aut quod Lutheri est, Melanchthoni adscribendum esse.

(b) Est mihi literarum CAROLSTADII ad Philippum Hassiæ, tum temporis datarum copia, à Vener. dum vivebat Theologo C. L. MIEGIO suppeditata, quibus is irrito tamen conatu id expetit, ut in hoc ipso conventu quoque coram sibi liceat animi mentem explicare, seque ab accusationibus quibus impetebatur, purgare.

(c) LOESCHER. Histor. Motuum P. I. c. VI. §. VII. p. 160.

„ tellexisse: „ Ad *primum* respondit Lutherus, Christum apud Johannem, dicendo, *quòd caro non prosit*, non agere de carne sua, nedum de carne in Sacramento eucharistiæ, sed de sensu crudo atque carnali; ad *secundum* regessit, Deum posse corpus suum ponere, ut non sit in loco; Cum & Sophistæ, se non improbante, dicant, *unum corpus posse esse in diversis locis*, quanquam tamen deinceps concederet, corpus Christi non adesse ut in loco, unde Oecolampadius concludebat, Non adesse ergo corporaliter. Ad *tertium* nil quidquam reposuit, nisi quod ipsa Christi verba, *Hoc est corpus meum*, mensæ in scriberet (a), & ab his se non recessurum testaretur, addendo: *Si juberetur fimum comedere*, *se facturum illud* &c. Quo pacto, ultrò citroque varia equidem velitatio cum inter Oecolampadium & Lutherum, tum inter Zwinglium & Melanchthonem, deinceps inter Lutherum & Zwinglium fuit instituta, nec quicquam tamen profectum, quum Lutherus nullis argumentis à sensu literali, vel potius à sensu literæ dimoveri se pateretur; Nisi quod in reliquis tamen omnibus formatus fuerit consensus, unico excepto *de Sacramento Cœnæ* articulo, & quidem *de modo præsentiæ*, sic enim verba se habent: „ Etsi an verum corpus & sanguis „ Christi corporaliter in pane & vino præsens sit, non con„ cordaverint, tamen unam partem alteri Christianam dilectio„ nem, quantum cujusque conscientia ferat, præstituram. „ 4. Quod Lutherus post discessum etiam publicè pro concione (b) gaudium suam expresserit, rem non esse sine bona spe, dicens, esse placidam & amicam concordiam sperandam; quanquam etiam hoc ipso protinus anno, si non proprio motu, saltem per Amsdorfium instigatus, in Zwinglium singulari fervore scripserit.

(a) Inter alia quoque tum dixisse fertur Lutherus: „ Non disputo, an „ *est*, sit *significat*, sed contentus sum, quod Christus dicit: *Hoc est cor*„ *pus meum: Da kan der Teuffel nicht fur*. „

(b) vid. SECKENDORF. Lib. II. fol. 138. b. Res non est sine bona spe. Non dico, fraternam inter nos esse unionem; est tamen placida & amica concordia (*eine gütige freündliche eintracht*) ut à nobis amicè poscant, quæ illis desunt, & nos vicissim illis serviamus. Fiet autem fraterna, si Deum precabimini.

rit. (a) 5. Quod tamen hoc Colloquium non absque omni fructu fuerit, siquidem PHILIPPUS Hassiæ Landgravius adeo veritate sententiæ Zwinglianæ fuerit convictus, ut noluerit deinde Augustanæ Confessioni subscribere, nisi cum protestatione publica, „ non satisfieri sibi in articulo de S. Cœna: „ Et de LAMBERTO *Avenionensi* res non minus constet, quippe quod non solummodo testatus est idem Hassiæ Landgravius Philippus (b), sed & cujus extat Confessio ab Argentinensibus publicata (c), quæ, uti prorsus in vanum dicitur à suspectis personis publicata, ita rem ipsam extra omnem dubitationis aleam ponit; Atque hæc quidem velut in transcursu tantummodò de Colloquio Marpurgensi.

Jam quo pacto Evangelii causa felicem per varia Germaniæ loca habuerit progressum, meritò commemoramus, ubi tria verba præmiserimus de Fœdere solemni, quod Cæsar jam d. 29. Junii Barcinone, antequam in Italiam proficisceretur, pepigerat cum Papa, qui Legatum eò miserat (d), cujus unum caput erat: „ Cæsar & Ferdinandus, ut hæretici in viam reducantur, operam danto: & Pontifex sacra remedia adhibeto: Quod si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto, „ & Pontifex ut ceteri Christiani Principes ipsos pro viribus ju- „ vent,

(a) Vid. Epist. LUTH. ad Jo. Agricolam d. 2. Octob. datam, in Supplem. Ep. Luth. à Budd. edito n. XCVIII. p. 71, 72. ubi inter alia: *In summa*, (de Tigurinis inquit) *homines sunt inepti & imperiti ad disputandum. Tametsi sentiebant sua nihil concludere, nolebant tamen cedere in hac una parte de præsentia corporis Christi*, *idque* (ut arbitramur) *metu & pudore magis quam malitia* &c. Immite Judicium!

(b) vid. SCULTET. Aannal. Dec. II. p. 233. & SCHELH. Amœnit. T. IV. p. 369.

(c) vid. SCHELH. l. c. p. 370. atque inprimis conf. Epist. ipsius LAMBERTI ad Mart. Bucerum, quam ex originali publicavit Doctiss. FUESSLINUS n. XV. pag. 70. & sqq. hac addita monela: „ Hanc „ Epistolam legentes intelligent, Theologos Darmstadienses (addo, & „ LOESCHERUM in relat. innocuis A. 1709. p. 24.) frustra jactavisse, „ Lambertum ad mortem usque doctrinæ adhæsisse Lutheri; cum contraria tamen omnia sint vera. „

(d) v. P. SARPII Hist. Conc. Trid. L. I. p. 41.

„ vent, operam dato &c. „ Huic Fœderi successit congressus Cæsaris & Papæ Bononiensis, qui tertia Novembris contigit: In quo Papa non Concilii decretis, sed armis controversias censuit dirimendas, argumento usus (a), „ quod dogmata *quædam* manifestò falsa „ essent, ut Anabaptistica & Samosatenica, quæ statim sint opprimenda, *quædam* inextricabilia, ut de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio Missæ, *quædam* dispensabilia Pontificis „ auctoritate, ut laxatio votorum, concessio conjugii, ciborum „ promiscuorum: „ Totus enim ille Congressus ad Protestantium eversionem spectabat, atque id Cæsari injungebat (b), ut Bullam Leonis X. d. 25. Junii 1520. datam & Wormatiense edictum d. 8. Maji 1521. promulgatum ipse Cæsar pro auctoritate sua exsecutioni mandaret; Uti non minus huc illud spectabat Juramentum, quo se Pontifici coronam recipiens Cæsar obstrinxerat (c), *se scilicet omnibus viribus, ingenio & facultatibus suis Pontificis dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem*, &c.

Ee §. LXXXV.

(a) vid. MELANCHT. Declam. Tom. V. p. 87. & SCULTET. Ann. l. c. p. 248. Lusit in hoc Pontificis consilium *Marc.* PALINGENIUS sive P. A. MANZOLLUS in Zodiaco Vitæ, sub fin. Capricorni:

Ilicet illic
Egregius Juvenis Remisses astitit, omnes
Advenisse illum gaudent, lætéque salutant,
Atque rogant, quidnam Romana ageretur in urbe!
Cuncti luxuriæ atque gulæ, furtisque dolisque
Certatim incumbunt, nosterque est sexus uterque,
Respondit: Sed nunc summus parat arma Sacerdos
Clemens, Martinum cupiens abolere Lutherum
Atque ideo Hispanas retinet nutritque cohortes:
„ Non disceptando, aut subtilibus argumentis
„ Vincere, sed ferro mavult sua jura tueri.
„ Concilium valeat, valeant commenta Lutheri,
„ Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ.

(b) vid. SARP. l. c. pag. 45.
(c) vid. COELESTIN. Histor. Comit. Augustan. Tom. I. fol. 16. seq.

§. LXXXV. In Germania ſuperiori quod eodem tamen hoc anno 1529. ARGENTORATUM edicto publico decreverit, „ Miſſam ſuſpendi oportere ac intermitti, donec adverſarii demonſtrent, eſſe cultum Deo gratum, „ jam indicavimus (a). Eſtque tum ipſa hac de cauſa Civitas à Ferdinando à cataſtro Urbium Imperialium & numero Statuum ad tempus excluſa, ut nec ejus Legati, qui tum erant *Daniel Miegius* & *Jacobus Sturmius*, Viri πολλων ἀντάξιοι ἀλλων, niſi longo demum poſthac intervallo (b) ad ferendorum ſuffragiorum prærogativam ſint reſtituti.

Interea ſub finem Novembris convenerunt *Smalcaldiæ* (c) Joannes *Saxoniæ*, ejusque filius *Johannes Fridericus*, *Erneſtus* & *Franciſcus* Luneburgici fratres, Lantgravius *Philippus*, *Georgii* Brandeburgenſis conſiliarii, Civitates etiam, *Argentoratum*, *Ulma*, *Noriberga*, *Heilprunum*, *Rutelinga*, *Conſtantia*, *Memminga*, *Campodunum*, *Lindavia*. Sub idem tempus venerunt ex Italia legati, quumque Legationem renuntiaſſent, viſum fuit agendum eſſe omnium primò de Religione, cujus nuper erant propoſita capita. Rogantur itaque Argentinenſes ac Ulmenſes, quid ſit ipſorum in eo voluntatis atque propoſiti. Reſpondent in eandem ut nuper ſententiam: „ quo tempore primum ſit agi cœptum de fœdere, „ nullam ejus rei mentionem eſſe factam: hoc unum modò in deliberationem veniſſe, quomodo ſint auxilia communicanda, ſi „ quem doctrinæ cauſa periclitari contingeret. Quid adverſarii moliantur, ac in animo habeant, eſſe non obſcurum. Inter illa verò „ doctrinæ capita, quæ ſunt in medium adducta, quædam poſſe „ diſputari. Quod ſi de iis non conveniat inter doctos, metum eſſe, „ ne diſſidium oriatur, quod adverſariis valde ſit opportunum atque „ commodum: itaque ſuum eſſe conſilium, ut ad illud, quod initio fuit de fœdere faciundo propoſitum, omnis referatur deliberatio.„ Saxo, & huic adjuncti Luneburgici fratres & Brandeburgicus, ſollicitabant eos per Noribergicos, ut aſſentirentur; Lantgra-

(a) v. §. LXXXI. p. 206. SLEIDAN. L. VI. p. 99. a. & SCULTET. p. 181.
(b) conf. SLEIDAN. L. VI. p. 100. & MULLER. Hiſtor. Proteſtat. Lib. I. p. 141.
(c) SLEIDAN. pag. 106. a. b.

gravius verò medium sese gerens, conciliationi studebat. Quum nihil proficeret, reliquarum etiam Civitatum legati vocantur, & siquidem eam doctrinam per omnia probent, actionem fœderis institui posse cum ipsis, dicebatur: illi, nullum habere se ejus rei mandatum, respondent, & primam urgent actionem. Tandem ita disceditur, ut qui doctrinam hanc omnem profiteri velint atque recipere, Noribergam veniant ad sextum Januarii diem anni sequentis deliberandi causa, quid deinceps agendum sit. *Argentinenses* interea, muniendi sui causa, quò vim injustam à se fuisque depellerent, cum *Tigurinis*, *Bernatibus*, *Basiliensibus*, qui & vicini erant, & dogmate magis conveniebant, Fœdus faciunt in hunc modum. „ Si doctrinæ causa vim patiantur, hæ, quas „ diximus, civitates auxilia mittant atque copias, quantas omnino „ res ipsa flagitabit, sic tamen, ut in mille pedites, aureos bis „ mille menstruos dent Argentinenses, loco subsidii: contra, si „ vis ipsis inferatur, Argentina nullas quidem copias mittat, sed „ per belli tempus aureorum millia tria menstrua subministret. „ Item, cujus in civitatis finibus, alterutrius partis hostes de„ prehendentur, non ferant impunè, sed eo loco sint atque nu„ mero, sicut belli jus atque gentium præscribit. Si vis ulla fiat „ simul omnibus, tum singuli suo sumptu rem gerant, & hostem „ quam longissimè depellant. Argentina, pulveris tormentarii „ libras decies mille, Tigurum, & frumenti modios totidem, „ Basileam, pacis tempore, quum erit opportunum, mittant: ex „ eo tamen nihil sumatur, nisi belli tempore & urgente inedia. „ Tunc illud in cives liceat distribuere, facta æstimatione pre„ tii, quantum ex æquo videbitur. Veruntamen, si auxilio pro„ ficiscantur Argentinensibus, pulvere utantur, quantum erit „ opus: in communi autem bello dimidiam pretii partem per„ solvant. „ Decretum fuit hoc fœdus in annos quindecim, Januarii die quinto.

Tum verò etiam ulteriorem Ecclesiæ suæ Reformationem meditabantur ULMENSES (a), quæ tamen A. 1531. demum est perfecta (b), saltem quod ad Tigurinos miserint, petierintque

 sibi

(a) Conf. quæ §. LXXVII. pag. 190. seqq. sunt dicta.
(b) v. SECKENDORF. Lib. III. §. III. fol. 18.

ſibi communicari Reformationis modum & edicta in religionis emendatione edita, ex Bullingeri Chronico ad hunc annum edocet SCULTETUS (a); Nec diffitetur ipſe SECKENDORFIUS, articulos ipſorum Reformationis, per Jo. Oecolampadium, M. Bucerum, Ambr. Blaurerum, Zimbertum Memmingenſium, & Bartholomæum Biberacenſium Eccleſiaſten, qui omnes tamen Reformatæ ſententiæ de S. Cœna addicti erant, conſcriptos fuiſſe, quippe qui vel ſuæ narrationi hanc ſubmittit monelam (b): „ Quamvis autem videri poſſit ad Lutheraniſmi hiſtoriam hanc „ Reformationem Ulmenſem non pertinere, utpote à diverſæ „ ſectæ Viris factam, notari tamen debet, à controverſiæ ſacra-„ mentariæ accurata explicatione illos fere abſtinuiſſe, ut ex ar-„ ticulis conjici poteſt. „ Quæ ipſa monelà non ſolùm evincit, quam verum illud ſit, quod Eccleſiæ ſuperioris Germaniæ & tractus Rhenani inde ab initio ad partes Zwinglii acceſſerint, atque eisdem adhæſerint, id quod diſertis verbis de Eccleſia quoque Argentoratenſi teſtatur idem SECKENDORFIUS (c); Verùm etiam, quam, cum hæ tamen principes eſſent Urbes, quæ *Proteſtationem* illam publicam in ſuperioribus commemoratam conſignarunt, malevolum planè ſit judicium, atque ab omni humanitate remotum, quaſi ne inter Proteſtantes quidem recenſeri queant Reformati; Sed &, id exinde colligitur, quam inde ab ini-

(a) SCULT. Annal. Dec. II. pag. 194.

(b) SECKENDORF. L. III. fol. 18. conf. FRICK. in Seckend. Germ. pag. 1231. Cæterùm ipſos hos articulos, cum eos jam Annalibus ſuis inſeruiſſet A. SCULTETUS pag. 362. ſeq. tum eosdem non minus FRICKIUS l. c. pag. 1219, 1220. conſilio prorſus laudando, eidem ſuo inſeruit Operi; cui Excerptum quoque inſertum deprehendimus præclaræ ab Ulmenſium Magiſtratu in defenſionem ſuæ Reformationis editæ Apologiæ, & denique, brevem Summam Ordinationis Eccleſiaſticæ prorſus eximiæ, tum ab Ulmenſibus, univerſo populo in concione publica prælectæ ac deinceps editæ, unà cum aliis quam multis, ex *Ulmenſis Reformationis Actis* rariſſimis, quæ collegit Vir egregius inde à pag. 1210--1232. Eſt autem articulorum illorum ſextus hujusmodi: *Cœnam Domini celebrari in memoriam & annunciationem mortis Chriſti & in paſtum animæ ad vitam æternam. Transſubſtantiationem impium eſſe commentum.*

(c) SECKEND. L. II. fol. 144.

initio, ii, qui Reformatis partibus erant addicti, in ferendis reliquis longè fuerint mitiores atque humaniores, neque adeo ullius Schismatis vel facti vel foti à reliquis accusari possint, nisi fumum velimus colligere ex fulgore.

§. LXXXVI. Habebat MINDA ad Visurgim Urbs, præter reliqua, tria templa Mariæ, Martino, & Simeoni dedicata; Mariano templo præerat *Alb. Niseus* (a), qui jam aliquot annos puram Evangelii doctrinam placidè docuerat, sed nihil adhuc immutaverat in religione vel sacramentis & cerimoniis (b), quanquam liberè falsam doctrinam Pontificiorum reprehenderat, quo nomine etiam venerat in periculum apud Episcopum Mindensem Franciscum Ducem Luneburgicum; Episcopus verò cum ex morbo fœdissimo, quem sibi per vitam dissolutam contraxerat apud Henricum Fratrem in Guelforum arce decessisset (c), factum est, ut hæc ipsa Evangelii per Niseum prædicati initia tranquilliora & sedatiora, latiùs producerentur, atque incrementum caperent. Scilicet latuerat veritas pressa, & tantùm non oppressa, tanquam ignis obducto cinere sopitus, quem si paullulum commoveris, rursus ardescit & quasi evigilat; In Ecclesia Simeonis certè circa festum Michaëlis 1529. vivente tum adhuc Episcopo, invito Abbate atque Parochis, à populo Mindensi constitutus est Evangelista

(a) *Alb.* NISEI Doctoris eximii & Reformatoris Mindani, tum jam octoginta annis majoris, quique A. 1557. ætatis 110. demum decessit, memoriam & merita ex MSS. & editis libris nobis dedit in Initiis Reformationis Mindensis J. L. BUNEMANN Rector Gymnasii Mindensis 1729. 4. Quanto ardore & studio optimus Nisius sacra verba ad populum fecerit, vel inde cognosci potest, quod quum jam Centum annos vivendo explevisset, & in tam grandi senio tandem oculorum lumine destitueretur, nihilominus (quum antea sibi à cultore aliquo Theologiæ pia aliorum scripta ad uberiorem meditationem prælegi curasset) in templum & suggestum ductus Orationes Sacras haberet, unde egregiæ solertissimi ingenii & memoriæ tenacissimæ dotes in hoc viro colliguntur.

(b) Ita HAMELM. l. c. p. 1313.

(c) vid. BUNEM. l. c. qui & in libro quodam Seculo XV. Scripto de hoc Francisco hæc legi refert: *Iste Franciscus fuit Neronis confrater sermone & actu. Nam quæ quisque excogitare poterat, ipse summopere explevit libidine. Miserabiliter vita functus.*

gelista primus (a) *Henricus Trophagius* Lemgoviensis, qui Monachatum nuper deposuerat, ut piè sub Evangelio viveret: Quæ res cum satis ex voto successisset, tum verò etiam circa Natalitiorum festum cives uno simul impetu in templo Martiniano, impeditis Pontificiorum cantionibus & ceremoniis Evangelicum Pastorem in cathedram deduxerunt, nomine *Nicolaum Cragium* (b), à Comite Hoyensi Erico ex arce Stoltenau accitum; Quo autem totum emendandæ religionis negotium commodius fieret, elegerunt viros triginta sex, qui strenuè nomine communis reip. id promoverent, ex quibus præcipui erant: *Jo. Bruningius* Senator, *P. Wieus* postea Consul & *Jo. Gevecotius* senioris Cos. filius & ipse postea Consul; Hi cum evocato Nicolao Cragio deliberant, atque ex ejus consilio à convocatis eum in finem Canonicis & Monachis requirebant, ut concederent simul cum suis Pastores Evangelicos docere in templis (c); Quod, cum abnuerent, Cragius homo concitatioris (d) ut videtur ingenii, ipse non amplius Cleri Pontificii consensum exspectans, sibi consulendum esse arbitrabatur, atque modò in æde Martini, modò in reliquis parochiis Evangelium docebat, dum interea Senatus & 36. virorum aucto-

(a) Hoc nomine eum compellat HAMELM. l. c. p. 1314.

(b) vid. BUNEMANN. l. c. qui & ex Hamelmanno hoc N. Cragii nobis suppeditat elogium: „ Frater Jodoci Comes Ericus, qui aulam „ suam instituerat in arce Stoltenouve habuit disertum & peritum & in „ scripturis exercitatum virum Nic. Cragium liberè & dexterrimè doctri„ nam Evangelii profitentem, cujus conciones multi etiam Heroes cum „ stupore audiebant apud se: Ideo is gratus erat Comiti Erico, & hic „ Nic. Cragius superabat eloquio Adriannm (Buxschotium.) Nic. Cra„ gii opera in reformandis Ecclesiis & refutandis Papistis postea Minden„ ses usi sunt. „

(c) HAMELM. l. c. p. 1313. & BUNEM. l. c.

(d) De Nic. Cragio admodum immodestè judicat CHYTRÆUS in Saxon. ad A. 1529. fol. 315. quasi ejus acerbitati potissimum & immoderatæ agendi rationi sit acceptum ferendum, quod deinceps tot quoque Urbi Mindensi fuerint intentata pericula, quum tamen ex iis, quæ Doctiss. BUNEMANNUS retulit, constet, quam, si quæ fuerint suscitatæ turbæ, id non Cragio, sed ipsis civibus & cumprimis eorum delectui 36. virorum, sed præcipuè Clero Pontificio non satis fideliter promissis suis stanti, imputari debeat.

auctoritate, Abbas cum suis, & Decani S. Martini & S. Johannis eò adigerentur, ut Evangelicorum postulata X. articulis comprehensa (a) annuerent, datis desuper literis sigillo Abbatiali ac manus subscriptione firmatis; quos tamen haud diu post ita sui pœnituit promissi, ut ex improviso monasteria sua ædesque relinquerent Rinteliam abeundo, ibique perditissima contra Mindam civitatem consilia excogitando. Interim *Nic. Cragius* strenuè concionando, etiam in Papales invehendo perrexit, neque diu post, (manifesto indicio quam Evangelica doctrina A. 1529. Mindæ suscepta intra paucorum mensium spatium mirum in modum sit propagata & contra obstacula longè maxima corroborata,) manum conscribendæ *Ordinationi* (b) *Ecclesiasticæ* ad Brunsvicensem Bugenhagii magna ex parte conformatæ admovit. Eodem tempore, exeunte anno 1529. & ineunte anno 1530. varia consilia de novo Episcopo eligendo inibantur, ipseque tandem *Fridericus Waldecensis* Comes equidem à Mindensibus recipitur, non alia tamen lege atque conditione, quam „ ut Evangelium & ejus „ cultores tolerare non renueret: „ Quomodo deinceps verò *Urbanus Regius* itemque *Gerhardus Oemichius* atque alii Mindensem ulterius promoverint Reformationem, atque turbas à Pontificio Clero potissimùm adversus urbem suscitatas consopiverint, ut enarremus (c) opus non est.

*Apud

(a) Ab his ipsis articulis infinitas ferè accusationes petitas fuisse observat, qui eas lectori exhibet BUNEMANNUS l. c., cum tamen in iis nihil plane quod magnoperè reprehendi possit, inveniatur.

(b) Ex hac Ordinatione quæ admodum Rara est, paucula quædam selegit BUNEMANNUS, eaque lectori harum rerum avido obtulit, inter quæ & illud: quod singulari articulo ea edocet *quod Missa non sit sacrificium sed Testamentum atque Declaratio publica*; *dat de Mysse ken offer sy, man een Testament, apentlicke bewisinge.* Uti articulus quintus ejusdem Ordinationis ita sonat: „ Missam Papisticam esse impiam, hæresin, atque opus diaboli, Deo & Scripturæ S. adversum, non autem „ sacrificium pro vivis ac mortuis, sed Testamentum, id est, commemorationem acquisitæ peccatorum remissionis: „ *Dat de Papistische Mysse, unrecht, Ketterie, und Düvelswerk unde gegen Gott und de Gottl. Schrift sy, und neen Offer vor de Lewendigen unde de Doden, sunder een Testament, dat iss ene Gedechnyss der verworben vergevinge.*

(c) conf. BUNEMANN. l. c. & CHYTR. l. c.

Apud GOTTINGENSES femina doctrinæ Lutheri jam prius ſparſiſſe *Jacobum* quendam *Corduwagium*, eccleſiæ Jacobææ Sacerdotem, qui & veritatem è Lutheri libris hauſtam publicè è cathedra tradere ſuſtinuerit, refertur (a), ſed ita, ut primus ille conatus non ſucceſſerit, ſeriusque adeò, nempe A. 1529. Gottingenſes ex ſuperioris ævi caligine ac tenebris lucem veræ religionis reſpexerint, quando primus quidem ipſorum Evangeliſta *Fridericus* quidam fuit *Huiventhalius* cui brevi tamen ſucceſſerunt *Henricus Winkelius*, *Juſtus Winterus* & *Joh. Suthelius*, qui tres poſteriores A. 1530. Ordinationem (b) Eccleſiaſticam quam vocant, compoſuerunt atque publicarunt, quam abinde inter Gottingenſes uſu obtinuiſſe poſteriorum temporum edocent Annales.

§. LXXXVII. Sed videmus hic paulisper in enarratione de progreſſu Reformationis per omnem Germaniam ſubſiſtendum eſſe, ſi modo unicam ſubjecerimus Epiſtolam *Johannis* BUGENHAGII (c), ad L. Cordatum Anno 1530. ſcriptam, quæ nobis mirabilem Evangelii anni 1529. curſum ratione civitatum *Saxonicarum* deſcribit, quæque ita ſe habet.

„ Gratiam Dei per Chriſtum. Tu quidem, optime Cordate, „ ad me ſcripſiſti, ſed literas nondum legi. Cauſam intelliges „ ex communi amico noſtro, D. Stephano. Nos hic agimus, „ per Deum, ut agere ſolebamus: Sit Chriſto gratia. Oramus „ verò pro fratribus, & pro vobis, & publicè & privatim: „ Contra Turcam, Tyrannos noſtros, Sectarios, Satanam, id „ quod & vos facitis. Sed admoneo, ut conſors veſtræ fidei & „ gaudii in Chriſto, ut hoc ipſum perpetuò faciatis, & ut pro „ nobis quoque oretis, pro poteſtatibus, prædicatoribus, pro „ illis qui nondum verbum habent &c. „

„ Ut autem nunc ex me habeas, unde gaudeas, & Chriſto „ gratias agas, ecce mirabilem Evangelii curſum. Mera mira- „ cula videmus, utinam non ingrati. „ Hac

(a) In oratione inedita Ge. Andr. Fabricii de Reformatione Lutherana Eccleſiæ Göttingenſis, quam citat Cl. HEUMANN. Pœcile T. III. Lib. I. n. 1. p. 5.

(b) vid. HEUM. Pœcile l. c. p. 9——13.

(c) vid. REHTMEYER Antiq. Eccl. Brunvic. in Documentis adjectis ad part. III. p. 14, 15.

„ Hac una hieme (nam reliquam Saxonum meorum conversio-„ nem antea audisti) hæ civitates apud Saxones susceperunt syn-„ cerum Evangelium: „

„ Primum EIMBECK, unde venit illa laudata cerevisia Eim-„ beccensis. Missa fuit ad me honesta legatio, & misimus eo „ duos optimos Prædicatores. „

„ Deinde GOTTINGEN, consensu Senatus & civium. Quo „ primum Brunsvicenses mei miserunt optimum virum ad præ-„ dicandum, deinde Landgravius Adamum Fuldensem, ut illis „ Ordinationem ecclesiasticam conscribat. „

„ Tertiò civitas MINDEN, cujus incolæ mandaverunt Epis-„ copo jam electo, se libenter passuros, quò ipsis cohabitet, „ modo ipsi Evangelium Christi cohabitare illis permittat, alio-„ quin se Evangelium sine Episcopo habituros. Quidam judi-„ cant Episcopum ad hæc libenter connivere, quod fortasse no-„ rit Evangelii veritatem. „

„ Quartò in Westphalia civitas HERFORDIA; ubi hacte-„ nus ita prædicatum est Evangelium, ut Prædicatores omni „ hora nihil aliud sperarent propter Christum, quam enectio-„ nem, quando intellexit Doctorem quendam prædicatorem vel-„ le se deferere, convocat Senatum hactenus verbi adversarium, „ & coit ipsa tota in concordiam pro Evangelio sancto. „

„ Quintò & ipsa GOSLARIA hactenus tumultuata cœpit „ melius habere, atque adeò etiam nobis operam promittere. „ Hinc Syndicum sibi avocavit M. Johannem Lubecanum, quem „ nosti, qui futurus est Doctor propter eos. „

„ Hæ omnes sunt liberæ Civitates. Deus curet pro eis, id „ quod rogandus est, ut mittat operarios in messem suam, ut-„ que evertat pestes illas pestilentissimas Sacramentariorum & „ Anabaptistarum. Amen. „

„ Sextò LUBEK quæ magna civitas est, & inter Saxonicas „ valde potens, quotidiè bis prædicans Evangelium, & since-„ re, & ante & post prædicationem canens nostra Germanica „ cantica. Orandum pro eis, ne in seditionem ruat civitas, id „ quod minimè futurum spero. Adeo clementer cœpit illic suum „ negotium divina misericordia. „

„ Septimò Dominica post Purificationis, vulgus civitatis „ LUNEBURGENSIS in ecclesia sancti Nicolai, post prædicationem, nescio quam, cœpit canere & perfecit cantum: „ *Ach Gott vom himmel sieh' darein* &c. Quid verò ibi velit efficere Deus, nondum scimus. „

„ Brevi verò speramus plura hæc Christi bona de fratribus „ nostris, adhuc errore vinctis, nos audituros. Papistæ minantur nobis mala, quæ nos ignoramus. Hæc autem bona nostra „ scimus & gaudemus. Impius videbit & noscet, dentibus suis „ fremet, & labescet. Desiderium impiorum peribit. Amen. „

Colophonis instar huic Capiti subjungimus *Ph.* MELANCHTHONIS narrationem de *Simone Grynæo*, tum Theologo Heidelbergensi deinceps Basileensi, ex præsenti, quod *Jo. Faber* Viennensis ipsi struebat periculo, divinitus erepto: Ea reperitur in Comm. Melanchth. ad Cap. X. Danielis Oper. Tom. II. fol. 476. „ In Conventu Spirensi, qui fuit anno 1529. forte ad me ex Academia „ Heidelbergensi exspatiatus erat (Grynæus). Ibi cum Fabrum „ Viennensem Episcopum audiisset in concione quosdam tetros errores defendere, sequitur egredientem ex templo, ac reverenter „ salutat. Postea narrat se non petulantia aliqua, sed bono studio „ moveri, ut quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium. „ Ibi Grynæus dolere se ait, quòd vir instructus doctrina, &. „ antecellens autoritate, confirmet errores palàm contumeliosos „ adversus Deum, & quos constet manifestis testimoniis antiquitatis Ecclesiasticæ refutari posse. Scribit Irenæus Polycarpum „ solitum aures obstruere audientem portentosos errores fanaticorum hominum. Quo te animo, putas, audisset jam Polycarpus disserentem. Quid mus comedat arrodens panem consecratum? Quis non deploret Ecclesiæ tenebras? Interpellat „ Faber plura additurum, ac interrogat nomen. Nihil dissimulat hic, sed placide fatetur se Grynæum esse. „

„ Erat omnino Faber, ut multi norunt, flagitiose timidus „ in congressibus doctorum, vel potius erat, ut veteri proverbio „ dicebatur, Nullus, magnus, malus piscis, id est, pavidus, „ procerus, insidiosus & infans. Quare cùm Grynęi eruditionem, eloquentiam, copiam, ardorem animi, præsertim in tali

„ cau-

„ causa metueret, simulat se à Rege (Ferdinando) vocatum esse, „ nec esse nunc ocium ad disputationem de re omnium maxima „ pertexendam. Simulat se maxime cupidum esse & amicitiæ Grynæi & colloquii longioris. Et cum sua causa, tum propter Rempublicam, orare incipit, ut cras ad se redeat, monstrat hospitium, & horam constituit. Grynæus serio hæc dici putans non „ gravatim promittit. „

„ Relicto igitur Fabro ad nos recta accedit. Vix adsederat mensæ, jam enim cœnæ tempus erat, & recitaverat partem disputationis mihi & aliis. Cùm ego adsidens ad mensam; subitò „ ex conclavi evocor. Hic me, nescio quis Senex, singularem „ gravitatem vultu, oratione & vestitu præ se ferens, nec quis „ fuerit unquam rescíscere potui, alloquitur, ac narrat, mox adfuturos esse in hospitio nostro lictores, missos jussu Regis, apud „ quem Faber Grynæum accusasset, ad abducendum Grynæum „ in carcerem. Jubet, ut statim ex urbe discedat, ac hortatur „ ne contemur. Ita dicta salute Senex abit. „

„ Ego ad sodales redeo, jubeo ut surgant, ac narro quid Senex „ nunciarit. Mox per publicam plateam deducimus Grynæum „ acceptum in medium agmen, & ad Rhenum pergimus, ubi „ nos in ripa citeriore tantisper restitimus, donec in alteram ripam Grynæus cum suo comite in parua cymba transvectus est. „ Postea reversi in hospitium intelligimus statim adfuisse lictores, „ cum nos exiguo spacio ab ea domo progressi essemus. „

„ Quanto autem in periculo futurus fuerit Grynæus, si in carcerem abreptus esset, ex Fabri sævitia, facilè æstimari poterat. „ Quare judicabamus consilium illud crudele illusum esse divinitus. Et ut affirmare non possum, quis fuerit ille Senex μηνυτὼς, „ Ita lictorum ea fuit festinatio, ut nisi ab Angelis tectus fuisset „ Grynæus, evadere non potuisset. „

„ Rem autem ita gestam esse, ut narravi, certum est, & norunt quidam boni viri adhuc superstites, qui adfuerunt. Agamus igitur gratias Deo, quòd nobis custodes Angelos addit, & „ eò tranquillioribus animis vocationis officia obeamus. „

SECTIONIS I.

Caput II.

DE PROGRESSU REFORMATIONIS IN HELVETIA, ab Anno 1520—1530.

§. LXXXVIII.

Hæc ferè de primis Evangelii renati per universam Germaniam successibus, quanta, fieri potuit fide ac diligentia rebus in Annalium formam redactis, exposuimus, quæ si cui pluribus, quam res poscat, prosecutus esse videar, is velim ex adverso consideret ipsam causam & gravissimam esse & momentosissimam, neque adeo nostrum fuisse coarctare, quæ Deus ipse nobis largiter indulsit beneficia, quibus Evangelica veritas, tanquam Palladium cœlo demissum ad plures, qui antehac in tenebris papalibus micabant, prolata est. Nunc itaque de *Reformatione* HELVETICA ut propius dispiciamus, operæ erit pretium, sed ita ut prius acervatim quædam de prioribus annis sint commemoranda, antequam in justam formam Res Reformatæ essent redactæ, quando ab A. 1523. & deinceps denuò Annalium rationem habebimus, atque res circa Evangelii progressum gestas cujusvis anni, ex genuinis eruemus documentis.

Apud BASILEENSES, cum primum in scenam prodiret Lutherus, viam Reformationi jam fecerat ERASMUS, per editionem Textus Græci Novi Testamenti, cui nitidius in lucem proferendo, quod tum jam operam navaverit *Jo.* OECOLAMPADIUS (a) ex ejus postfatione, quæ editioni primæ annotationum Erasmi est subjuncta, patet; Eundem verò illum OECOLAMPADIUM Urbis Basileensis, totiusque Helvetiæ unà cum Zwinglio Reformatorem nobis ea quæ in sequentibus tradentur, sistent. Aderat præterea *W. F.* CAPITO (b), qui per integrum

grum

(a) vid. *Introd. nostr.* §. LVI. pag. 119.
(b) vid. *Introd.* §. LV. pag. 117.

grum quinquennium, antequam Moguntiam contenderet, (quod A. 1520. factum est.) Matthaei Evangelium apud Basileenses jam purè (a) explicaverat, & *Casp.* HEDIO, cui jam A. 1515. lauream doctoralem Academia dederat Basileensis, aliique quamplurimi, iique optimi, qui Zwinglio mirum in modum favebant (b); Neque deerant, qui Lutheri scriptis admodum delectabantur (c); Et extat *W. F.* CAPITONIS ad Lutherum Epistola (d) A. 1519. data, qua is de suo & aliorum in Lutheri caussam & personam faventissimo testatur animo, eique jam tum, si forte periclitaretur, tutum promittebat asylum. Nam & *Johannem* LUTHARDUM Lucernanum, intra spatium annuum apud eosdem Basileenses Evangelii Matthaei enarrationem absolvisse

Ff 3 PEL-

(a) Sic enim HEDIO ad Zwingl. A. 1520. „ Capito --- jam quotidie „ annunciat Evangelium κατα Ματθαιον, frequentissimo auditorio: Efficacissima est doctrina Christi, penetrat, inflammat animos ------ Induxi „ animo meo, ubi dimiserit Capito Evangelium, quod illic ego velim „ incipere ---- adeo afficior sana doctrina, tametsi monachi quidam & „ Mataeologi non verentur clamare in publicis concionibus, minimè obtemperandum illis, qui dicunt summam rei Christianae in Evangelio & „ Paulo esse. „ ap. HOTTING. Sec. XVI. p. II. p. 382. & ipse CAPITO de se, apud SCULTET. Annal. p. 67. ita: *Hic*, scribit, *res semper in melius vergit, Theologi & monachi nobiscum faciunt. Enarranti modo Mathaeum operam dat auditorium frequentissimum. Lutherio quidam dira minantur. Sed receptior est opinio, quam quae ulla vi queat evelli. Sunt qui me favoris Lutheriani reum agant: tametsi sedulò dissimulo.*

(b) Sic Hedio ad Zwingl. 1519. scribebat: *Nemo est hic bonorum, qui Tibi non optet, ut valeas, de corpore loqnor; Non enim ignoramus* te *animo valere*, &c. apud HOTTING. Sec. XVI. Tom. II. p. 380.

(c) Huc illa *Frobenii* ad Lutherum 1519. data pertinet Epistola, de qua in *Introduct.* §. XCVIII. p. 234. egimus, quaeque *Miscellaneis Groning.* Tom. III. p. 60. seq. inserta legitur. Quid? quod ADOLPHUS, Medicus Schaphusanus A. 1521. jam ad Vadianum scripserit: *Basileae & Friburgi viros doctos omnes esse Lutheranos*, id est, *bonos Christianos* ap. HOTT. Helv. K. G. p. 63.

(d) vid. SCULTET. Annal. Dec. II. p. 44. & *Introd. nostr.* §. CIX. p. 260. Nam idem ille CAPITO in Ep. MSS. A. 1518. d. 18. Kal. Januar. ita scribebat ad J. Eckium: *Neque enim omnia Lutherii amplector, qui nunc Paulo deditissimus, quotidie comperio, ex quibusnam fontibus hauserit novitatem* &c.

PELLICANO docente (a) novimus. Ne *Gulielmum* REUBLINUM commemoremus, qui A. 1521. Pastor cum esset Basileensis, maximo cum applausu, ordinario inter 4000. auditores (b) Evangelium annunciasse dicitur, Romanam idolomaniam impugnando, & docendo, in Christi morte vitam esse quærendam; quanquam cum molestias cierent clerici, is paulo post, invito populo & reclamante, (c), à Senatu dimitti debuerit.

Nicolaus HAGÆUS Solodurienssis, atque *Oswaldus* MYCONIUS, qui in schola atque civitate LUCERNENSI tum Evangelium prædicabant, de semine Evangelii & apud ipsos sparso, sed brevi post suffocato, testimonium perhibent: Prior certè, cum apud Lucernenses versaretur, jam A. 1520. ita ad Zwinglium (d): *Video passim*, scribit, *eos, qui veræ pietatis ac bonarum literarum studio ducuntur, de tali homine sibi gratulari, quod quidem cum omnes meritissimè faciant, nullos tamen id facere æquè par est atque Helvetios, quod habeant, qui eos cœlum doceat - - -* Et deinceps: *Nutrivit hactenus Helvetia Scipiones, nutrivit Julios, Brutos. Vix unum aut alterum edidit, qui verè sapiat Christum, qui doceat Evangelium, qui imbuat tenellos puerorum animos, non spinosis istis ac rixosis, sed veris ac sanis literis, donec Numinum providentia Zwinglius, Helvetiæ Orator datus est, & Myconius rudis pueritiæ formator. Nunc probitas, honestas, justitia, imò Evangelium, quod diu sub tenebris latuit, reflorescit, renascuntur bonæ literæ. Quid jucundius, quid dulcius, quid salutarius Evangelio? Quid denique sanctius? Nihil nisi Christum spirat, in quo piæ mentes ipsum Christum, veluti loquentem venerantur, hominesque multò alienos ab his Mundi dotibus efficit, aliósque reddit, quàm anteà fuerint.* Posterior, sive MYCONIUS ipse (e), hunc in mo-

(a) PELLIC. in vita sua MSS. pag. 40. ap. Hotting. Helv. K. G. pag. 54.
(b) v. HOTT. l. c. p. 63. Est is idem ille, qui si *Balthasarum Trachselum*, Curatum Artensem in ipso Switensi tractu excipias, primus inter Helvetios Sacerdotes matrimonium contraxit legitimum. v. *Introd. nostr.* §. CXVIII. pag. 288.
(c) URSTIS. in Chron. Basil. VII. 11.
(d) vid. HOTTING. Sec. XVI. T. II. p. 306.
(e) HOTT. l. c. p. 336.

modum: „ Clamatur hîc per totam civitatem (Lucernam) Lu-„ therum comburendum & Ludimagiſtrum (Myconium), cum „ nihil quicquam de illo dicam niſi apud meos, idque rariſſimè, „ neque ex eo vel unicam ſententiam depromam, quamvis ſciam, „ quare Luthero me ſemper adjungant. Dico in ſcholis, quæ „ ſunt Evangelica. Dico item, ubicunque res efflagitat, præ-„ terea nihil. Sed quia hæc cum iis conſonant, quæ ille habet, „ in plerisque locis putant, ex Luthero eſſe, quæ ſunt ex Evan-„ gelio. „ Cæterum præter eos, quos dixi, *Joh.* XYLOTEC-TUS (Zimmermann) quoque Patritius Lucernenſis & Canonicus Lucernenſis & Beronenſis, Vir apud ſuos honoratiſſimus, Reformatæ religionis erat aſſecla, & ſingularis cum Myconii, tum Zwinglii amicus (a), quem ingrata tamen, atque ſuperſtitioni nimis immerſa deinceps, propter religionem ejecit Patria, ut in exilio apud Baſileenſes A. 1526. peſte correptus diem ſupremum obierit. Erat deinceps *Jodocus* Lucernanus Præco & Canonicus, KILCHMEIERUS nomine, qui pro cauſa Evangelii, patrocinio præſertim conjugii Clericorum, extremum ſubiit diſcrimen. (b)

Enimverò de *Oswaldo* MYCONIO, ut paucis verbis diſpiciamus neceſſe eſt, quod ejus in Reformationem Helveticam in primariis urbibus *Tigurina*, *Baſileenſi* & *Lucernenſi* merita fuerunt eximia, atque ut minimè obliterentur, digniſſima. Proprium ejus nomen erat *Oswald Geisheuſer*, ſed quod Erasmus pro illorum temporum more in illud *Myconii* transmutavit; Virum hunc eruditione non vulgari & acri judicio, Lucerna protulerat A. 1488. & Baſilea formaverat, ubi ſub umbone Erasmi & H. Lor. Glareani, ſtudiis operam dederat. Tigurini verò eundem primò per integrum triennium ludo ſuo literario præfecerant, ejusque conſilio & auctoritate, quod Zwinglius A. 1518. Tigurum vocatus

(a) vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 350. Hujus quoque mentionem facit *Jo. Clivanus* ſive *Collinus* in vitæ ſuæ deſcriptione, vid. *Miſcell. Tigur.* T. I. p. 4. eumque appellat *patriæ ſuæ & religionis unicum decus.*

(b) Id quod ex ejus ad Zwingl. epiſtola patet apud HOTTING. l. c. p. 352. conf. *Introd. noſtr.* §. CXIII. p. 270.

tus fuerit, jam à nobis est observatum (a): Tiguro autem ad *Lucernenses*, ut apud eos quoque scholam moderaretur civicam, abierat. Apud hos itaque cum versaretur, ejus juventuti informandæ pariter atque strenuè promovendo Evangelio operam navabat, sed, uti ipse scribit (b) *inter lupos rapacissimos*; Suntque ejus notabilia prorsus ea de re ad Zwinglium verba, quibus testatur, *quod totus sit in mœrore ob quotidianas adversariorum infestationes*, atque inter alia *de Primatibus Civitatis* evangelio infestis conqueritur, hunc in modum: „ Non ita longè ante hanc diem „ vocabar à Dominis meis (c), prohibebarque, ne Lutherum „ discipulis legerem, ne nominarem, imò ne in mentem eum „ admitterem, qui tamen neque in scholis neque in ore mihi un„ quam fuerat, nec etiam in animo, eo pacto, ut aliquid vellem „ infundere. Quid enim illo opus, habenti Evangelium? Quid, „ habenti Paulum, aliaque Novi Testamenti quæ sunt? „ Cæterùm, non paucos A. 1522. Lucernæ fuisse, quibus & Erasmi scripta & Lutheri commentaria & piorum pro libertate Christiana placerent consilia, eodem adhuc anno prolixè monet idem ille noster MYCONIUS data, ad Zwinglium Epistola (d); Quum verò hoc talo res Lucernenses ineunte & progrediente Anno 1522. starent, adulto tamen eodem anno vicesimo secundo in pejus eædem prolabi eousque, ut Myconius auctoritate Senatus expelleretur, sedemque mutare cogeretur. Quod cum is Zwinglio se ipsi commendaturus perscriberet (e), ille, ne suo deesset officio, ad patientiam primò Myconium hortatur, simul verò ad constantiam

(a) vid. *Introd. nostr.* §. XLIX. p. 106. Quanti ipsum jam tum fecerit ERASMUS ex singulari ad ipsum data A. 1518. d. 26. Augusti patet epistola, qua eum compellat, *tanquam qui literarium decus Helvetiæ jam olim armis inclytæ vindicet, & quod effusissimè eundem amet*, profitetur.

(b) Ep. Mycon. ad Clivanum XII. Kal. Dec. 1520. ap. HOTT. Helvet. K. G. p. 53. *Vivo inter lupos rapacissimos. Illud tamen in ea re mihi succurrit, quod plerique sunt edentuli. Morderent, si possent. Verum quia non possunt, quod inprimis possunt, latrant.*

(c) apud HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 338.

(d) apud HOTT. l. c. p. 343. seq.

(e) apud HOTT. l. c. p. 346.

tiam & prudentiam in negotio tam arduo: Estque inter alia ejus consilium in eadem (a) illa Epistòla prorsus memorabile, atque dignum, quod hic apponatur: - - - - „ Ut senatum adeas, ac „ illic orationem habeas, Christo & Te dignam, id est, talem, „ quæ illos compungere possit, non concitare, quæque nullos „ perstringat, non solum nomine, sed nec ulla suspicione: Lu- „ theranum te esse neget; sed Christianum esse adserat, fidem „ docendi testetur, non tam quod Helvetius sis & Lucernanus, „ sed quod nunquam nusquam non docendo fidelissimus repertus „ sis, id quod amor in Te discipulorum tuorum testetur, qui „ etiamnum sponte sua adsint, senatum oraturi, ne se jam initia- „ tos deseri patiantur. Atque puerorum hic manum habebis, „ quantum fieri potest, maximam, è quibus intrepidè verbum „ faciat, civis elegans, doctus, cordatus, breve tamen, quale „ tuum quoque erit: orationem, inquam, habeat, quâ & quan- „ tum urbi aliquando profuturi sint, modo Te ducem habe- „ ant, testetur, & quantum desidiæ daturi sint, si te priventur. „ - - - - - - Lucerna non est, nisi summo periculo cogente, de- „ serenda: Fer interim, ac si id nescis, disce ferendo. Scio ta- „ men te scire, ac nisi me fallit opinio, ferendo docebis alios „ aliquando tuo etiam exemplo. Adde, quod *Xylotectus* deseren- „ dus non est. *Jodoco* verò perierit dimidium solatii, qui tamen „ omnes simul Christi jugum suave esse docebunt, cum dabitur „ occàsio. „

Quidquid sit, Eventus docuit, quam non apud *Lucernenses*, sed & apud *Tigurinos* porrò atque *Basileenses*, Myconii operâ Deus uti voluerit; Is enim *Lucernâ* A. 1523. reversus, *Tigurinæ* scholæ denuò præficiebatur (b), in omnibus Huldrici

Gg Zwin-

(a) apud HOTTING. l. c. p. 349.

(b) vid. ZWINGL. Epist. quam ad ipsum dedit, ut eum ad Tigurinos reducèret apud HOTT. l. c. p. 354. ubi inter alia, „ Versaberis, „ scribit, inter Tuos *Utingeros*, *Engelhardos*, *Rhegios*, festivissimos senes. Inter *Erasmos*, *Zwinglios*, *Megandros*, viros minimè pœnitendos. Inter *Grebelios*, *Amanos*, *Binderos* candidissimos & doctissimos „ adolescentes. Aderit etiam tandem immensis istis viribus suis rugiens, „ ac justitiam sitiens *Leo*, Teucro minor, sed Ajace fortior. &c.

Zwinglii paraſtata & fidus aſſecla, usque dum A. 1531. cum Zwinglius acie occubuiſſet, atque literarum cultores à multis civibus negligerentur, ad *Baſileenſium* cathedram pariter atque ſuggeſtum A. 1532. eveheretur, apud quos usque ad annum *quinquageſimum ſecundum* per integros viginti annos Antiſtitis munere functus in ipſo ſuggeſtu apoplexia eſt correptus & non diu poſt ſupremum diem obiit: Scripſit is *Commentarios in Poëma Glareani de ſitu Helvetiæ*; Præterea, *Suaſoriam ad Helvetiæ Sacerdotes, qui Tigurinis malè loquebantur, ut malè loqui deſinerent* 1524. 4. In *Evangelium Marci* piam Expoſitionem. *Pſalmorum* quorundam *enarrationes*, & in *Prophetas aliquos commentaria* cum aliis hujusmodi; Nam & ejus eſt Præfatio præmiſſa commentario Jo. *Oecolampadii* in *Prophetas minores*, ex qua ejus de fide vera & ſalvifica excerpere juvat ſententiam his verbis conceptam: „ Docet (religio ſana) quanam ratione miſerationis Dei & meriti „ Chriſti poſſimus fieri participes, ut in hoc mundo ad nutum „ illius agentes, poſt mortem vivamus in æternum; Hic verò „ contra omnem rationis humanæ captum non legem aliquam, „ non opera legis, ſed unam fidem proponit Jeſu Chriſti, ut ex „ qua proveniat, quæ ſit ſervatura, juſtitia. Sed ejus fidei talem monet eſſe formulam, ut quæ miſericorditer à Deo conceſſa regeneret hominem, ex veteri novum, ex peccatore juſtum, ex iræ filio filium Dei conſtituens: quæ faciat omnium „ quæ promittit in poſterum (è quibus eſt regni cœlorum hæreditas) ſpem non confundentem, quæ per charitatem inſeparabiliter agnatam operetur ſponte quicquid eſt legis ſpiritualis „ Dei. Atque hanc appellat fidem juſtificantem, ut eſt, & ſola „ quidem: nam ſpem & charitatem naturaliter, ſi vera fuerit, „ habet adjuncta. Sola nempe certificat de remiſſis propter Chriſtum peccatis, id quod nulla penitus opera valent: atque ita „ conſcientias hominum tranquillas reddit, qui finis eſt juſtitiæ „ fidei. Ex quibus clariſſimè patet, juſtificationem veram hominis eſſe ex gratia Dei per Chriſtum, qui gratiarum theſaurus eſt & pignus, condonatam: vocari autem & eſſe fidem. „ Hac igitur habita juſtitia nihil poteſt eſſe certius, quod dum „ verum, quid certius ſalute? „ Eſt is idem ille, qui de vita & obi-

obitu *Huldrici Zwinglii* libellum conscripsit, Epistolis Zwinglii & Oecolampadii præfixum, *quique*, uti habet epitaphium ipsi à *Christ. Urstisio* conscriptum (a) *nunquam à vestigiis Oecolampadii, cujus in cathedra & suggestu Basileensi successor erat, recessit*, uti is Confessionem *Helveticam Glossatam*, sive invariatam (b) non semel publicavit, & in Constantiensi A. 1534. æque ac in Basileensi A. 1536. conventu firmiter eidem inhæsit; Ut quomodo vel ab *Henrico Pantaleone* (c), vel à Doctoribus quibusdam Lutheranis (d) incusari potuerit, quasi is non solummodò cum Lutheri asseclis in causa Eucharistica senserit, verùm etiam, quasi is propterea quod Lutheranismi suspectus esset, se à munere suo abdicaverit, privatamque egerit vitam, ignoremus; Est enim ipsi muneri Pastorali (e) in quo usque ad vitæ finem A. 1552. perseveravit, immortuus, cum paulo ante in ipso suggestu apoplexia correptus esset; Extant vero luculenta ejus non solum in libello *de vita & obitu Zwinglii*, sed & in variis *Epistolis* ad Bullingerum (f) & alios datis, porrò in variis diverso tempore habitis *conci-*

(a) vid. ZWINGER. Tractat. de S. Cœna dn. nostri J. C. ling. Germ. pag. 174.

(b) Quare *invariatam* eam dicamus, videre est apud Zwingerum loc. cit. p. 74. sq. Est enim ea Confessio Basileensis A. 1529. confecta, certis quibusdam glossis marginalibus instructa, quas si demas, *Variatam*, si omnino addas, *Invariatam* meritò appellaveris.

(c) vid. PANTAL. Prosopogr. T. III. p. 223. conf. Adami in ej. vita, qui Pantaleonis errorem sequitur.

(d) vid. Lexic. MENKENIAN. T. II. p. 287.

(e) Interea tamen, cum is Doctoris titulum aversaretur, factum est, ut simul Professione (erat enim Prof. N. T. in Oecolampadii locum declaratus, 1532.) exueretur circa annum 1541. atque solum Pastorale abhinc munus retineret.

(f) Unicus ille locus in Ep. MYCON. ad Bullinger. A. 1534. data in collectione FUESLINIANA p. 154. totam hanc causam conficere potest: „ Utcunque sit, in hac ego sum sententia, Lutheranos pudere suæ „ opinionis, & effugium non habere, nisi verborum illorum, substantivè „ & essentialiter, non quantitativè & qualitativè, aut localiter, obscuri- „ tatem & perplexitatem! Quod si Oecolampadius & Zwinglius (loqui- „ tur de colloquio Marburgensi) consenserunt, id factum existimo, ut „ ani-

cionibus (a) itemque in *præfatione ad Oecolampadii comment. in prophetas minores* testimonia, quam is firmiter doctrinæ puriori inhæserit, neque à recepta semel sententia se abduci fuerit passus. Cæteroquin eum fuisse virum literatissimum CAPITO testatur in literis A. 1520. ad ipsum datis, ubi, *Amplector*, inquit, *hominem ut quam maximè*, *propter raras literas*, *& pectus masculum Christo dignum.*

Atque hæc quidem de Evangelii restaurati apud *Lucernenses* primordiis, quibus addi merentur, quæ de concionibus A. 1522. Lucernæ publicè habitis adversus Pontificem ejusque Monarchiam Ecclesiasticam nobis referuntur, quippe quæ commercio cuidam Epistolico dederunt ansam inter *Conradum Fabricium*, commendatorem Kussenacensem (b), & inter *Johannem Bodler*, Plebanum Lucernanum, quorum prior causam Christi, posterior causam Pontificis agebat; Sed ita ut non obscurè liqueat, cuinam parti adjudicanda sit victoria, modò non ipsi Lucernenses Evangelio obstitissent, lucique exorienti offudissent tenebras, necdum à capite ipsorum dispulsas.

§. LXXXIX. *Berchtoldus* verò etiam HALLERUS jam circa annum 1520. apud BERNENSES Canonicum simul & concionatorem agebat, atque à scoriis purgatum annunciabat Evangelium, eaque in re socium habebat & collegam *Sebastia-*

„ amiciores digrederentur. Quamvis dum recte considero, quod signum
„ Lutherus deinceps dedit amicitiæ? Prævaricator pacti, nonne scripsit
„ hostilissime de Zwinglii opinione ad Comitem, Marggravium, inquam,
„ Brandenburgicum? ---------- Ego nescio, quid superbiæ & perfidiæ notare soleo in Lutheranorum animis, id quod exemplum Lutheri
„ modo dictum satis arguit. „ Et quanquam videri quodammodo posset eum A. 1543. à quibusdam Lutheri asseclis in eam deductum fuisse sententiam, quasi *corpus Christi verè interesset S. Cœnæ*, *& corporaliter sumeretur à cœnantibus*, ratione licet ineffabili, notari tamen debet, eundem vel ea propter meliora fuisse edoctum à BULLINGERO in Ep. ad ipsum data, quæ legitur in *Bibl. Brem.* Class. III. p. 1092, 1093. sicque in veritate pristina, quod ipsum edocet epitaphium, esse confirmatum.

(a) vid. ZWINGER. in tractatu cit. p. 175——186.

(b) vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. V. p. 26. sqq. qui commercium illud epistolicum nobis conservavit.



BERCHTOLDUS HALLERUS NAT. 1492. DENAT. 1536.

Hallerum, natum Roterilæ, Berna vocavit
Hinc Bernæ antistes, et decus urbis erat.
Vir Sacer, ætate, et doctrina Zuinglius alter
Restituit fidei dogmata vera gregi.

baſtianum MEYERUM (a) Theologiæ Doctorem & Eccleſiaſten Bernenſem, quo factum eſt, ut *Bernenſium* animi paullatim emollirentur, atque ne Tigurinis amplius moleſtiam faceſſerent, informarentur, quippe cum Bernenſes primis annis ipſi Zwinglio, quod vidimus (b), vehementer eſſent infeſti; Erat autem *Hallerus*, præterquam quod mirifica eſſet ejus morum integritas & eximius candor, ad obeundum munus concionatorium omnibus inſtructus cum naturæ tum eruditionis donis, quæ ipſi mirificum apud ſuos conciliabant favorem: Neque *Sebaſtiano Meyero* virtus deerat aut vigor, veritatem ſemel cognitam, inculcandi, atque proferendi ad plures: *Hallerus*, quoties opus erat, ſiquidem initia Reformationis erant difficilia, ipſeque trimidiuſculo erat animo (c), Zwinglii fidem & dexteritatem implorare non negligebat, & viciſſim à Zwinglio mirum in modum erigebatur & corroborabatur (d). *Meyerus* verò etiam multis modis fidum ſe gerebat paraſtatam, atque cum aliis tum ſibi in dies magis magiſque Evangelii januam aperiebat, cujus rei teſtis eſt libellus quem is (e) A. 1524. ad inclytam Argentinenſiam Rempublicam typis deſcriptum miſit, quo quæ quondam in Papiſmo docuerat, retractat & ex verbo Dei convellit, nihil veritus voculas malevolorum & calumniatorum.

Gg 3 Ipſa

(a) Utriusque biographiam lingua Helvetica nobis dedit Cel. SCHEURERUS Th. Profeſſor. Bernenſis 1740. 8. conf. *Valer. Anſelmus* apud SCHEURER in vit. *Halleri* p. 334, 335. Certe inter Epiſtolas Zwinglii & Oecol. L. I. fol. 38. jam reperitur Zwinglii Epiſtola ad Hallerum & Bernenſes 1521. data, in qua ſalutari jubet Vadivillium, Lupulum, Trempium Episcopum Hœſtetteritz. omnes.

(b) v. *Introd. noſtr.* §. CXIX. p. 288, 289. & RUCHAT. Lib. II. p. 145, 146.

(c) v. RUCHAT. p.107. SCULTET. p.131. SCHEURER. p. 336.

(d) Sunt memorabiles ZWINGLII ad Hallerum literæ d. IV. Kal. Januarii 1522. datæ, & Tomo I. Operum Zwinglii p. 415. itemque Epiſtolis Zwinglii & Oecolamp. L. IV. p. 189, 190. inſertæ, quas in monumentum pietatis Zwinglianæ, unà cum Halleri Reſponſo ex HOTT. H. E. Sec. XVI. p. II. p. 324. ſeq. lectori benevolo inter documenta huic volumini ſubjecta num. XIII. communicabo.

(e) v. SCULTET. Annal. ad A. 1524. p. 216. conf. §. LV. p. 127. & SCHEURER. lib. cit. p. 206, 207.

Ipsa saltem civitas BERNENSIS A. 1523. inter reliquas Helvetiæ civitates, post Tigurinam (a) omnium prima d. XV. Junii edictum publicat in causa religionis, cujus summa hæc erat (b) „ Cum discrepantes de fide sententiæ audiantur pro concione, & „ alii in alios fulminent, velle Magistratum, ut concionatores „ unum omnes Evangelium, hoc est, doctrinam à Deo revela- „ tam; & quæcunque ex Scriptis propheticis & Apostolicis de- „ fendi possint, in clara luce suorum auditorum enuntient: Quic- „ quid autem Scripturis sacris adversatur, sive illud à Luthero, „ sive ab aliis dictum, scriptumve sit, ne attingant. Seditiosa „ ne loquantur: Qui secus fecerint, iis pœnam justam decre- „ tam. „ Quanquam etiam eodem anno apud Bernenses, sed à reliquis pagis ibi congregatis adversus Zwinglium (c) grave admodum esset factum decretum. Atque hæc quidem de Civitate Bernensi.

Jam quod *agrum* concernit *Bernensem*, fuisse in agro Bernensi singulari modo Evangelii causam promotam discimus per *Georgium Brunnerum* Landsbergensem, Diaconum Decani Minsingensis, quippe qui disertis verbis *Papam Romanum* propter characteres Antichristi in Apocalypsi obvios edicebat *esse Antichristum*; Quæ res singulari inquisitioni, atque instituto auctoritate Ill. Senatus Bernensis colloquio publico dedit ansam, in quo tamen ita justificatus, quod solo Dei verbo doctrinam suam inniti demonstrasset, triumphavit Brunnerus, ut Senatus decretum ferret, „ eum non solùm plenè ad quæsita ab adversariis respon- „ disse, verùm etiam, eum dignum fuisse declaratum, qui in „ officio ministerii sacri pergeret. (d)

Sed

(a) Tigurini enim jam A. 1520. ejusmodi decretum publicaverant, v. *Introd. nostr.* §. LXI. p. 264.

(b) v. SCULTET. annal. ad a. 1523. p. 165. Ipsum verò edictum originale nuper ex tenebris erutum nobis suppeditavit Cl. SCHEURER. in vita *Seb. Meyeri* p. 180——183.

(c) v. *Introd. nostr.* §. CXIX. p. 288, 289.

(d) Hæc omnia cum breviter à J. H. HOTTINGERO in Sec. XVI. P. II. p. 88, 89. essent ex B. Halleri epistola anecdota enarrata, tum nuper Cl. SCHEURERUS uberius eadem ex *Valer. Anselmo* atque aliis instruxit, in vita *Seb. Meyeri* ab ipso edita p. 151——162.

Sed & *Joachimus* VADIANUS ex familia nobili San-gallensi prognatus, hoc ipso tempore, vel paulò post, Viennensem in qua versabatur Academiam relinquens, atque patriæ inserviendi studio tactus ad SAN GALLENSES se contulit, atque Reformationis negotio manum adjecit, prosperrimo gavisus successu, quod Senatoria atque deinceps Consularis, qua in patria fulgebat, Dignitas magnam ipsi in promovendo hoc negotio conciliaret auctoritatem.

Neque verò deerant in urbe CONSTANTIENSI jam tum, qui vel Evangelium promoverent, vel ipsi Reformationis successui viam pararent; Ne jam *Joh. Wannerum* commemoremus Ecclesiasten primò Kausbeyerensem, deinceps Constantiensem, qui mature satis propter purioris religionis amorem in odium incurrit publicum, atque inter alia tamen hæc plena fidei ad Zwinglium verba scripsit (a): *At me hæc non turbant: Malo enim esse Christianus cum multorum invidia, quam relinquere Christum propter mundanorum amicitiam.* Nam & *Windnerus* & *Mezlerus* Evangelio favisse dicuntur (b) & cumprimis *Thomas* & *Ambrosius* BLAURERUS & *Sebastianus* HOFMEISTERUS, quorum priores ex nobili Constantiensium familia, posterior Scaphusanus erat; Et sunt notabilia Hofmeisteri A. 1520. data ad Zwinglium verba: *Amant* (c) *te hic* (Constantiæ) *multi eruditissimi viri, quibus Te, sæpe Tuæ eruditionis mentionem faciens conciliavi. Hortantur, pergas uti cœpisti. Cæterum quod ad me attinet, simul hortor, ut pergas, modò severitatem illam Tuam in Religiosos parum rescindas, quibus iniquior videris, quanquam meo judicio non sis, quam ista nostra secula patiantur. Scio, scio, mi Huldrice, omnes (religiosos scilicet) à suo instituto longè decidisse, humana esse figmenta, omnes religiosorum cerimonias, injustissimis causis à Romanis Pontificibus, auctas firmatasque, agente Dæmone, & nostris criminibus demerentibus: Sed sustine parum, donec in melius resipiscat mundus. Quare, quantumvis vera dicas, majorem, tamen, quam pro re severitatis speciem præbent, populo rudi adhuc, & secus edocto à superstitiosis illis Magistris Satanæ, hoc est, Aristotelicis.* Enim-

(a) apud HOTTING. Sec. XVI. T. II. p. 443.
(b) ap. HOTT. Helv. K. G. p. 71.
(c) ap. HOTT. Sec. XVI. T. II. p. 398.

Enimverò ex hisce apparet, quam ferventius aliquantisper in denudandis & corripiendis ecclesiasticorum vitiis progressus fuerit Zwinglius, cum Sebastianus è contra fervorem hunc per sermonis amœnitatem temperandum, ac tempori inserviendum esse judicaret, atque lento gradu procedendum esse præciperet; Sed & patet, quam non defuerint apud *Constantienses*, qui Evangelio verè faverent, causæque Zwinglii in repurgandis sacris adhærescerent.

§. XC. Erat hoc tempus, quo ab una parte Pontifex Ro. sub prætextu instruendi adversus Turcas belli, auxilia petere ab Helvetiis atque militem conscribere per legatos suos tentabat, & quo ab altera parte Galliæ Rex non minus Civitatem Helvetiam sibi fœdere junctam de milite sibi subministrando urgebat, sed ita, ut Zwinglius utrumque pro concione vehementer dissuaderet, & quam esset non modo turpis hæc militia, verùm etiam impia, demonstraret, & multis in medium adductis incommodis, ad majorum institutum atque frugalitatem, qui rem pecuariam & agriculturam exercuissent, & præclarè multa fecissent, eos adhortaretur; Sed frustra, siquidem à multa sollicitatione, donis & pollicitationibus expugnati proceres, multitudini tamen id persuaderent. Quo factum est, ut omnis Helvetiorum civitas Gallo militem promitteret, dum soli Tigurini, Zwinglium secuti, recusant, & jurejurando confirmant, nullum donum aut stipendium accipere ab ullo principe militandi causa. Quamvis & hi tamen, quum non desisteret ipse Pontifex suam per Matthæum Cardinalem Sedunensem cum apud reliquos, tum apud Tigurinos urgere causam, faciliorem, invitis pagis reliquis, Pontifici quam Gallo præbere aurem, atque etiam ut bis mille & septingentos conscriberet, permittere. Ea res, invito licèt Zwinglio & dissuadente facta esset, dividendis tamen animis (a) dedit ansam & reliquos non parùm à Tigurinis abalienavit, fontemque præbuit multorum deinceps inter Tigurinos & reliquos pagos dissidiorum & contentionum.

Interea, quod apud ipsos LAUSANNENSES jam A. 1522. Evangelio inter medios licet aulicæ protervitatis atque luxuriæ

(a) Conf. *Introd. nostr.* §. CXXV. p. 311, 312.

riæ ſuſurros faverit *Sebaſtianus de Monteſalcone* Epiſcopus & Princeps Lauſannenſis, ex LAMBERTI *Avenionenſis* dedicatione farraginis, uti habet libri titulus, omnium ferè rerum Theologicarum ad ipſum directa patet (a), ubi inter alia: „ Superioribus annis cum apud urbem tuam Lauſanam verbum Chriſti „ annunciarem, animi tui pietatem, adulatorum verò ac ſeductorum quorundam impietatem multifariè expertus fui. Siquidem ubi noſtris prædicationibus aderas, verbum Domini ſinceriſſimè amplectebaris, ubi autem ob negotiorum tumultus „ abeſſe compellebaris (quod ſemel atque ſecundo fuit) ſicut mihi „ nonnunquam dixiſti, à Verbo Domini te facere alienum nonnulli moliebantur, adſerentes quod hæretica prædicarem. Verum tandem ſic te vicit potentiſſima veritas, ut multis pro me „ ſcripſeris, & libenter fatear, tui cauſa apud Bernenſes, Tigurinos, Baſilienſes, & Friburgenſes benè mihi fuiſſe. Abeuntem quoque adjuraſti, ut nonnunquam ad te ſcriberem, quæ „ pietatis erant, quod & me opportune facturum ſpopondi. „

Et multis interjectis: *En quam multa fiducia tecum ago, memor veteris amicitiæ, qua me olim dignatus es, ac nobiliſſimi animi illuſtris dominationis tuæ.* Enimverò nec ea laus in Epiſcopo Lauſannenſi conſtantior fuit, quam in Conſtantienſi, ſiquidem uterque, cum ipſa Reformatio ſuſciperetur, alieniorem ab Evangelio teſtificati fuerint animum, & ſplendorem aulicum veritati præferentes, jugi autem Evangelici impatientes retro conſpicati fuerint.

§. XCI. Apud URANIOS, quo nomine qui provinciam *Uri* incolunt nobis appellantur, non minus hoc tempore fuiſſe, qui Reformationis negotio faverent, addiſcimus ex *Jodoci Schmidii* Archigrammatei Uranienſis A. 1519. ad *Zwinglium* data Epiſtola (b), qua is Zwinglio gratias agit „ pro labore & induſtria, „ quam Baſileæ ipſi impenderat, auxilium poſtea & conſilium „ ejuſdem in inſtitutione fratris minorennis ſollicitè implorat; „ quin

(a) apud SCHELHORN. Amœnit. literar. P. IV. p. 325.
(b) vid. HOTTING. Sec. XVI. P. II. p. 357. ubi emphatica admodum *Schmidii* ſunt verba: *Ich kehre zu dem brunnen, da mir ergetzlichkeit entſprungen iſt in der hitz meiner Kindheit, euch anrüffend um hulff und raht.*

„ quin imo petit, fratrem, vel ab ipso Zwinglio sub tectum re-„ cipi, vel consilio ejus & cura alii commendari;„ Quid? quòd etiam *Volcatii* cujusdam *Toneri* (a) commemoretur scriptum, quo is Zwinglio addit animum, atque hortatur ad constantiam, ut telam feliciter cœptam pertexat, simulque indicat, „ non pau-„ cos esse ex Tugiensibus, Suitensibus, Uraniis, qui prædica-„ tionem Evangelii avidè expectent, modo tandem in libertatem „ conscientiæ asserantur. „

Sed in antiquissima SWITENSIUM republica jam tum repertos fuisse, qui puriori Evangelio ejusque prædicationi vota sua addixerant, patet ex singulari, quo Zwinglium Switenses prosequebantur favore (b), quando is relicta *Eremo* (Einsiedlen) quæ *Helvetiorum* sive *Switensium* est, Tigurum migrabat (c), eique honorificum admodum præbebant testimonium (d). Sed & *Balthasari Stapferi* Archigrammatei Suitensis Epistola A. 1522. ad Zwinglium data, studii variorum apud Switenses (e) pro Evangelio singularis documenta suppeditat; Veluti *Balthasar Trachselus* Pastor Artensis in ipso Switensi tractu ad ipsum Zwinglium A. 1520. venit, ut cum ipso de Religione conferret, & variis eum deinceps literis adiit, pronumque suum in Evangelii prædicationem puram animum non uno modo est testificatus: Quanquam tamen hujus ipsius, qui inter Helvetios Clericos omnium primus fuit, qui pertæsus vitæ cœlibis uxorem domi duxit, matrimonium, tum temporis A. 1521. adhuc intempestivum, obicem deinceps posuit in his Switensium oris (f) negotio Reformationis: Veluti brevi post *Francisci Zinckii* (g) Sacellani Pon-

(a) conf. id. HOTTING. l. c.
(b) vid. HOTTING. l. c. p. 358, 359.
(c) vid. *Introd. nostr.* §. XLIX. p. 104. & 106.
(d) Sic enim S. P. Q. *Suitensis* ipsi *Zwinglio* Tigurum abituro quendam *Johannem Henricum* commendabat, atque inter alia hæc addit: *Wiewol wir zum theil betrübt in ewren abscheiden von den unseren zu Einsidlen; Jedoch so haben wir dargegen frewd mit euch, in allem so euch zu nutz und Ehren dienet.*
(e) Hujus Epistolæ Excerptum nobis dat HOTTING. l. c. p. 359-362.
(f) v. RUCHAT. T. I. p. 74. ex HOTTING. Helv. K. G. p. 55. 62.
(g) v. *Introd. nostr.* §. XLIX. p. 104.

Pontificis apud *Einsidlenses* A. 1523. contractæ nuptiæ in eadem Suitia apud *Freienbachenses* (a), quibus jam *Chalybeolus* Evangelium annunciaverat, progressui Evangelii fuerunt inimicæ; Neque ea, quæ jam in superioribus de Zwinglii in Eremitano Monasterio collegis & successoribus diximus, nos dubitare sinunt de Evangelii in ipsa *illa Eremo* (b), per quantillum temporis spatium successu felici atque progressu: Nam & *Veseniam* (c) & *castra Rhætica* (vulgo Gastel) multum Zwinglio detulisse, atque ab iisdem Evangelii præconium avidè fuisse receptum, docemur.

Ex TUGIENSIBUS Petrus *Cholinus* & *Wernerus Steinerus* Zwinglianæ eruditionis, pietatis, & Reformationis vel admiratores erat vel imitatores: *Steineri* nomen ob conscriptam Reformationis Historiam est celebre. Erat ipse Tuginus, atque primo tempore Reformationem Ecclesiæ in patria promovebat, deinceps tamen Tigurum concedens inter eos nomen habuit, qui in *Versione Bibliorum* operam collocarunt; Quanti eum faceret Zwinglius, vel ex his A. 1523. ad ipsum datis verbis colligi potest: „ Non sum nescius (d), carissime Wernere, quam rectè de „ Christi doctrina sentias, unde hac parte monitore opus non „ habes, ita enim de te persuasus sum, de Te ut sentiam, ut de „ pio Christi discipulo, qui cupiat Christo cunctos lucrifacere, „ nisi quosdam perniciosa cœcitas in sensum perversum ageret: „ &c. „ *Cholinum* quod concernit, is equidem patriæ inserviisse non legitur, sed cum viginti fermè annos in Galliis exegisset, inde reversus in Helvetiam, annis aliquot Tiguri egit, ubi post conscriptum Dictionarium Latino-Germanicum, Ecclesiasticos (e) Vete-

Hh 2

(a) v. Ge. *Chalybeoli* (dicti Stähelin) vita in *Misc. Tigurin.* T. II. fasc. V. p. 683.

(b) v. *Introd. nostr.* §. XLIX. & add. HOTT. l. c. p. 367, 368.

(c) ita HOTTING. l. c. p. 369.

(d) FUESSLIN collect. Epistolar. Ep. I. p. 1, 2.

(e) GESNER. Biblioth. fol. 546. b. 547. cujus hæc verba sunt, & conf. Præfat. ad Bibliorum Tigurinor. editionem Latinam omnium primam, ubi hoc ejus elogium: *Fuit is quinque linguarum peritus, egregiè doctus, pius, sanctimonia vitæ præclarus, generis patritii, fortis, constans & temperans, ac ut admodum laboriosus, ita mirè facilis & minimè arrogans, cujus mors vitæ per omnia respondit.*

Veteris Teſtamenti libros Latinè reddidit, optima fide, diligentia ſumma ex collatione plurium codicum, & puritate Latini ſermonis adhibita, quo quidem opere per typographum abſoluto, anno 1542. eodem die piiſſima morte functus eſt. Sed & *Bartholomæus Stockarus* (a) inter Tuganos erat paſtores Evangelio addictos; Quibus accedebat *Jodocus Myllerus*, Chami in agro Tugienſi Presbyter, qui, uti cum Zwinglio commercium ei intercedebat literarium, ita inter alia A. 1522. *Tu quidem noſti*, ſcribebat (b), *quantum veritas male audiat apud ingratos, & quid moroſi obganniant ſenes, quo juvenum abducant animos ab Evangelicæ doctrinæ viridariis, & à veræ pietatis fontibus, ipſi interim turbulentis involuti lacunis. Qui neque ſibi ipſis temperant, quin accerſant ignobile vulgus in odium cujuscunque addictiſſimi in Legem Chriſti. Is porrò in nos concitatus eſt tumultus ab Erynne quadam furiis agitata, non parum nobis infeſta, quatenus in tuto collocare pedem vix ulli ſit conceſſum, qui non maleferiatis operam navet authoribus. At operæ pretium eſt ea via tranſigi vitam hominum, quam & Dux noſter & Servator Jeſus ingreſſus.* Horum igitur virorum doctorum labori cum varia ratione offendicula ponerentur, ne læta doctrinæ Evangelicæ ſeges ſuccreſceret, ii tamen per aliquod tempus inſtare (c), nec ſtatim avertere manum, ſi forte rerum opportunitas & in labore conſtantia ipſis anſam præberet ulterius in opere Domini progrediendi.

§. XCII. Inter FRIBURGENSES, quantumcunque hi Evangelio eſſent inimici (d), tamen erant, qui puriorem adamabant doctrinam, inter quos recenſetur *Petrus Falckius*, qui & magiſtratum inter ipſos gerebat, & ſingularis Zwinglii erat amicus, deinceps *Johannes Haulardus* Canonicus, atque poſtea Capituli

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 91. RUCHAT. p. 110.
(b) HOTTING. Sec. XVI. T. II. p. 371.
(c) HOTT. Helv. K. G. ex Anecd. 5. & 20. Jul. pag. 91.
(d) Certe MYCON. in Ep. ad *Zwingl.* 1522. *Hoc audio*, ſcribit, *vix alios eſſe per Helvetiam, qui pejus velint ſanæ doctrinæ*; & Hubmeierus itidem ad Zwingl. 1522. *Veni & in Friburgum*, inquit, *quod longè aliter, quam nomen ſonet, offendi. Planè liberum non eſt, ſed captivum: diſcordiis & factionibus cum profanis tum ſacrilegis onuſtum.* ap. HOTT. Sec. XVI. P. II. p. 551.

pituli Decanus; Porrò *Johannes Vannius* Friburgensis Cantor, ex cujus ad Zwinglium data Epistola liquet, quam is rerum etiam in Germanicis Ecclesiis quæ gerebantur, fuerit cupidus (a) dum inter alia ex Zwinglio sciscitabatur, *cresceretne ibi Evangelii prædicatio, an decresceret?* Sed & *Johannes Kotherus* Organista Friburgensis piam & masculam ad Zwinglium tum dedit epistolam (b), in qua & Zwinglii collaudat labores, qui *semen verbi in corda hominum injiciebat & ex officio & amore Christiano sitientes animas ducebat ad aquas vivas, de quibus expressè Evangelium, quòd qui aquas illas biberet, nunquam amplius sitiret, &c.* & testatur, *semet ipsum earundem aquarum siti premi*; & *de Lutheri doctrina* refert, quod *ea ex mellifluo vase, Paulo* scil. *sit hausta*, quodque *cum ea feculentæ aquæ Tiberinæ, crassæ quippe & caliginosæ, ita ut ne fundus quidem videri queat, consistere non possint:* Et denique, *Jam tandem*, addit, *radios fulgere divinæ gratiæ, unde observare & animadvertere civis liceat, per quas hactenus umbrosas traditionum valles deductus esset. Romæ hanc deberi calamitatem &c.* Atque hæc est ratio, quod *B. Hallerus* A. 1523. Berna ad Zwinglium hunc in modum, *de vicinis*, scriberet, *nostris, qui sunt Friburgi, benè spero. Est illic præco Evangelicus* (c), *qui pro modestia sua tantum profuit* (fortè legi debet *profecit*,) *ut à Senatu edictum sit, quatenus liberè Evangelium doceat, tacito tamen Lutheri nomine*;

Lepidam verò, quæ in vulgus emanavit, atque etiam nunc multorum teritur sermone, hic commemorare fabulam (d) non abs re erit: Referunt enim Friburgenses, factum aliquando fuisse, ut permulti ex suis civibus Reformationi faverent, tum verò Bernenses, Friburgensium quippe confœderatos & concives, vehementi ad eos scripta epistola ab instituto eos dehortari cœpisse, successu non adeo frustraneo. Deinceps verò, mutata rerum

Hh 3 sce-

(a) HOTT. Sec. XVI. P. II. p. 393.
(b) HOTT. l. c. p. 390, 391.
(c) Cum nomen reticuerit Hallerus, admodum difficile erit divinatu, quis ille fuerit, nisi fortè, modò memoratum indigitet, *Jo. Houlardum*, cui cum Bernensibus multa erat familiaritas, quique deinceps Evangelii ministrum egit, v. RUCHAT. T. I. p. 84.
(d) Confutavit eam RUCHAT. p. 150, 151.

ſcena, cum Bernenſes quoque ad ipſam Reformationem ſe recepiſſent, atque denuò data ad Friburgenſes Epiſtola, eos, ut exemplum hoc ſequerentur, hortati fuiſſent, tum verò Friburgenſes loco reſponſi, ipſam illam priorem Bernenſium epiſtolam auctoribus ſuis remiſiſſe, nec verbum addidiſſe amplius.

Civitatem SAN-GALLENSEM quod attinet, duo cumprimis *Benedictus* ſcilicet *Burgauerus*, ad ædem S. Laurentii Paſtor, & *Wolfgangus Wetterus*, ejus Vicarius, lectis Lutheri de Indulgentiis diſputationibus, aliisque libris illuminati (a) Evangelium prædicarunt, ac felicia Reformationis jam A. 1520. (b) ſtraverunt fundamenta, quanquam deinceps tanta ipſis, ab Evangelii adverſariis moverentur obſtacula, ut brevi poſt jactarent „ Tiguri- „ nos non à reliquis ſolùm pagis, ſed & ab oppido S. Galli derelic- „ tos eſſe, „ teſte *Urbano Regio* in Epiſtola ad Vadianum S. Galli Conſulem. Quid? quod idem ille *Joachimus Vadianus* (c), quanquàm primò Medicinam in patria faceret, tamen brevi poſt, etiam publicè in Virorum illorum præſtantiſſimorum quos diximus gratiam, divino planè Zelo, quantum in doctrina fidei valeret, illuſtri documento comprobatum dederit, enarrando Acta Apoſtolorum (d), quo facto is non parum tum adjumenti præſtitit Evangelio apud San-Gallenſes renaſcenti; Et extat egregium planè *Henrici* BULLINGERI de hac Vadiani, Actorum Apoſtolicorum enarratione teſtimonium (e): „ Suppeditata ſunt à „ fratribus nonnullis dictata quædam, quæ Joach. Vadianus, communis patriæ noſtræ Helvetiæ decus, ante annos aliquot Chriſtianis quibusdam auditoribus San-Galli dictavit, quibus me haud modicè juvari poſſe ſperabam. Nec fefellit opinio. Ejuſmodi enim erant, ut, ſi recognoviſſet, evulgaſſetque, haud quaquam hoc labore meo fuiſſet opus. „

Apud

(a) Ex Hiſtor. de Ref. Sangallenſi SCULTET. Dec. I. p. 131.
(b) HOTT. Helv. K. G. p. 64.
(c) De eo v. *Introd. noſtr.* §. CXIX. p. 290, 291. itemque hoc Volumen. §. LXXXIX. pag. 239.
(d) SCULTET. l. c.
(e) BULLING. in Ep. ad Francofordienſes præmiſſa Commentario in Acta Apoſtolorum.

Apud ABBATIS CELLANOS Evangelicorum librorum lectio, non parvam secum vehebat utilitatem, adeo ut vel 26. Sacerdotes Evangelii luce tacti, veritatem uno ore professi fuerint, inter quos erat *Waltherus Klarer* (a) Vir pro ea ætate non ineruditus, nisi quod majorem in Jure Pontificum Canonico, quam in evolvendis Bibliis operam, dum Parisiis versabatur, insumsisset: Hi, Tigurinorum exemplo audentiores facti Romanæ Ecclesiæ errores publicè redarguere non verebantur: Atque inter hos primus fuisse dicitur *Jacobus Ceraunelateus* (vulgo Scheurtanner) *Tuffensium* Pastor, Vir & ætate & auctoritate gravis, eruditus, pius, quippe qui eo cum successu in annunciando apud suos Evangelio progressus est, ut *Zwinglius* quoque A. 1524. ei *Pastorem* suum inscriberet (b), atque directa ad eum Epistola, ejus fidem & industriam in Evangelio collaudaret, eundemque ad constantiam adhortaretur, atque reliquos apud Abbatiscellanos Evangelistas non sine saliente præcordio commemoraret; Certè testatur in ea, *fidem & industriam ipsius Jacobi, qua hactenus usus erat, vivificum quendam & suavissimum odorem apud omnes fideles habere*, & addit: „ Ipsum Deum testor, me non vulgari gaudio affectum esse, cum integerrimam Abbatiscellensium gentem divini verbi prædicationem & lucem recepisse „ audirem. „ Claudit verò epistolam dedicatoriam hunc in modum: „ Salutabis meo nomine tuos in Evangelio Christi cooperarios & Symmystas, *Bernhardinum* scilicet episcopum in *Gessa*, „ & omnes reliquos, qui fidem servant Deo altissimo, quales „ plerique ferè, qui apud vos ministerio præsunt, esse feruntur, „ quorum nomina mihi ignota sunt. Gratias ago Deo meo, „ cujus munere tales effecti sunt. „ Atque in genere ipsis Abbatiscellanis gratulatur, quod Evangelium recepissent, seque de iis spem concepisse profitetur, „ fore, ut, licet in Helveticarum „ civitatum ordine postremi sint, tamen in fide vera nequaquam „ postremi vel minimi sint futuri, quippe qui nec in amœnissimis „ regionum locis & convallibus, in quibus præsens philautiæ, pri-

„ vati

(a) Consignavit idem ille quædam de Reformatione Abbatiscellensi teste HOTTING. in Helv. K. G. p. 29.

(b) ZWINGL. Oper. T. I. p. 283. seq.

„ vati studii & voluptatum periculum regnare consuevit, habi-
„ tent; sed patriæ tellurem duram & asperam sortiti sint, in qua
„ innocens & proba simplicitas tutius simul & facilius custodiri
„ possit, cui simul adjuncta sit prudentia & integritas, quæ utræ-
„ que simul propria & peculiaris fidei sedes in qua illa requiescat,
„ esse soleant. „

Sed & apud SALODORENSES ea tempestate erant, quos non puduit Evangelii Christi: Ex quorum censu cumprimis *Melchior* fuit MACRINUS in Monasterio S. Urbani primò præceptor, postea Salodorensis Reipublicæ Secretarius. Is uti sæpe ad Zwinlium scripsit, ita in Epistola ad ipsum 1522. data (a) inter alia hunc in modum: „ Si eos, quos nunquam vidimus, ob studium „ Philosophiæ eximium aut artem aliquam humano ingenio re- „ pertam diligimus, quantò justius illos amabimus, qui nobis „ Christianam atque adeo Evangelicam philosophiam nostræ sa- „ lutis A και Ω ex altissimis tenebris restituunt, inter quos, tu „ φιλτατε Huldrice, tanquam Heros ac κορυφαιος spiritu Christia- „ no homine planè digno, progrederis, Teque propugnato- „ rem Evangelicæ veritatis intrepidè tanquam murum ac vallum „ firmissimum offers &c. „ Atque sub finem: *Porro sunt*, inquit, *& hic Christiani aliquot, qui te salvum optant:* Sed & extant GLAREANI ad Zwinglium A. 1522. datæ literæ, in quibus is ita: „ Epistolam benè longam mittis, quam tamen voluissem, „ suavissime Huldrice, multò longiorem, adeo impensè gaude- „ bam, Evangelii rem, feliciter ubivis ἀναζωπυρεισθαι, De *Ma-* „ *crino* (quod scimus, ex Berchtoldi literis scribimus) triumpha- „ vit Evangelium. Canones Papæ ridiculo habiti sunt Saloduri, „ cum magna Macrini gloria. „ Enimverò ex ipsis Macrini literis liquet, ei cum Decano Burgdorfensi (b) & cum aliis quibusdam ex provincia Bernensi litem intercessisse *de Sacrificio Missæ*, quam in rem & Zwinglii consilium advocat, & de Senatu hæc refert; „ Senatus noster pollicitus est, se mihi non defuturum, „ & si ipse rem inter nos componere nequeat, Te, Tuique si- „ miles, qui negotium sanè intelligant, judices constituturum. „ At-

(a) HOTTING Sec. XVI. P. II. p. 386.
(b) vid. RUCHAT. T. I. p. 151. & HOTT. Helv. K. G. p. 91.

Atque eſt ea res deinceps in favorem Macrini compoſita per Seb. Meyerum Doctorem Bernenſem, quando Macrinus egregiam ad Zwinglium dare Epiſtolam atque totam hanc cauſam lætus enarrare, non deſiſtebat.

Apud RHÆTOS Jacobus *Burckli* Reformatoris primi encomium (a) reportavit. Neque futurum arbitror abs re, commemorare quod ex privata quadam relatione ſibi conſtare refert RUCHATUS, huic Burcklio ſingulare religionis colloquium interceſſiſſe cum *Chriſtiano Anborn* civitatis inter Rhætos primariæ Curienſis Theſaurario, Viro corporis animique dotibus conſpicuo, quo id effectum fuerit, ut Anhornius principiis doctrinæ Evangelicæ imbutus, deinceps Burcklium in omnibus fuerit tutatus, ac non ſemel hoſtium conſilia pariter atque molimina adverſus ipſum fregerit: Reliquos apud Rhætos Evangelii progreſſus deinceps ad A. 1525. & 1526. uberius exponemus.

Apud WALDSHUTANOS tum quoque Evangelii miniſtrum agebat *Balthaſar Hubmeierus* (b), quippe qui Epiſtolam Pauli ad Corinthios auditoribus ſuis expoſuit, quanquam deinceps, cum Anabaptiſticæ ingruerent turbæ, is rem Chriſtianam turbaverit magis, quam erexerit.

§. XCIII. SCAPHUSANOS verò ne ſilentio prætereamus, *Sebaſtiani Hofmanni* & *Sebaſtiani Hofmeiſteri* ſtudium atque induſtria in Reformatione Eccleſiæ conſpicua efficiunt. Prior Lucerna abiens Scaphuſium ſe contulerat in cœnobium Franciſcanorum, atque ibi Sebaſtianum Hofmeiſterum (antehac dictum Seb. Wagnerum) cujus modò (c) in Ref. *Conſtantienſi* injecta eſt mentio, invenerat jam tum in Evangelio puriori prædicando religioſiſſimum.

 Hujus

(a) v. *Bartholom.* ANHORN Palingenes. Rhæt. pag. penult. & p. 2. ſqq. 18. & HOTTING. Helv. K. G. p. 64.

(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 74. RUCHAT. T. I. p. 94. Erat is *Balthaſar* proprio nomine dictus *Hubmeier*, vel *Hubmör*, ſed à loco *Fridberg* dictus *Pacimontanus*, cujus in Anabaptiſticis motibus recurret mentio: vid. RAUPACH. Auſtr. Evangel. pag. 23. Symbolum ejus, quod ipſe libellis ſuis appoſuit, erat: *Die wahrheit iſt untödtlich. Veritas interfici nequit.*

(c) v. §. LXXXIX. pag. 239.

Hujus itaque consortio is mirabiliter recreari atque ad ipsum opus excitari, ut junctis manibus opus Domini peragerent; Hofmannus in æde Cathedrali, Hofmeisterus in templo Franciscanorum; Uterque autem magno Zelo adversus abominationes Pontificias fulminabat, & posterior cumprimis quatuor populo propositiones inculcabat, quas SCULTETUS (a) profitetur se manu ipsius Hofmeisteri scriptas in quadam Bibliotheca reperisse,

I. Christi præsentiam corporalem non esse, nec esse posse secundum Scripturam post ascensionem illius in cœlos.

II. Carnem & sanguinem Christi non percipi corporaliter in pane & vino sacramenti.

III. Christum nullo loco tanquam corporaliter præsentem esse adorandum.

IV. Carnem & Sanguinem Christi spiritualiter fide percipi.

Docuisse verò de his & aliis magno populi consensu & applausu tum (b) dicitur Hofmeisterus, adeo ut nonnullos quoque ex urbis concionatoribus in suam pertraxerit sententiam.

Quidquid sit, accusatus (c) idcirco à sacrificulis, decreto Senatus mittitur Basileam, doctrinæ suæ consensum à viris doctis petitum: sed malè ibi à nonnullis acceptus, re infecta rediit, habuitque in animo Wittebergam proficisci; à quo tamen consilio Tigurini & Sangallenses ipsum revocarunt, tum itineris periculum, tum corporis ejus imbecillitatem causati. Apologiam igitur doctrinæ suæ, scripturæ dictis munitam, confecit: Sed propter infensissimos sibi sacrificulos apud Senatum qui cautè in his sibi procedendum esse arguebat parum effecit: Fremente autem populo Abbas cœnobii ordinis Benedicti, quod est intra urbis mœnia, ex Bavaria vocat virum doctum & eloquentem, *Erasmum Ritterum*, qui doctrinam Evangelii oppugnaret, & errores Romanæ Ecclesiæ defenderet. Is, ut populum demulceret, Missam

(a) SCULTET. Annal. Dec. I. p. 130. ad A. 1522.

(b) Enimverò, ne quid dissimulem, vix crediderim sub hac forma eandem hanc doctrinam jam tum ab Hofmeistero Scaphusanis fuisse inculcatam, quanquam in hac re præfinire etiam nil quicquam velim.

(c) SCULTET. Dec. I. ad A. 1522. p. 130, 131.

sam vernacula lingua celebravit: Sed populus eo non contentus, plenam Cœnæ Dominicæ restitutionem flagitabat.

§. XCIV. Erat annus millesimus quingentesimus vicesimus tertius, quo Magistratus BERNENSIS, quod in superioribus vidimus, primum illud in causa Religionis edictum promulgabat (a), „ ne quis præter Scripturam S. quidquam pro norma fidei po-„ pulo proponeret. „ Brevi verò post hujus edicti publicationem, *Berchtoldus Hallerus* unà cum *Th. Wittenbachio*, Pastore tum Biennensi, & *Seb. Meyero*, cum Virgine Religiosa Insulæ S. Michaëlis (quo nomine celebratur cœnobium urbis, quod jam in ptochodochium est transformatum) de religione ac cœlibatu instituit colloquium (b), quæ res ita Senatum Bernensem commovebat, ut unanimi pæne consensu Hallerum & Meyerum ab officio removendos esse decerneret, iisque urbe esse interdicendum, unà cum omnibus ejus factionis doctoribus atque pastoribus; fuissetque adeo decretum hoc quoque exsecutioni datum, nisi *Joh. de Weingarten*, *Eberhardus Tilemannus*, aliique pauci ex Proceribus, Evangelio qui favebant, se eidem opposuissent, atque ejus loco novum condidissent de Hallero retinendo decretum, cum addito gravi tamen interdicto, „ ne in posterum cœnobio dicto (c) suas infer-„ ret opiniones, aut ipsis virginibus colloquiis suis molestus esset: „

Commemoratione autem cumprimis est dignum, quod de Reformatione notissimæ, in agro Bernensi dicto *Königsfelde*, Abbatiæ sive Conventus virginum ex prima nobilitate spiritualium, nobis relatum est: Legerant enim ex his non paucæ, Zwinlii & Lutheri de Libertate Christiana libros, sicque Evangelicæ doctrinæ gustum ceperant, adeo ut ex iis una *Margareta Wattewilia* (d) ipsum Zwinglium literis quoque A. 1523. compellaret atque lætabunda testaretur, „ se accepisse, quod Evangelica ve-„ ritas per ejus prædicationem multis modis promoveretur, se-

(a) STETTLER. *in der Nuchtländische Geschichte p. 625.* conf. §. LXXXIX. p. 238.

(b) RUCHAT. p. 177. SCHEURER. Vit. Haller. p. 343. sqq.

(c) *Den Predikanten aber sagen: das sy yrer Cantzel abwartenn, und des Closters muessig gahn sollen*, vid. Scheurer. l. c. p. 348.

(d) v. HOTTING. Sec. XVI. P. IV. p. 221.

„ que eapropter Deo ter Opt. Max. continuas agere gratias, „ quod verbi sui lucem tot eximiorum ministrorum opera ac Zelo „ restituerit, serióque Deum rogare, ut Zwinglio cæterisque „ verbi præconibus contra omnes verbi sui hostes robur & vires „ largiri vellet, ut ubique lætis possint proficere incrementis: „ Enimverò hæ lucis Evangelicæ scintillæ paulo post in plenam lucem erumpebant, quando totus (a) ille virginum chorus, ut sibi claustris monachalibus exire liceret, Ill. Magistratum Bernensem orabat; Magistratus verò tum, multas ultro citroque moras nectere nec è vestigio id ipsis inconsulto cumprimis Pontifice Ro. permittere, usque dum repetitis petitionibus, & post institutam contentionem non unam tandem d. x. Junii anni sequentis 1524. à magistratu hoc in monialium favorem ferretur decretum; (1.) Liberum relinqui unicuivis, ut pro lubitu se exsolveret voto, claustroque exiret, modo id non fieret invitis parentibus, vel sine consensu illorum, quorum auctoritate illa in claustrum facta fuerat immissio. (2.) Eas, quæ claustro exeundi tenerentur desiderio virgines, res suas quas claustro intulerant, sibi habere posse, sedulò tamen providendum esse, ne quid quod ad ipsum conventum spectaret, sub ullius beneficii obtentu, secum aufferrent. (3.) Neque verò etiam deinceps quampiam in claustri illius religionem recipi posse, quæ non decimum septimum ætatis egressa esset annum, atque huic porro tres novitios annos esse præfiniendos, tanquam probatorios, quibus præterlapsis non amplius, ut unquam se voto exsolveret, ipsi fore licitum. Dici autem nequit, quam hoc ipsum Decretum sapientissimum profectò atque moderatissimum, tamen Episcopo Constantiensi variisque aliis Nobilibus, quorum familiæ intererat, ne filiæ, sorores, ac cognatæ nobiles denuò in bonorum secularium communionem reciperentur, displicuerit, ut omnem quoque frustraneo tamen conatu navarent operam, ne id in effectum deduceretur; Enimverò claustri semel apertis foribus, quamplurimæ tum inde egrediebantur, quarum aliquæ, cum primæ nobilitatis viris iniverunt matrimonium, reliquæ vitam honestè ac piè transege-

(a) v. RUCHAT. T. I. p. 178, 179. & HOTTING. Helv. K. G. p. 143.

egerunt; Ipsum verò illud Cœnobium non ante A. 1529. est destructum.

Cæterum, circa finem anni vicesimi tertii rumor in Germania percrebuerat, CAROLUM, *Sabaudiæ* Ducem, eundemque Regionum *Vallensium* (dictarum Pays de Vaud) Dominum, religionis purioris esse studiosum. LUTHERUS qui id ex Enemondo Cocto, Gallo (a), Equite aurato perceperat, nulla interposita mora, ad ipsum Sabaudum dare literas (b), quarum clausula & lectu dignissima est, & singularem Lutheri testatur fervorem: „ Macte ergo, Princeps Illustrissime, & Heros generosissi-„ me, suscita eam quæ in te cœpit ardere scintillam, & fac ut „ ignis egrediatur de domo Sabaudiæ, ceu de domo Joseph, & „ sit ei tota Gallia quasi stipula, & ardeat sanctum illud incen-„ dium Christi, imo flagret, ut verè tandem Francia possit di-„ ci ab Evangelio regnum Christianissimum, quod hactenus ab „ impio in Antichristum, propter effusum sanguinem, officio, „ impiè dictum est Christianissimum, Amen. Dominus autem „ Jesus Christus sibilet Spiritu suo in cor tuum & tuorum, ut „ faciatis omnia quæ ad gloriam sancti sui verbi faciant, Amen.„ Interea tamen eum rumorem non ex vero fuisse, multa sunt, quæ credere jubent nunc non evisceranda.

Sed apud BIENNENSES tum quoque *Thomas Wittenbachius* (c), qui paulo ante illuc Basilea evocatus erat, Evangelii negotium consilio, doctrina, exemplo strenuè promovebat, adversus vitæ monasticæ cœlibatum ejusque impuritatem, quam honesto matrimonio præferebant, depugnando; porrò adversus Missam privatam, itemque adversus Missas pro defunctis, cum is doceret Missas nemini nisi communicanti & fide sumenti posse esse proficuas; Nam & proprio exemplo, provecta licet jam esset ætate, in ducenda uxore reliquis Sacerdotibus qui numero septem idem secuti dicuntur, is (d) præibat anno 1524. quæ res

 mul-

(a) Is A. 1526. diem obiit supremum, vid. RUCHAT. T. I. p. 183.

(b) v. LUTHER. Epistolar. T. II. fol. 156. fol. sq. sunt autem eæ datæ d. 7. Septembr. 1523.

(c) vid. de Eo, *Introd. nostr.* p. 100.

(d) HOTTING. Helv. K. G. T. III. p. 129. & RUCHAT. ex Nœtzlii Histor. MSS. p. 185. conf. SCHEURER. Vit. Wittenb. p. 20. sq.

multis tum in Senatu populoque Biennensi contentionibus ac ultro citroque conscribendis ad reliquas civitates & cumprimis ad civitatem Bernensem epistolis ansam dedit, ac materiam suppeditavit, dum intereà Wittenbachius cum suis ab officio, plurimorum ex senatu consensu, & reliquorum pagorum (a) suasu removeretur;

Hic ille erat annus, quo Helvetiæ Ordines, in civitate Bernensi congregati, Zwinglium (b) graviter accusabant, & invidiæ concitandæ causa dicebant, Eum pro concione dixisse non semel, „ ipsos qui cum exteris iniissent fœdus, vendere sangui-„ nem & vesci carnibus humanis; „ qua de re ita quidem epistola data Apologetica Zwinglius excusare se debuit, ut gravo tamen in ipsum tum ferretur decretum, *de eo ubicunque fieri posset in captivitatem ducendo*; Quo verò minus id fieret ipsi providerunt Tigurini, atque nisi providissent, Evangelii apud Glaronenses, (est autem Glarona unus ex confœderatis Helvetiorum pagis,) fautores, ipsi tutum tamen præbuissent domicilium pariter atque refugium, quippe quod per *Ægidium Tschudium* (c), Virum præclarum, & eruditionis laude florentem ipsi oblatum legimus: Erat is Glaronensium favor effectus illius prædicationis ab ipso Zwinglio jam ante annum 1516. prædicatæ & deinceps à *Fridolino* (d) *Fontejo* (sive *Brunnero*) qui præ reliquis inter Reformatores, uti nomen habuit, ita cursum Evangelii mirificè promovit, continuatæ;

Hoc ipso anno 1523. Episcopus LAUSANNENSIS suæ diœceseos ecclesiasticorum inter quos & Clerici Bernenses recensebantur, cogere cœtum, suisque legem dare, *ut sibi ab hæresi Lu-*

(a) Sed de his ad annum sequentem videbimus.
(b) v. *Introd. nostr.* §. CXIX. pag. 288, 289.
(c) HOTTING Helv. K. G. p. 131, 132.
(d) *Introd. nostr.* §. XLVIII. pag. 102, 103. conf. HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 377, 378. Ipse Fridolinus ita ad Myconium A. 1540. d. 17. Febr. *Durch Gottes gnad war ich der erste Evangelische prediger zu Glaris: hab deswegen von den liebhabern der Welt vil ungemach gelitten. bin meiner mitteln beraubt, verjagt. summa in gefahr lebens und mitteln gestürtzet worden, in welchem allen aber Gottes hülff und trost mir kräftig beygestanden.*

Lutheranorum (a) *caverent*; Neque verò hoc solùm, sed & suam invisere diœcesin aggrediebatur, ut tanto curatius, num à se latis parerent legibus, experiretur; At verò, cum ad Bernenses usque progressus esset, tum hi, quanquam etiam Evangelio nondum planè adstipulati essent, tamen ejus conaminibus obicem ponere, atque ne ejusmodi visitatio in sua urbe fieret prohibere (b). Quæ res uti prima dissensionis illius inter Episcopum & Bernenses continet semina, ita ipsi Reformationi Bernensi fuit proficua, simul verò etiam, ut Episcopus deinceps suo exueretur episcopatu, effecit.

MULHUSANOS hoc eodem anno cum *Ulricus Huttenus* per aliquot menses apud ipsos versaretur (c), atque cum Augustino Cremero, aliisque ex nobilitate atque etiam quibusdam ex clero consilia conferret, Reformationi faventissimum promulgasse edictum d. 12. Martii nequicquam ogganientibus, populumque ad seditionem cientibus sacerdotibus, & frustrà excommunicationis fulmen

(a) RUCHAT. T. I. p. 186. HOTT. Helv. K. G. p. 128. 129. Ex his verò patet, id quod pag. 241. jam diximus, eum in favore erga veritatem Evangelicam nec fidelem fuisse nec constantem.

(b) conf. SPALATIN. in Diar. MSS. apud SCHELHORN. in Amœnit. literar. P. IV. p. 408. „ Episcopus & Princeps Lausannensis, „ qui diu in Helvetiis tyrannidem exercuerat, in oppidum Bernæ Helvetiorum vicinum venit, illic Senatui Bernensi, qui se venturum „ nunciaret, misit, ut more solito venientem exciperent. Mox coacto „ Senatu rursum transmisso tabellario sic rescripserunt: *Vide ne ad nos* „ *velut Princeps venias. Placet, ut venias ut Episcopus, ut relicta* „ *purpura nobis verbum Evangelizes: nolumus autem, ut tyrannides in* „ *tuos coëpiscopos & sympresbyteros exerceas. Alioqui enim nonnisi gravi* „ *periculo tuo accedes.* Quorum animis cognitis statim Lausanam rediit. „

(c) v. HOTTING. Helv. K. G. p. 118. & conf. ERASM. Ep. ad Goclenium quæ præmissa est editioni Londinensi, qui equidem scribit, „ quod Huttenus fuerit invisus Milthusanis omnibus, ut, nisi abiisset, cives minati fuerint se perrupturos Monasterium Augustinensium, in quo „ latitabat, favore Secretarii. „ Sed ita, ut infestus ejus in Huttenum, ex tota illa epistola collucescat animus; præterquam, quod hæc Reformatio multorum iram cieret, atque indignationem incurreret, quæ paulo tamen post, provido Magistratus nutu consopita fuerunt atque penitus sepulta. conf. HOTT. l. c. p. 119.

men in eos vibrante Episcopo Basileensi, constat, quo, *ut infantibus lingua vernacula baptismus administretur*, jubebant, porrò *ut Psalmos lingua Germanica decinerent Scholastici*, utque *sub utravis specie Eucharistia celebraretur*, & denique, *ut loco Missarum quas matutinas dicebant*, *publicæ preces funderentur* & *sermones haberentur ecclesiastici.*

§. XCV. Apud BASILEENSES jam A. 1522. & 1523. ingens quod fuerit confessorum Evangelii numerus, ex Erasmi epistolis (a) addiscimus, quippe qui ad Henricum VIII. Angliæ Regem, cui tum diatribæ *de libero arbitrio* specimen transmittebat, scribere non verebatur: „ nullum esse apud Basileenses typographum, qui ausit excudere quod verbulo attingat „ Lutherum, cum tamen contra Pontificem quidvis scribere liceret (b).„ Enimverò, cum inter reliquos, qui Basileæ versabantur, etiam *Conradus* PELLICANUS (c) concionator nomen haberet, tum anno 1523. factum est, ut Caspar Satzgerus, ordinis Minoritarum provincialis, ipsius verò Pellicani hucusque amicus, (d) Basileam profectus audiret à Doctoribus Universitatis Basileensis, & à Canonicis quibusdam Ecclesiæ majoris, querelas graves adversus C. *Pellicanum* ejusdem ordinis Guardianum, ejusque vice-guardianum *Joannem Kreis*, itemque adversus prædicatorem in eodem Franciscanorum monasterio *Joh. Luthard*, & alios,

(a) ERASM. ad Senatus Mechliniensis Præsidem A. 1522. d. 14. Julii ita: „ Sunt hic plus quam centum millia hominum, qui oderunt sedem „ Romanam & Lutherum magna ex parte probant. „ v. Ep. ERASM. T. I. ep. 629. p. 718. conf. Ej. Ep. 650. p. 759. ubi, quam *Lutherani multi quotidie Basileam accedant*, *seque salutandi videndique gratia conveniant*, testatur, *quanquam etiam ipse Lutheranus non sit.*

(b) ERASM. Ep. n. DCLX. pag. 774.

(c) v. ADAMI Vit. Theolog. fol. 140. Conf. quæ de eo diximus in *Introd. nostr.* §. LII. LIII. p. 109. sqq.

(d) Fuerat enim ejus, uti l. c. p. 112. diximus, comes individuus, cum Germaniam perlustraret atque etiam cum Romam proficisceretur. *Satzgerus* verò ille, procul dubio idem fuit, *Schatzgeyerus* qui etiam dicitur, quique Lutheri librum de votis monasticis refutavit v. SECKEND. L. I. §. LXXXII. p. 132. & §. CV. p. 173. Et, cujus extat *Scrutinium scripturæ pro conciliatione dissidentium dogmatum circa Gratiam, Liberum arbitrium & alia*, Colon. 1523. 4.

alios, quod Lutherani essent & promotores librorum Lutheri; quibus permotus, is decrevit cum suis consiliariis istos tres equidem loco movere, citrà tamen ipsorum contumeliam, alios in ipsorum locum substituendo: Neque verò id Senatum Basileensem latere diu poterat; Hi itaque simulac id rescivissent, communicato inter se consilio, miserunt ad Provincialem duos ex ipsorum medio Senatores, qui ei denunciarent, ut accusationem contra illos tres institutam, sibi, quorum erat eandem cognoscere, indicaret; Provincialis cum id facere recusaret, tota causa ad plenum relata Senatum, eum post habitam velitationem habuit eventum, ut Provincialis cum suis re infecta urbe debuerint egredi, adjecta comminatione diserta, „ quod si ad„ versus Pellicanum & ejus socios, quos è monasterio mittere „ decreverant quidpiam amplius molirentur (a), omnes reliquos „ Minoritas, qui tum numero erant supra quadraginta statim „ auctoritate publica urbe esse ejiciendos; „ Præter hæc, Pellicani accusatoribus quibusdam, beneficia quibus hactenus gavisi erant, demebantur, ipse verò *Pellicanus* & *Oecolampadius* in ipsorum locum publici sunt constituti Lectores Theologiæ Exegeticæ, ita ut *Oecolampadius* (b) abinde & in Epistolam primam Johannis, & in Epistolam ad Romanos, *Pellicanus* verò per integrum hunc annum in Genesin publicè fuerit commentatus: Quæ res non poterat non in Evangelii apud Basileenses incrementum vergere.

Apud LUCERNENSES verò tum non ita prosperè cessisse negotium Evangelii constat, Hi enim quosvis Reformationis Doctores statim ab officio removere, & si quis sacerdotum doctrinæ Evangelicæ causam suscipere ausus esset, eundem urbe ex-

(a) conf. SCULTET. T. I. pag. 170.

(b) De Oecolampadio, quam is in disputando fuerit sedulus in Ep. ad Zwinglium A. 1523. prid. Kal. Septembris data testatur Erasmus; vid. FUESL. collect. Epistolar. de Reform. Helvet. p. 14. Quam verò is, cum eodem anno quoque Ædis Martinianæ Pastor constitueretur, fervide opus Domini egerit, vel ex eo patet, quod Zwinglius etiam singulari epistola ejus fervorem atque studium temperare debuerit, eumque hortari, ut virium rationem haberet. cf. §. CXIX.

pellere; Nam & feveriffima adverfus doctrinam (a) Lutherianam (quo nomine Evangelium infeftabant,) promulgabant edicta, idque à Curia Romana impetrabant, ut in facerdotes uxoratos advertere ipfis liceret æque graviter atque in profligatæ vitæ Laicos; Quid? quod RAINALDUS (b) ex relatione Fabri referat, Imaginem Zwinglii Lucernæ fuiffe crematam.

Apud TUGIOS equidem fub anni hujus principio res Evangelii florebant, ut Zwinglius ad Wern. Steinerum quoque teftetur, *adeffe ibi Ecclefiam Chrifti*, *quam velit effe falutatam* (c); Sed inverfa rerum fcena, fub hujus ipfius anni finem, jam non folum, qui offendebantur illic erant, verùm & qui veritatem perfequebantur (d), ut incolarum Evangelio qui favebant multi verfus *Cappellam* quod eft cœnobium agri Tigurini, cujus abbas *Wolfg. Jonerus*, Zwinglii erat amicus, audiendi Evangelii gratia fe reciperent, quod ipfis tamen etiam fequenti anno publicè interdicebatur.

SCAPHUSANI intereà circa caufam Evangelii inter fe divifi erant aliis Evangelio faventibus, aliis illud infeftantibus, quod domefticum & in ipfis vifceribus graffans malum promovendo tamen Reformationis negotio inferviebat; Certè *Seb. Hofmeifterus* (e) A. 1523. ita ad Zwinglium: „ Apud nos Chriftus fummis defideriis excipitur. Refipuerunt multi nunc, olim virulentiffimi hoftes. Ego conftanter prædico · bonis àvibus promifit Senatus nofter etiam adverfus Pontificem patrocinium, „ modo

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 123, 124.
(b) RAINALDUS in Annal. ad A. 1525. §. 39. fol. 439. ap. Hotting. l. c.
(c) v. FUESSL. Ep. ad Ref. Helv. p. 4. ubi Zwinglius d. xix. Febr. 1523. ita: „ Saluta noftro nomine Barth. Stockerum, & quæ apud vos „ eft Chrifti ecclefiam, quam & firmabis indefinenter fana doctrina & „ docebis, ne fibi metuant, tametfi pufillus grex fuit. Ego enim tot negotiis implicor, ut hac vice nihil ad eam fcribere liceat, quum verò „ dabitur, lubens ad eam fcribam: „ veluti idem Zwinglius d. xiv. Aprilis ad eundem: Salva fit poftremo tota Ecclefia Chrifti quæ apud vos eft. v. Zwingl. & Oecol. epift. fol. 184. b.
(d) v. STEINER. Hift. Ref. MS. apud Hotting. l. c. p. 127.
(e) v. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 399.

,, modò sincerè doceam, id quod præcipuè in votis meis habeo.,, Cæterùm ubi *Hofmeisterum* tamen post varias contentiones ab officio (a) dimiserant, ii qui Evangelio se opponebant, *Erasmi Ritteri* Theologi Bavari cumprimis operam sibi expetierunt, qui in Hofmeisteri locum surrogatus (b) in principio satis tenaciter priscis quoque ritibus dicitur adhæsisse, donec ipsa tandem A. 1524. salutaris gratia cor ejus veritatis luce collustraret, isque non minus vota sua addiceret Evangelio; Interea tamen hoc jam anno processiones publicæ festis Paschatis ac Pentecostes celebrari solitæ, auctoritate publica cessabant, parúmque aberat, quin omnes sustollerentur imagines, ipsique, quotquot erant Clerici, ad ducendas uxores animum applicarent. Sed variis angustiis se undique videbant obsessos, qui Reformationi favebant atque in concilio pagorum Badensi suasu Episcopi Constantiensis decretum formabatur doctrinæ Evangelicæ adversum, variáque gravia adversus confessores decernebantur.

In SARGANENSIUM (quos subditos esse constat Helveticæ Reip. atque in hunc usque diem partim Reformatæ, partim Pontificiæ religioni addictos) comitatu tum quoque puriorem doctrinam quidam annunciarunt (c) adeo ut Abbas quoque Fabariensis, (quæ abbatia est ad illum Comitatum spectans) *Jacobus Russingerus* eam fuerit amplexus, qui tamen deinceps pollicitationibus Episcopi Curiensis & Nuntii papalis, qui spem purpuræ Cardinalitiæ ipsi suscitabant, irretitus à veritate defecit ad pristinas sordes reditum faciens;

§. XCVI. In urbe autem CONSTANTIENSI (d) *Johannes Zwickius* Theologus solidissimus & doctissimus evangelizabat,

(a) In hoc statu rerum *Hofmeisterus* quidem se subducere debebat officio publico, ita tamen ut privatim quoque pergeret hos illos informare, suorumque animos in veritate confirmare, quò illæ, faciunt propositiones jam §. XCIII. à nobis ex SCULTETO adductæ.

(b) v. §. XCIII. sub fin. ex Sculteto p. 130, 131.

(c) HOTTING. Helv. K. G. pag. 132. ex ANHORNII Palingen. Rhæt. pag. 23.

(d) v. §. LXXXIX. sub. fin. pag. 239.

zabat, qui ita de ſemet ipſo ad Zwinglium (a): „ Nam cum „ primum Baſilea veniſſem Conſtantiam, conabatur (Epiſcopus „ Conſtantienſis) pro ſua prudentia mihi perſuadere, ne quid „ novi docerem populum: Poſt hanc rem etiam egit cum meo „ parente. Tandem intelligere potui, nonnullos mihi apud illum „ movere inſidias, nec diſtuli, quin illi ſcriberem nonnihil de „ ſuis delatoribus & paraſitis. Quam grata fuerit mea ſuſpicio, „ non ſcio, at verò nunc ſum apud eum atrociter accuſatus, ob- „ lato magno catalogo articulorum: Non tamen adhuc ſum vo- „ catus: ſed expecto quid mecum actura ſit illa ſynagoga Sa- „ tanæ. „ Aderat quoque *Johannes Wannerus* (vel Vannius) de quo Zwinglius A. 1523. ad Steinerum (b): „ Conſtantia ſuum „ apoſtolum habet (Chriſtus) Vannium, prædicatorem, quem „ etiam contra Pontificios ſcribas & phariſæos fortiter defendit, „ hinc futurum ſpero ut fori Conſtantienſis rabulæ ſint brevi mi- „ nores futuri. „ Enimverò Epiſcopum & qui ejus partes ſe- quebantur tum eò quoque proceſſiſſe novimus (c), ut Vannio in- ſidias ſtruerent, eumque noctu ex urbe abductum in poteſtatem Epiſcopi redigerent. Tum verò Senatus ei præſidium addicere, atque affirmare, quod Vannium ſumma ope tutaturus ſit; Quæ res Epiſcopum ita commoviſſe dicitur, ut is in Senatum venerit atque Lutherum & ejus aſſeclas calumnioſis criminibus inſectatus fuerit; Quando Senatus, cum is re infecta diſceſſiſſet, & in incepto perſeveravit & præcones Evangelii ſua auctoritate tutatus eſt, ac non tunc ſolummodò, ſed & deinceps immunes præſtitit.

Ambroſius quoque BLAURERUS (d) abhinc Conſtantiæ docuit Evangelium. Erat is honeſta natus familia, atque antehac monaſticam erat profeſſus *Alberſpaci*, quod collegium eſt in finibus

(a) Eum tanquam ſingularem Zwinglii amicum nobis delineat HOTTING. Sec. XVI. P. II. pag. 441.

(b) v. FUESSL. Epiſt. Ref. Helv. p. 3, 4.

(c) VOEGELIN. in Hiſtor. Reform. Conſt. MSS. apud FUESSL. l. c. in not. conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 145, 146. itemque pag. 155——159.

(d) vid. SLEIDAN. Lib. VI. fol. m. 95. a.



AMBROSIUS BLAURERUS

Reformator Constantiensis.

Natus A. 1492. d. 4. Apr. Denat. A. 1568.

bus agri Wirtembergici, quem quidem principatum Ferdinandus Austriacus tùm possidebat; At verò cum valeret ingenio Blaurerus, librosque Lutheri legisset, alium prorsus induerat animum, & post multam simultatem relicto sodalitio reverterat ad parentes atque propinquos; Abbas igitur per regionis Præfectum Austriacum, interpellat Senatum *Constantiensem*, ut illum ad ordinem suum redire cogant; Blaurerus autem edito scripto ad eundem Senatum Apologetico rem omnem actam commemorat, & conditiones proponit, quibus redire vellet, sed hæ tales erant, ut eas repudiante Abbate, Constantiæ ille permaneret. Fuit hoc anno 1523. Hanc itaque *Parænesin Germanicam* cum ad W. F. *Capitonem* misisset, Capito eundem, non in veritate solummodò agnita confirmare, sed & ad concionatoris munus & officium suscipiendum strenue exhortari, uti ejus A. 1524. d. 4. Maji inter alia, data verba ita se habent: „ Parænesin (a), tuam mirabundus „ legi. Quod si ad verbum dicendum te demitteres, quid præ„ stares, obsecro? Neque est quod jures, seu parum suffectu„ rus causeris. Sub tali provincia nemo vocatus deficiet, cum „ divinitus adjuvetur. Gaudeo denique ausuros vos innovare „ foris, quæ verbo in cordibus piorum instaurata nostis. Nam „ evanescit spiritus, si, quæ asseverat, cessas re præstare, „ etiam cunctatione tua magnum argumentum præbes incom„ parabilis tuæ prudentiæ. Nobis tamen hic multa præter spem, „ præter consilia acciderunt: profuit, inquam, à Matthia Zel-

 „ lio

(a) conf. SCULTET. Annal. T. I. p. 222, 223. Reperiuntur hæc verba in ea, quam huic Volumini, Num. XI. lit. D. subjunximus Epistola. vid. Docum. p. 76. Similis argumenti Epistolam OECOLAMPADII ad Blaurerum habemus in Epist. Zwingl. & Oecol. L. IV. fol. 175. b. ubi non minus piè quam graviter eundem, ut missa vita monastica se plane ad munus concionandi recipiat, admonet atque impellit; Atque alteram fol. 196. a. in qua, ne quam conscripserat Apologiam Blaurerus typis mandet vel publicet, eundem hortatur: ubi inter alia: „ Jam „ tædet plebem tot apologiarum. Tuum nomen satis salvum, cum sena„ tus patriæ tuæ te absolvit, nullo opus est apologetico alio. Fieri ne„ quit ut Pharisæorum scandala è medio tollantur omnia. Ferendum hoc „ nobis est Frater, ut sint qui nobis maledicant, qui exsecrentur & ab„ ominentur, ferendum propter eum qui cum iniquis reputatus est. „

„ lio præsertim totam sentinam abominationis Pontificiæ motam, me inscio. Nam posteaquam rescirem exploratis auditorum animis, facilè animadverti, eò loci nos redactos, ut necesse esset, aut progredi fortiter, quamvis exitum prævidere non potuimus, aut referre gradum non sine dejectione piorum, qui frigent, qui enecantur, ubi nos duces languere senserint. Perge igitur bonis avibus & auspice Christo. Sine Deo enim præsente nihil moliri continget. „

§. XCVII. Ad vigesimum sextum Januarii diem anni vicesimi quarti, LUCERNÆ fuit Helvetiorum conventus (a): Ibi factum est Decretum, „ Ne quis verbum Dei, quod supra mille quadringentos annos nunc denunciatum sit, neve Missam, in qua corpus Christi consecratur ad ipsius honorem, & vivorum atque mortuorum solamen, derideat aut contemnat: qui Cœnam Domini per ætatem percipiunt, delicta sua, quadragesimæ tempore, sacerdoti bis confiteantur, & reliqua omnia more consueto faciant: Ecclesiæ ritus omnes atque consuetudines serventur: Suo quisque pastori pareat, ab eóque Sacramenta percipiat, uti fieri solet, & quam debet annuam ei pecuniam, persolvat: Sacerdotibus exhibeatur honos: diebus vetitis abstineatur ab esu carnium, & per quadragesimæ tempus, ab ovis etiam atque caseo: Lutheri nihil privatim aut publicè doceatur adversus receptum Ecclesiæ morem: in cauponis atque conviviis Lutheri vel novæ cujuspiam doctrinæ nulla fiat mentio: divorum imagines atque statuæ sint ubivis inviolatæ, ministri Ecclesiæ rationem suæ doctrinæ reddere non teneantur, nisi Magistratui tantùm: tutela præstetur illis atque patrocinium, si quis fortè motus ingruat: qui sancti Spiritus, Mariæ virginis, divi Antonii circumferunt reliquias, à nemine rideantur: quas Constantiensis Episcopus tulit de religione leges, eæ serventur: qui decretum hoc violarint, magistratui deferantur, & sint ubique tanquam inspectores eorum quæ fiunt. „

BERNENSES, apud quos propter animorum divisionem, lento gradu procedebat Reformationis negotium, hoc eodem

(a) vid. SLEIDAN. Lib. IV. fol. 55. a.

dem anno circa finem mensis Aprilis ministris suis ac sacerdotibus gravi satis Edicto matrimonia interdicebant, atque, si qui deprehenderentur uxorem duxisse, eosdem ab officio removebant, præterea ne tempore quadragesimali promiscuè carnibus vescerentur, aut quidquam adversus sanctorum invocationem facerent sollicitè prohibebant; Neque tamen in uxoratos solummodo sed & in eos qui concubinas domi alerent, decreverunt graviter, ipsasque concubinas expellendas esse sciverunt, pœna amissionis beneficii parochialis proposita; Veluti non minus Indulgentiis, cum in ditione propria, tum in ditione *Lausannensi* ponebant obicem, datis gravissimis ad Episcopum *Lausannensem* (a) literis, „ quod is Impostorem quendam, falsarum indulgentiarum nundi- „ natorem, carcere, cui Bernenses eum mancipaverant, exsolve- „ rat: „ Sed & in ipsa Bernensium civitate die 22. Novemb. novum quoddam, idque tertium religionis condebatur Decretum, cui ansam dabat Dominicani cujusdam *Johannis Heim* (b) importuna pro suggestu oratio: „ Dn. nostrum Jesum Christum non plenè „ pro nobis satisfecisse, quæ novorum Evangelistarum esset doc- „ trina, sed necesse esse, ut unusquisque etiam satisfaciat pro se; „ Huic enim cum cives quidam se opponerent, eaque contentio referretur ad Senatum, non solum is utrumque Lectorem, Heimium & Seb. Meyerum (c) propter dissensionem & contentiones mutuas, cum eorum alter Evangelio infestus erat, alter ejus in se susceperat defensionem, urbe excedere publicæ tranquillitatis gratia (d) jussit; Sed & factum est, ut is denuò (e) unicuivis injun-

(a) RUCHAT. T. I. p. 219.

(b) Hunc Moguntia arcessiverant, ii qui malè volebant Seb. Meyero, Franciscanorum ordini addicto, & Barth. Hallero, Prædicatoribus Bernensibus.

(c) De *Meyero* qui tum Basileam concessit, vid. SCHEURER. in vita Seb. Meyeri p. 216. & HOTTING. Helv. K. G. p. 192. conf. ea quæ §. LXXXIX. pag. 237. jam de Meyero & ejus retractatione dicta sunt, itemque §. LV. p. 127, 128.

(d) *Umb frid und ruwen willen.* v. SCHEURER. l. c. p. 215.

(e) RUCHAT. p. 222. ex Stettlero p. 629, 630. Hoc ipsum Edictum suæ Collectioni inseruit Doctiss. FUESSLIN. T. II. p. 283-287. ubi brevem Reformationis Biennensis nobis pandit historiam.

jungeret puram Evangelii prædicationem, simul verò repeteret interdictum de matrimonio sacerdotum, quod ediderant, cui varia alia adjungebant 1. Ne quis Imagines sanctorum vel contumelia afficeret vel demoliretur sub pœna arbitraria 2. ne quis vel carnem vel ova comederet diebus Jejunii, sub pœna carceris atque decem librarum amenda, vel ipsius quoque exilii irrogatione. 3. ne quis contentiones cieret vel injuriosè alterum tractaret propter religionem, de qua judicium suo, id est, magistratus arbitrio relinqui volebant (a). 4. ne quis hæreticos libros, eosque qui Scripturæ Sacræ essent contrarii, vel venderet vel emeret sub pœna 10. librarum, & cum mandato libros comburendi; Simul verò etiam testabantur, sibi non probari (b) illa omnia media, quibus Pontifices Romani hactenus usi fuerant argento emungendi cives, quo Excommunicationes, Indulgentiæ, Dispensationes in casu matrimoniorum & sim. pertineant, „ quandoquidem id quod ar„ gento fieri possit legitimum, id quoque legitimum esse posse „ absque argento, „ unde se de his atque similibus abrogandis consilia esse inituros promittebant cum reliquis pagis: Demum quosvis conventus factiosos ac turbulentos prohibebant, unicuique pacem injungentes ac morum modestiam: Neque verò minus promti erant in exsequendo quam in decernendo Bernenses, simulac enim prius illud adversus Clerogamiam publicatum erat decretum, tres statim Canonici uxorati beneficiis suis exuebantur; Abbas Trubensis relicta abbatia uxorem ducebat, seque opificio cuidam dabat, usque dum post Reformationem stabilitam is Pastoratum Lauperswilensem acciperet.

§. XCVIII. Erat hic annus, quo TIGURINI urbem suam & ecclesiam ab idolis reformaverant, atque multis modis rem Evangelii promoverant, quæ res uti sudes erat in reliquorum oculis, ita creberrimis (c) ipsius Papæ monitis excitati reliqui pagi

(a) *So aber jemand beredet* (beharret) *dass ein anderer unchristlich glaube, solle er solches an die oberkeit bringen*, STEINER. Hist. MSS. & *Hist. Biel.* MSS. ap. HOTTING. Helv. K. G. p. 169. & pag. 193.

(b) *Aber wir setzen wenig glaubens auf den bann* &c.

(c) v. RAINALD. ad A. 1524. §. 52. seq. PALLAVIC. Hist. Trid. II. 12. 5.

pagi apud *Tugios* comitiorum gratia congregati legationem decernunt ad Tigurinos, Scaphusanos & Abbatiscellanos (a) qui Scaphusanos & Abbatiscellanos ab instituto reformandi dehortarentur, Tigurinis verò exprobrarent commissum sacrilegium; Quid Tigurini tum responderint, alibi (b) à nobis est expositum; SCAPHUSANI jam Reformationi, post ultimum illud colloquium Tigurinum, ad quod suos miserant legatos, faventiores erant; Hi enim domum reversi, Abbati & reliquis Canonicis indicaverant, „neminem unum ex omnibus qui aderant, repertum „ fuisse, qui S. Scripturæ locis & idoneis argumentis themata „ Zwinglii refellere potuerit, „ ut non modo Abbas ipse sed & *Erasmus Ritterus* (c) qui hucusque magna cum vehementia priscos ritus commendaverat, abinde mutatis consiliis Evangelio adhæserint. Hi itaque cum d. XVIII. Augusti solennem recepissent legationem, breviter reliquorum pagorum legatis respondisse dicuntur: „ Se ad ea quæ reliqui pagi monerent, non esse difficiles: S. Cœnam, Confessionem, Virginem Deiparam apud suos „ non despici: Missam, Quadragesimas, et sim. non aboleri; Imagines nulla affici contumelia, quin earum demolitionem se prohibuisse, quanquam ubi quis à majoribus suis donatas imagines „ ex templis sustollere velit, id ipsi prævia Consulis auctoritate „ permittatur (d). Inutiles quasdam cerimonias esse abrogatas, „ quæ ad cultum non facerent, quæque ne in Christum unicum „ Servatorem Satisfactorem & Redemtorem fiducia plene collocaretur, impedirent; Seque adeo, si qui etiam restarent abusus, „ ad eos tollendos esse admodum proclives; „ Interea verò de Ecclesiæ Reformatione apud ipsos serio magis tum fuit deliberatum (e). Oecolampadius præcipue de modo reformationis consulitur. Senatus ut auctoritatem suam interponat, rogatur. Abbas & reliqui monachi monasterio egrediuntur, abjiciunt cucullos,

(a) v. *Introd. nostr.* §. CXXIII. p. 308.
(b) conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 171. & 181. & HOSPIN. in Histor. Sacram. Part. II. fol. 24. RUCHAT. p. 254, 255.
(c) vid. quæ supra p. 259. diximus.
(d) HOTTING. Helv. K. G. p. 182.
(e) SCULTET. Dec. I. p. 22.

los, ducunt uxores, privatas instituunt familias, decimas & omnes Ecclesiæ reditus Magistratus potestati & administrationi committunt hac conditione, ut vitæ necessaria ad vitæ dies suppeditentur. Idem fecit Abbatissa cum sororibus suis, ordinem relinquunt, Magistratui omnia tradunt, ducunt viros, fiunt verè matres, quæ ante sic dicebantur. Inter has fuit nobilis virgo, postea mater optimi & doctissimi viri *Johannis Conradi Cochii*, Antistitis deinceps apud Scaphusanos eximii: Erasmus Ritterus, qui prius Evangelium oppugnaverat, ad id ex Bavaria arcessitus (a) Evangelium nunc, uti jam diximus, magno Zelo propugnat, cui collegæ adjunguntur doctissimi viri *Wolffgangus Biderman* Rotvilanus, *Beatus Gerinus* Tigurinus, & *Benedictus Burgowerus* San-Galliensis. Imagines, picturæ, ornatus Papisticus, altaria ad tempus fuêre relicta; Consultius enim visum ista prius ex animis, quam oculis hominum tollere. Cives verò quidam, quod Senatum censerent nimis circumspectè in tollendis abusibus procedere, non solum ipsis jejuniorum diebus carne vesci, sed & in Festo Sanctorum quod Kalendis Novembribus celebratur, noctu templa adire (b) atque ex iis altaria & imagines tollere, ac demoliri cœperunt, quod intempestivum certè ipsorum consilium parum abfuit, quin toti Reformationis negotio apud Scaphusanos posuisset obicem; Ipsis saltem consultoribus evasit pessimum; Turbarum enim auctores partim cum uxore & liberis in exilium mittebantur, partim temeritatem suam magna pecuniæ summa redimere debebant; Dum interea Episcopus Constantiensis hanc captare occasionem, atque de novo Magistratum, „ ut Ecclesiæ Romanæ fidem servarent, & suppressis motuum seminibus ea quæ „ ad pacem & tranquillitatem facere poterant, curarent, „ hortari non negligebat; Cui Magistratus, „ se nil quicquam magis „ habere in votis respondit, quam ut Verbum Dei purum ipsis „ annunciaretur. „

Sub idem tempus & SAN-GALLENSES Tigurinorum exemplo moti se ab imaginum cultu averterunt: Erat apud ipsos præter eos, quos supra jam commemoravimus, *Johannes Kessler*

(a) Conf. §. XCIII. p. 250, 251. it. §. XCV. p. 259

(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 183.

ster (a), Witeberga domum reversus, & *Wolfgangus Ulmian*, Monachus nuper Curiensis, itemque *Dominicus Zilli*, Ludimagister; Hos in veritate Evangelica mirè confirmarunt *Leo Judæ* Tigurinus & *Seb. Hofmeister* Scaphusanus Ecclesiastes, qui illac cum infecta re ab Abbatiscellanis, uti deinceps videbimus, redirent, transeuntes rogatu civium sunt concionati. Ipse verò Senatus San-Gallensis, cujus moderatio singularis in toto illo processu laudatur, ne cum tumultu Reformatio procederet sedulò curabat, eaque propter noctu per certos homines ut ex templis aufferrentur statuæ, ordinabat, usquedum sensim eædem ablatæ essent omnes, quando simul ipsis pastoribus, ut populo Verbum Dei purè annunciarent (b), injungebatur: Quæ præterea in commodum pauperum & Ecclesiæ decorem ordinata sunt, de iis uti in sequentibus quædam monebuntur, ita legere licet librum Joannis Kesleri de ritibus & institutis Ecclesiæ San-Gallensis.

Neque autem ad *Tigurinos* tantum & *Scaphusanos*, sed & ad ABBATISCELLANOS nomine X. pagorum fiebat legatio, sed successu parum exoptato, prouti in sequentibus videbimus.

MULHUSANOS præ reliquis omnibus in expurgandis sacris diligentes fuisse ac strenuos, auctor Chronici (c) Mulhusani nobis refert; Enimverò sub principium hujus anni, Clericis, „ ut „ procul esse juberent concubinas, vel eas in matrimonium du„ cerent,„, præcipiebatur, atque simul publica prostibula abolebantur, cum Decreto, ne unquam vel unquam ea deinceps tolerarentur. Est verò etiam ibi Colloquium religionis, evocatis ad id quibusdam Viris Doctis Basileensibus, celebratum, de quo tamen plura nobis non constant propter documentorum penuriam

(a) SCULTET. p. 224. Notatu digna est illa quam Pontificii sparserunt de hoc Kesslero (quem in fabrum ærarium qui Helvetico idomate *Kessler* appellatur, transformabant) calumnia, dicentes, *eum* ahenis suis *regiones quascunque pervagatum* San-Gallis *substitisse, ibique in compotatorio publicam habuisse concionem*, quam HOTTING. retudit, Helv. K. G. p. 195.

(b) HOFMANN. in Ref. Sangall. apud Hott. K. G. p. 181.

(c) apud HOTT. Helv. K. G. p. 160. conf. quæ jam de Mulhusanis §. XCIV. p. 255, 256. tradidimus.

riam (a): Interea Sacerdotes ipsi, obsecundantes illi magistratus decreto maximam partem conjugia inibant & clericorum otiosorum turba abinde ad certa quædam vel civilia vel ecclesiastica destinabatur munia: Eratque is collationis illius non eventus tantùm sed & effectus, ut Missa veterasceret, quin imo penitus aboleretur, in cujus tanquam abominabilis idoli abrogatione primas fermè tulisse *Mulhusanos* in comperto est, qui prætereà ceteras quoque abominationes Papales, quanquam eæ altas egerant radices, & magna vi defendebantur, abrogare præclaris ausibus non fuerunt veriti.

§. XCIX. BASILEENSIUM Evangelista Johannes Oecolampadius indefessa opera, magno zelo, nec minore fructu (b) Reformationem in urbe Basileensi promovebat, quem frustrà Johannes Cochlæus missis Stutgardia literis, amplissimis promissis à veritate agnita avocare conabatur. Adjungebant se Oecolampadio M. *Wolfgangus Weissenburgius* (c), *Marcus Bersius*, Frater *Johannes Luthardus*, Frater *Thomas Geierfalk*, primi reformatæ doctrinæ apud Basileenses præcones. Atque his omnibus favebat, ne de *Conr. Pellicano* & reliquis Evangelii apud eos promotoribus & confessoribus quicquam dicamus, *Caspar Schallerus* Urbis Secretarius.

Quæ omnia quod graviter admodum à sacrificulis sint accepta, facile conjici potest, quippe qui alto clamore insurgere, atque hos ipsos præcones ingens nefas committere, atque gravissima in eos constitui debere supplicia, crepare non desinebant, sicque multifariis tumultibus atque molestiis materiam suppeditabant, animorumque discidia fovebant.

Tum verò, Senatus Basileensis, cujus cum maximè moderationem in eo laudat ERASMUS (a), omnibus ditionis suæ concio-

(a) HOTTING. K. G. pag. 160. ex Henr. Petri Chronico Mulhusano MSS.

(b) De OECOLAMPADII pro Evangelicæ doctrinæ puritate ardore testem habemus ejus epistolam, quæ præfixa est ejus *in primam Johannis Epistolam* demegoriis, uti non minus egregiam lectuque dignissimam Evangelicorum Apologiam is *Commentariis* suis *in Danielem* præfigi curavit. cf. quæ §. XCV. p. 257. sq. ad annum superiorem monuimus.

(c) SCULTET. Annal. Dec. I. p. 216.

cionatoribus mandat, „ ut eloquia Dei, non hominum, populo „ proponant, à conviciis & maledictis abstineant, atque edicti „ violatoribus ſeveras pœnas minatur. „

Sed *Gulielmi* FARELLI, qui jam apud Meldenſes Gulielmi *Briſſonneti* Epiſcopi Meldenſis(b) auctoritate docuerat Evangelium, præproperus adventus, Evangelii apud Baſileenſes ſucceſſum propemodum evertiſſet: Is enim, uti fervor ejus ingenii planè ſingularis erat, cum menſe Februario ex Gallia profugus Baſileam veniſſet, ſe ſtatim Theologis illius urbis ad diſputationem publicam offerebat; Neque certè in ipſo ulla fuiſſet vel mora vel cunctatio, modo reliqui, inter quos Epiſcopi cumprimis vicarius *Henricus de Schœnaw*, itemque *Ludovicus Berus* (c), Præpoſitus D. Petri & Academiæ Rector erant, tam facilè aſſenſum ſuum præbuiſſent. Enimverò, hi, quod Theſes ejus, novæ, uti judicabant, doctrinæ eſſent affines, omni modo id impedire conabantur, eique diſputandi poteſtatem denegabant: Id ubi reſcivit Senatus Civitatis, is Farello ſtatim, quod ejus Theſes Evangelio viderentur conformes, denegatam diſputandi poteſtatem indulgere, atque ut themata ſua in collegio publicè affigeret, concedere, quæ hæc erant.

1. Chriſtus perfectam vivendi regulam nobis præſcripſit:
2. Chriſti mandata ſunt obſervanda, in quibus, iis qui continentiæ donum non habent, Matrimonium præcipitur.
3. Alienum eſt ab Evangelii luce & Judaicum, diſcrimen ciborum, veſtitus, cerimoniarumque aliarum obſervare.
4. Periculoſæ ſunt preces multorum verborum, contra Chriſti mandatum.
5. Officium Sacerdotum proprium eſt prædicare verbum Dei, idque omnibus præferendum.

(a) ERASM. Epiſtol. ad Bilib. Pirckheim. Epiſtolar. n. DCLXXXIV. fol. 803. „ Argentorati magnus eſt tumultus etiam in Senatu. Noſter „ magiſtratus cœpit moderatius favere Lutheranis, timent exemplum Ar„ gentinenſium.

(b) Favit admodum Evangelio renaſcenti *Briſſonetus*, atque illud fovit, ſed non ea, qua par erat animi conſtantia. vid. Theod. BEZ. Hiſt. Eccleſ. des Egl. Ref. Tom. I. pag. 5.

(c) De *Ludovico Bero*, ubi ad A. 1526. devenerimus, hiſtoriam Diſputationis Badenſis enarraturi, quædam monebuntur.

6. Mandata Christi non sunt in consilia convertenda, nec contra.
7. Qui fratrem non sincerè Evangelium docet, illum Christi pudet.
8. Qui non fide justificari se credit, sed operibus & propriis viribus ille seipsum Deum facit.
9. Soli Deo sacrificia offerenda, quæ spiritus dictat.
10. Qui bene valent, nec toti verbo addicti sunt, manu laborent.
11. Christiana Judaica illa & hypocritica jejunia & idola inprimis sunt fugienda.
12. Cerimoniæ Judaismum sapientes omittendæ sunt.
13. Id unicum curandum ut Christus nobis allucescat, cujus unius nutu non astrorum aut elementorum vi omnia gubernantur.

Hæc itaque (a) ubi fuerunt divulgata, Episcopi vicarius, Rector item & Regentes Academiæ, sub excommunicationis pœna, suis auscultatione & oppositione interdicunt. Contrà, Senatus derogari eo mandato suæ auctoritati ratus, Theologis, Parochis & Academiæ civibus præcipit, ut intersint: Secus facturis usu molendinorum, furnorum & mercatus interdicit (b). Habita est ergo Disputatio d. 15. Februarii, ipsæque illæ dissensiones Procerum Urbis & Academiæ, ut tantò major conflueret hominum clericorum pariter atque politicorum frequentia, efficiebat, eo tamen cum eventu, ut ipsa Pontificiorum factio non ante quiesceret, quam Farellus urbe ejectus esset, *Montis Belligardi* (c). vineam Domini plantaturus. Intereà tamen, Oecolampadius in cœpto suo feliciter pergebat tramite, atque hoc ipso anno (d) cum

(a) v. ADAMI Vit. Theol. Exteror. fol. 57. & SCULTET. Annal. p. 217. sq. ex Actis disputationis illius Germanicè tum publicatis.

(b) De hoc interdicto procul dubio intelligi debent Lutheri verba ad Oecolampadium in Ep. Tom. II. fol. 184. b. *Placet egregiè mandatum Basileensis Senatus, adversus vicarium Episcopi & Magistros nostros.*

(c) Quæ verò ibi pro incremento Evangelii, cui favebat Ulricus Dux Wirtembergensis, inter Farellum & Franciscanum Monachum sunt gesta, exponuntur à doctiss. FRICKIO in Seckendorfio Germanico p. 663, 644.

(d) Ex Urstisio SCULTETUS p. 220, 221.

cum ad S. Martinum constitutus esset Pastor, Diaconum (a) jubet, infantes *linguâ vernacula* baptizare: Cœnam sacram *utraque specie* assensu Senatus distribuit; Missaticum, Purgatorium, & id genus alias Pontificias traditiones pro concione ex Scripturis refellit, sicque viam parat abolendis paulo post Pontificiis cerimoniis omnibus.

LICHSTALL oppidum est (b) ditionis Basiliensium. Evangelizabat in eo M. *Stephanus Stoer*, quem ob ductam uxorem quidam infamia notabant, alii convitiis proscindebant. Auditores id ægrè ferentes, petunt à Senatu Basiliensi, pastori suo potestatem faciat, factum suum publicè in urbe Basiliensi ex Scripturis justificandi. Senatus annuit. M. Stephanus omnibus templis & monasteriis affigit hæc themata:

1. Conjugium nulli hominum ordini in Scriptura prohibitum est.
2. Adulterium & scortationem omnes leges omnium ordinum hominibus prohibent.
3. Vitandæ libidinis & scortationis causa extra matrimonium, conjugium omnibus hominibus mandatum est.
4. Scortatio nullum hominum ordinem minus decet, quam Ecclesiasticum, idque propter scandalum.
5. Publicus scortator secundum legem Dei verè est excommunicatus, & idcirco non idoneus ad munus sacerdotale.

Dies disputationi dicta decima sexta Februarii: confluit maxima hominum turba; surgit Stephanus, rationem reddit, cur uxorem duxerit: themata sua Scripturæ dictis firmat: postremò, si quis vel ab Episcopo, vel à Capitulo, vel ab Academia, ad opponendum missus sit, obsecrat, ut se erroris ex Scriptura convincat. Altum ibi silentium. Compellat igitur sacrificulos præsen-

(a) Hoc nomine apud Helvetios pastores vicarii vel secundarii appellantur.

(b) SCULTET. p. 219. 220. & HOTTING. Helv. K. G. p. 162. conf. FUESSLINI Docum. ad Hist. Ref. Helv. T. II. p. 153. sqq. qui ipsius STOERII relationem Historicam eodem adhuc tempore editam atque ad Senatum Diessenhofensem ditionis Basileensis urbem directam, integram Collectioni suæ inseruit usque ad pag. 227.

sentes. His quoque tacentibus, *Oecolampadium* rogat, suum super thematibus istis judicium exponat. Is, se idem hactenus docuisse, affirmat. Idem se sentire *Conradus Pellicanus*, Professor Theologus, *Hartmundus à Cronberg*, Nobilis exul, quique post cladem Sickinganam Basileæ (a) versabatur, *Jacobus Wirbius*, Pastor deinceps Biennensis, *Jacobus Immelinus* M. *Wolffgangus Weissenburgius*, M. *Bonifacius Wolffhartus*, aliique profitentur. M. Stephanus, dissolutis eruditè argumentis contra matrimonium Sacerdotum à M. Bonifacio ex mente Pontificiorum propositis (b), magno cum honore ad Ecclesiam & uxorem suam rediit.

WALDSHUTUM oppidum est Austriaci (c) dominii ad Rhenum. In eo *Balthasar Hubmeyer*, sive *Pacimontanus*, non sine fructu hactenus Evangelium docuerat. Cives igitur aliqui Tigurinorum exemplum imitaturi cogitabant & ipsi de reformatione: quibus alii refragabantur. Ferdinandus Austrius civibus mandat, quieti sint, nihil innovent: nî pareant, dira minatur. Tigurini cives nonnulli suo in oppidum adventu animos Waldshutensium recreant. Sed non ita multo post domum revocantur, *vel* quod Balthasar Anabaptistica jam deliria spargeret, quod scribit Zwinglius: *vel* quod Senatus Tigurinus à Ferdinandicis Lucernæ violatæ confœderationis hæreditariæ esset accusatus, quam causam Bullingerus adfert. Quanquam utrumque fieri potuit.

ERASMUS (d) scribit ad Henricum Stromerum: „ Tiguri-
„ nos omnes divos ejecisse è templis, Waldshutenses etiam è vi-
„ treis fenestris privatarum ædium. „

§. C. ABBATISCELLANOS quod concernit, illa quam diximus reliquorum pagorum legatio dehortatoria, contrarium planè, atque ab intentione delegantium diversum sortiebatur even-

(a) Conf. Quæ de eo diximus ad Reformationem Francofurtanam §. LXIV. p. 148. Is enim sæpenumero ore & calamo Reformationis negotium promovebat.

(b) vid. ap. FUESSL. l. c. p. 189. sqq.

(c) SCULTET. p. 225, 226. conf. quæ sub fin. §. XCII. p. 249. tradita sunt.

(d) ERASM. Ep. n. 715. p. 834.

eventum, siquidem hi, potius hujus ipsius anni 1524. mense Majo in consilio publico (Lands-Gemeinte) decreverunt, „ non „ alia, quam quæ ex Scriptura S. cujus auctoritate stare & ca- „ dere se velle profitentur, comprobari possent ex suggesto pu- „ blico debere proponi ab Ecclesiastis & Sacerdotibus sub ex- „ communicationis & ejectionis pœna, „ cum illo tamen adjecto monito, „ se nolle abolere ullos ritus ecclesiasticos bonos & „ laudabiles, quin malos potius abusus, neque verò etiam, ulli „ publicè sermonem Dei annuncianti contradicendum esse &c. „ Inter ipsos cives quamplurimi favebant Evangelio, cui non minus addicti erant Ecclesiastæ complures (a); His verò admodum infestus cum esset unus ex iis *Theobaldus Huterus*, factum est, ut is multas admodum reliquis cieret molestias (b), ipseque Senatus tum publicam decerneret religionis causa Disputationem, quæ tamen, licet quoque *Leo Judæ* & *Sebastianus Hofmeisterus* ad eam essent vocati, ita successu caruit, ut hi quoque Tigurinorum & Scaphusanorum legati, quod sopitas jam esse lites referrent Abbatiscellani, re infecta discedere debuerint.

Intereà tamen per Abbatiscellanos Evangelii lumen in REGUSIAM (vulgo *Rheinthal*) quæ inter subjectos Helvetiæ nomen habet, estque tota nunc Reformatæ religioni addicta, diffusum est, atque felici sidere per operam fœminarum quarundam religionis gustu imbutarum (c) est propagatum; Quæ res, uti sudes erat in oculis Pontificiorum, ita multis modis eidem obsistere nitebantur pagi communes Papismo adhuc litantes, quibus ille tractus parebat, & ad quos eadem causa delata erat.

FRIBURGI Uchtlandiæ urbe hoc anno *Conradus Trægerus* Provincialis Augustinianorum, ut Ecclesias Helveticas turbaret, posteaquam Episcopo Lausannensi, laudabile, quod Lambertus Avenionensis ipsi inspiraverat, Reformationis studium, dissuadere conatus erat, *Centum Paradoxa* (d), Argentorati edita, dispu-

(a) v. ZWINGL. Opp. Tom. I. fol. 285. a.
(b) v. RUCHAT. T. I. pag. 240. ex HOTTING. Helv. K. G. pag. 193. 194.
(c) HOTT. Helv. K. G. p. 195.
(d) vid. Quæ de his prælibavimus §. XLVIII. p. 111, 112.

disputanda proposuit, pro Traditionibus hominum (a) contra Traditiones Dei, tacitè ut multi opinabantur, opposita disputationi Zwinglii de Verbi Dei auctoritate.

TOGGENBURGENSEM quoque Comitatum, qui Abbati S. Gallensi suberat (uti in hunc usque diem duæ partes Reformatæ religioni adstipulantur, tertia verò Papismo inhæret) hoc Anno vicesimo quarto per *Mauritium Milesium*, Pastorem Wattewilensem, *Johannem Doeringium* Pastorem Hembergensem, & *Blasium Farerum* Steinensem, purioris doctrinæ sensu illuminatum fuisse discimus (b), adeo ut ipse Senatus ad civium preces tum quoque jam Pastoribus injunxerit, „ ut uniformiter, sine „ additamentis & doctrinis hominum, Evangelii puritatem po„ pulo Christiano annunciarent· „ Quod prudentissimum Senatus Toggiensis decretum, quorundam ita statim exacerbavit animum, ut hi ea de re ad Abbatem San-Gallensem, atque hic vicissim ad ipsum Senatum referre, sed conatu tamen frustraneo, non dubitaverint: Fuit enim non modo illud edictum confirmatum, sed & ab accusatorum calumnia, confessores Evangelii tum tutatus est ipse Senatus: Quid? quod, cum *Suitensium* quoque Respublica ea de re gravem sanè ac vehementem ad eos mitteret epistolam, in qua, ut à Lutheranis & Zwinglianis factionibus abstinerent, easque vi & armis comprimerent, eos hortabatur, hi eam Zwinglio transmiserint, Zwinglium instimulantes, ut populares suos (erat enim is ortu & nativitate *Toggenburgensis*) in fide semel agnita confirmaret atque corroboraret: Neque verò tum Zwinglius suo deesse officio, quin potius egregiam ad Toggensium Senatum totamque eorum ecclesiam exarare Epistolam (c): In qua inter alia, prius „ se lætatum esse, affirmat, „ quod ex Ægyptiacis humanarum traditionum tenebris Deus eos „ liberatos in claram & admirandam Evangelii lucem produxisset; „ cujus claritate illuminatos plenius subinde & evidentius mirum „ illud & stupendum divinæ sapientiæ consilium eos perspectu„ ros

(a) SCULTET. Dec. I. pag. 203.
(b) HOTTING. Helv. H. G. p. 210, 211.
(c) Est ea scripta d. 17. Kalendar. Augusti A. 1524. atque legitur in Operibus Zwinglii T. I. fol. 149. sqq.

„ ros esse „ ominatur; atque deinceps, „ in tribus potissimum „ temporum superiorum cœcitatem fuisse conspicuam refert; „ *primò* in eo, quod à Christo abalienati Pontificem tanquam „ summum in terris Fidei Christianæ statorem coluissent, *secun-* „ *dò* in eo, quod in Sacramento corporis Christi veri nominis „ sacrificium offerri credidissent, & *tertiò* in eo, quod Imaginum „ & Idolorum usui ac cultui fuissent addicti; „ De *primo* ita, „ Quis enim, scribit, satis dignè explicare potest, quanta hæc „ animorum cœcitas fuerit, qua præstigiis quibusdam persuasi „ hominem miserum & mortalem loco Dei terrestris habuimus, „ tantamque eidem potentiam inesse credidimus, ut cœli simul „ & inferorum Dominus, illorum januas vel aperiat vel conclu- „ dat pro suo arbitrio, tantam denique ejusdem esse sapientiam, „ ut omnibus nobis imò posteris quoque ea necessariò servanda „ sint, quæ ab illo ipso quoque verbo Dei contraria traduntur? „ De *secundo* ita: „ Deus..... sacrosanctum corporis & sanguinis „ sui sacramentum instituit, ut hujus communi celebratione om- „ nes nos in unum corpus conjungeremur, ... Hic autem „ quorundam falsò religiosorum factio sese obtulit, quæ sacro- „ sanctum illud Christianæ communionis mysterium in sacrifi- „ cium convertere conata est, imò convertit, quod se ipsos pro „ nobis & peccatis nostris expiandis offerre dixerunt. „ De *ter-* *tio* denique ita: „ Deus imaginum & idolorum usum simul cul- „ tumque disertis verbis prohibet Exod. XX. Nos verò paupe- „ ribus neglectis imagines magno pretio & sumtu finximus, in „ illarum culturam ea impendentes, quæ pauperum alimoniæ „ servire debebant. Præterea carnis nostræ judicio decepti, non „ veremur dicere, nos imaginum consideratione non minus quam „ scripturarum doctrina erudiri &c. „ * Laudat verò etiam, in- terjectis quibusdam aliis, *Toggensium* sapientiam pariter atque moderationem hunc in modum: „ Hac ergo in re vestram laudo „ sapientiam, præstantissimi viri fratres & concives charissimi, „ quæ maturo & verè Christiano consilio hujusmodi technis sese „ opposuit, nec voluit permittere, ut verbi divini præcones „ cujusvis scurræ impii delationibus & calumniis lacessiti vel ac- „ cusati, temerario judicio, non audita plenius causa in vincula

„ conjecti opprimantur simul & tollantur è medio. Quis enim „ alicubi terrarum tantam injustitiam grassari credat, ut quemvis hominum, vel malum quoque inaudita causa opprimere & „ damnare liceat? & insanientium Judæorum more ad optimi cujusvis voces obstrepere clamitando, Hæreticus es, scurra, nequam, ganeo: tolle, tolle, crucifige, crucifige eum? Sentiet me hercle, communis vestra patria, quantum hoc consilii „ quietis simul & pacis vobis pariturum sit. Licet enim aliquo „ tempore ferat populus doctorum suorum vincula, persecutiones & cædes à summis episcopis immissas, non tamen hæc illum semper æquo animo laturum esse videbimus: imò gravissimarum seditionum occasionem tanta præbebit crudelitas, à „ quibus vos hoc medio liberatos sentietis, justo judicio calumniantium & obtrectatorum rabiem compescitis, nec eum statim indicta causa expellendum esse judicatis, qui vel hæreseos, „ vel alterius cujusdam criminis accusatur. Quantum enim nostri „ ingenii exilitas dispicere potest, non equidem aliam futurarum „ seditionum causam majorem magisque præsentem video, quam „ præcipitem illorum audaciam, qui monachorum quorundam „ & sacrificulorum delationibus irritati, fidelissimos ecclesiarum „ ministros & verbi præcones non audita ipsorum defensione vel „ opprimere vel vita spoliare conantur: qui certe parum perpendere mihi videntur, quot bellorum & calamitatum hi ipsi „ authores hactenus fuerint, cum vel nunc etiam sanguinolentis „ ipsorum consiliis aures præbeant. „ Veluti, post saluberrima, concivibus suis subministrata consilia tandem hanc ita claudit epistolam: „ Non moveant quæso nova & fœda quæ in me jaciunt convitia; sic enim tenebrarum potestas assolet. Certò „ enim affirmare possum, me non quicquam hactenus docuisse, „ quam quod divini Verbi legibus sit congruum. Hæreticum „ quidem facile vocabit quisquis is est, hæreseos verò convincere nullæ hominum artes, nullæ ipsius dæmonis imposturæ „ poterunt. „

§. CI. Erat idem ille annus, quo *Joh.* MEYER dictus ECK. (a), Ingol-

(a) De hoc *Eckio* memorabile est testimonium Jo. OECOLAMPADII:

Ingolstadiensis Academiæ Professor & Pro-Cancellarius, cui jam cum Luthero privatæ, cum Carolstadio autem ac Luthero publicæ intercesserant contentiones, à pagis Pontificiis ad novam disputationis cum Zwinglio ineundæ contentionem invitatus, Zwinglium ad Disputationem publicam provocabat; Atque ne ea res non ubivis in vulgus (uti erat animal gloriæ) emanaret, is d. XVII. Augusti singularem dare Epistolam ad Helvetiæ Ordines in Conventu Badensi congregatos: qua ut Zwinglius (a) suam quam tamen antehac strenuè defenderat, gloriosèque duobus colloquiis obtinuerat, causam, aleæ iterum novi certaminis subjicere cogeretur, maximoperè urgebat, utque eum in finem ipsi vel *Badæ* vel *Lucernæ* publicum indicerent Colloquium, iis persuadere allaborabat; dum tamen vel eo ipso, „ quod Helvetiæ Or-„ dinibus, sicque cuivis Magistratui politico, etiam inscio & in-„ consulto Pontifice Romano, colloquia religiosa indicendi, gu-„ bernandi, differendi &c. adjudicat officium,„ non solùm Romanæ Sedi grave satis infligit vulnus, sed & ab Ecclesiæ Romanæ praxi longissimè recedit: Enimverò, Zwinglius ejusmodi velitationes, quas norat sophisticas, atque in Evangelicæ doctrinæ jam apud Tigurinos stabilitæ atque plus semel defensæ contemtum adornatas subterfugere, atque data ad Eckium Epistola (b) procacitatem Eckianam mulctari potius, quam de rebus fidei cum ipso contendere, quanquam etiam tum se non refugisse omnem disputationem testabatur, atque eum in finem ipsum Eckium *Tigurum* evocabat. Interea dum Eckius (c) in eo gloriari, atque altera

DII: „ Non habebat enim Antichristus, aliud impudentius mancipium.„ conf. *Introd. nostr.* §. LXXXVI. p. 208. §. XCI. p. 219. §. CV. p. 250. it. FUESSL. in docum. ad Hist. Ref. Helv. T. I. p. 161, 162.

(a) vid. HOTTING. Sec. XVI. P. III. p. 143. sqq. qui se duas Eccii ea de re servare testatur Epistolas, ex quibus non pauca ibidem nobis communicat exerpta, loquax viri ingenium & fastum incredibilem præ se ferentia.

(b) vid. ZWINGL. Oper. T. II. fol. 565. seqq. Hanc Epistolam verò Documentis huic tomo subjectis inserere constituimus Num. XIV.

(c) HOTTING. Hel. K. G. p. 196, 197. RUCHAT. T. I. p. 264, 265. qui refert, quam Eccius tum tanta causæ, vel loquacitatis suæ potius con-

altera vice datis ad Helvetiæ Ordines sed integro anno interjecto, mense scilicet Decembri anni sequentis 1525. literis, Zwinglium & Oecolampadium multiplicis hæreseos (a), atque *negatæ* cumprimis *Transsubstantiationis* accusare, eosque variis incessere dicteriis non desistebat: Hæ literæ, cum ad Zwinglium delatæ essent, tum verò is ad ipsos quoque communes Helvetiæ legatos d. 15. Januarii 1526. exculpatorias dare literas non neglexit, hujus argumenti: „ se equidem non admodum necesse „ arbitrari, ut ad Eccii epistolam cavillatoriam & multis calum- „ niis refertam respondeat, interea tamen, vel eam ob causam se „ respondere velle, ne forsan is divinæ veritati aliqua ex parte „ officere possit: Illa convitia Ecciana, esse indicium, quod fi- „ de dignis Scripturæ S. oraculis doctrinam Zwinglii opprimere „ non possit: Eccium verò & Fabrum in eo colludere, non ut „ veritati quam oppressam jactitent, suppetias ferant, sed ut sibi „ parent exitium: Se in scriptis suis sibi contrarium fuisse nun- „ quam, licet etiam lacte primùm ac deinceps cibo solidiore fue- „ rit usus. Quando autem Sacramentum corporis Christi nomi- „ naverat, tum se nihil aliud velle quam hoc: Panem & vinum, „ quæ in communi illa & solemni omnium Christianorum gratia- „ rum actione frangi & bibi consuêrunt, sacramentum i. e. sig- „ num esse veri illius & viventis corporis Christi, quod ut à „ mortuis resurrexit, sic ad dexteram Dei Patris usque ad novis- „ simi judicii diem considet. Eos verò, qui tropum nullum vel „ figuram hic admittere volunt, non tantùm facere contra com- „ munem sensum, sed & de tribus Christianæ fidei articulis rectè „ sentire non posse: Ascendit in cœlos; Sedet ad dextram Dei „ Patris omnipotentis; Unde venturus est ad judicandum vivos „ & mortuos. Quod si enim Christum (addit) hic corporaliter „ man-

confidentia actus fuerit, ut sponderet Ordinibus, „ modò Tigurini eum „ audirent disputantem, eos adeò repente consilia sua esse mutaturos, „ ut abinde lubentius Turcarum fidem quam Lutheranorum sint am- „ plexuri. „

(a) Hanc Epistolam antehac nondum editam ex MSS. *Werneri Steineri* quod in Bibliotheca Tigurina asservatur, nobis subministravit Doctissimus FUSSLINUS in Docum. ad Hist. Ref. Helv. T. I. n. V. p. 161. seqq.

„ manducare voluerimus, jam illud necesse erit, ut dexteram „ Patris sui deserat. Corpus Christi enim non nisi uno in loco „ esse potest. Deinceps mirum sibi videri testatur, quod jam „ publica disputatione secum congredi velint, cum tamen Faber „ admodum nuper coram Amplissimo Tigurini Senatus Ordine „ palam testatus sit, *nequaquam ipsis licere, ut coram laicis Ju-* „ *dicibus disputare instituant:* Cæterùm monet, Amplissimum „ Senatum Tigurinum ad Eccium literas dedisse & salvum con- „ ductum, eaque typis esse vulgata, quanquam ea dissimulet Ec- „ cius, qui loca utrivis parti tuta adire non velit, nec scripto „ congredi, sed talia quæ securitatem, cum nulla sit, pollicen- „ tur, à quibus totus abhorreat ipse Zwinglius, qui ita sibi & „ verbo Dei periculum imminere prævideat, quanquam cetero- „ quin certo sibi persuadeat se divino favente Numine doctrinam „ suam contra omnes totius mundi doctores (a), si illam oppug- „ nare velint, fortissime adserturum esse. &c. &c.

Sed &, enarravit ipse ZWINGLIUS totam hanc causam tum temporis in scripto ad *Valentinum Comparem*, Archigrammateum Uraniensem, hunc in modum: (b) „ Eccius, inquit, duo- „ rum locorum Lucernæ nimirum & Badenæ optionem obtulit, „ ad quæ mihi commigrare quam tutum fuerit, piis omnibus ju- „ dicandum relinquo, cum certò sciam non infimi ordinis Lucer- „ nanum quendam, à quodam de salvo conductu mihi exhibendo, „ bonaque fide servando interrogatum, dixisse: *O! si in nostras* „ *tantummodo manus redigi posset* (me nimirum intelligens) *non diu* „ *illum de victu suo inquisiturum existimo.* Interim tamen con- „ gressum cum Eccio nunquam horrui, imo, cum certis de cau- „ sis, & propter præsens periculum (ut modo dictum est) obla- „ tas mihi civitates detrectarem, me tamen vel *Scaphusiæ* vel „ *Sancto-Galli* Eccio responsurum semper pollicitus sum: Sed „ obstitit prudentissimus Reip. Tigurinæ Senatus, ostendens com- „ muni illo Helvetiorum fœdere caveri, ne quis in alienum fo- „ rum, aut exterum jus quenquam citando pertrahat, sed eò „ loci in quo reus habitat, jus suum singuli persequantur. Hanc „ ita-

(a) vid. ZWINGL. Oper. Tom. II. fol. 571.
(b) vid. ZWINGL. Opp. Tom. I. fol. 230. b.

„ itaque rem ſibi & Reip. Tigurinæ fraudi fore dicebant, cum „ non ignorare poſſent, nullam ex Helvetiorum civitatibus illud „ permiſſuram, ut quis civem aliquem in jus exterum & ad alie- „ nos judices evocaret. Unde factum eſt, ut jubente Senatu „ hanc ſponſionem meam, qua vel Scaphuſiæ vel Sancto-Galli „ me cum Eccio congreſſurum eſſe promiſeram, revocare coac- „ tus ſim. Cum verò ex magiſtratus ſententia me omnes civita- „ tes exteras detrectaviſſe audiret Epiſcopus Conſtantienſis, illi- „ co per literas ad Lucernana comitia ſcriptas, inſtitutam illam „ adverſus me Eccii diſputationem differre præcepit. Priusquam „ autem hæc evenirent, Eccii literæ ſemper per Epiſcopi lega- „ tos ad Helvetiorum Comitia perlatæ ſunt. Unde cuivis conji- „ cere licet, an liberam diſputandi copiam, vel minus, mihi fac- „ turi fuerint, cum nunquam eò adduci potuerint, qualescun- „ que conditiones per me offerrentur, ut diſputationem hanc „ Tiguri contra me inſtituerent. Hanc enim nunquam detrecta- „ vi, ſed ſemper ſubire fui paratus. „ Ipſi verò etiam tum Tigurini mala illa Pontificiorum conſilia ſubodorati, per legatos ſuos apud reliquos ordines Badæ congregatos cauſas expoſuêre, quare Zwinglium ad eum mittere nollent locum, qui quinque pagis, Lucernatibus, Uriis, Switiis, Underwaldis & Tugiis, omnibus Pontificiis, parebat, quippe qui omnes eum inauditum jam declaraverant hæreticum, libros ejus igni conſecraverant, atque in defenſionem fidei Pontificiæ ante colloquium conſpiraverant; Sed potius doctos omnes Bada Tigurum evocabant. Quæ tamen excuſatio quò minus locum invenerit, obſtitit adverſariorum Evangelii conſtantia, *Fabri*que & *Eccii* pervicacitas & ne hanc occaſionem opprimendi Zwinglium ſibi paterentur eripi, ſolers ſtudium, uti deinceps ad A. 1526., quando *Diſputationis Badenſis* progreſſum enarrabimus, exponemus.

§. CII. Quidquid ſit, ſilentio hic prætermittere non poſſumus eosdem illos novem pagos (a) Evangelio maximopere infeſtos qui ſub initium hujus anni 1524. ſcripſerant ad Tigurinos,

„ ſe

(a) HOTTING. Hev. K. G. pag. 200——204. RUCHAT. T. I. pag. 268, 269, 270.

„ ſe quoque (a) ita reformationi non adverſari, ut permulta quæ „ moleſta ipſis ſint atque gravia, non recuſent, quò minus corrigantur, quin verò etiam ſibi vehementer illa diſplicere, & „ una cum ipſis velle deliberare, quemadmodum onus illud excutiant, „ hoc eodem anno, ne fruſtrà hanc fidem dediſſe viderentur Tigurinis, communicato conſilio cum Walliſiis, eam rem in comitiis Lucernenſibus ſuſcepiſſe ita (b), ut in hanc ſententiam convenirent, „ ſe, cum perſpiciant quam ſupremus Pontifex (c) æque ac reliqui prælati Eccleſiaſtici non ſatis vigilent „ in medio harum turbarum, ſui tanquam magiſtratus politici „ officii eſſe judicaſſe, his ipſis ut quantumpote ſuccurrerent: „ ſeque adeò, quanquam omnem rerum novarum ſuſpicionem à „ ſe amoliantur, tamen ita circà Reformationem quandam pro „ ſua auctoritate definire. „

1. Ne Curati, Sacerdotes eorumque Diaconi pro ſacramentis adminiſtrandis exigerent quicquam, quin gratis potius ea adminiſtrent; Detur verò ipſis juſtum & debitum à populo ſalarium; In quo ſi vel curati deficiant, vel populus, ut id ſibi tanquam Magiſtratui civili ubivis locorum denuncietur.

2. Ut Curati &c. honeſtam degant vitam, atque cœtibus ſuis virtutis omnigenæ præbeant exemplum; cæterum, illos abuſus, quos antehac quidem toleraverant, ſe dehinc tolerare nolle.

3. Unicuique Curato, ne conferatur niſi unicum beneficium; ipſe autem Curatus provideat, ut ſuo cœtui ſemper ſit præſens.

4. Quod ad Jurisdictionem Eccleſiaſticam, ſive etiam Excommunicationem; illicitum prorſus eſſe quenquam propter res merè civiles ac pecuniarias vocare in jus, coram Judicio vel Foro Eccleſiaſtico: Solas enim res Eccleſiaſticas ſubjici debere foro

 eccle-

(a) v. *Introd. noſtr.* §. CXX. pag. 297.

(b) vid. HOTTING. Helvet. K.G. p. 201. it. BULLING. in Hiſt. MSS. Tom. III. p. 153. & cumprimis pag. 156. ſqq. itemque LAUFFER. in Helv. Geſch. T. VIII. p. 2, 3, 4.

(c) *Dieweil der Obriſt und geiſtliche hirt der Kirche, und die geiſtliche oberkeit in diſen nothen ſchlaffe &c. ſo wil es uns gebühren als der weltlichen oberkeit ſelbſt in etlichen ſachen zu hilff zu kommen &c.*

ecclesiastico, quales esse definiebant causas Matrimoniales, Sacramentorum, Domus Religiosas, Templa, Hæresin, etsim. cum ea tamen reservatione, quod causæ matrimoniales prius ad Magistratum civilem referri debeant, qui easdem demum post cognitionem causæ institutam transferat ad Ecclesiasticos, apud quos omnia lingua Germanica non Latina sint peragenda.

5. Ne unquam ulli Indulgentiarum quæstori illa indulgentiarum nundinatio permittatur.

6. Ne Pastores loci, ulla sibi servent reservata peccata, quæ vel à Papis, vel ab Episcopis, soluta demum pecunia relaxari queant, ac remitti posse dicantur, quin potius, ut posthabita Papæ & Episcoporum auctoritate, gratis remissionem peccatorum annuncient, usque quo aliter ea de re fuerit constitutum.

7. Ne Curati unquam ægrotos adeuntes adhortentur, ut vel sibi vel suis cœnobiis ac monasteriis legata faciant, aut bonorum hæredes instituant.

8. Civili Magistratui ut Jus reservatum maneat, puniendi Ecclesiasticos, ubi deliquissent, pro ipso delicti merito, imò etiam, ab Ecclesiasticis exigendi omnia publica civium onera, vectigalia, tributa, &c.

Hæc erat illa, quam tum definiebant Reformatio, (quam, forte vocabulo ex historià sequentium ejus ævi temporum petendo rectè appellaverimus, *Helvetiorum Interim*, (a)) satis manca, sed quæ tamen ipsi Ecclesiasticorum Ordini suis Beneficiis nimium quantum inhærenti ac addicto non poterat non displicere, neque verò etiam eadem ab omnibus pagis recipiebatur, nisi quod Bernenses tamen eandem sequenti statim anno receperint, &, additis quibusdam mutationibus in ditione sua publicarint (b), cum reliqui pagi provocantes ad Concilium proximum, se eidem subjicere detrectarent.

Ad

(a) Notum est quam hoc nomine veniret A. 1548. Formula illa Emendationis Ecclesiasticæ, quam sua auctoritate conscribi jusserat Cæsar, & cui is, usque ad Concilium Generale alligare volebat ipsas Protestantium conscientias, ut scirent Protestantes, quid illis dum Concilium protrahebatur *indies*, per Imperium Germanicum *interim* esset observandum.

(b) STATTLER. T. I. p. 642. sq. RUCHAT. T. I. p. 316. sq.

Ad annum verò 1524. & 1525. quoque pertinet Evangelicæ Doctrinæ propagatio inter GRISONES (vulgo *Grau-bündter*) sive, *Rhætos proprie dictos*, felici sidere facta, cum per alios quam multos Doctores, Evangelii luce collustratos, tum per *Johannem Comandrum* (vulgo Dorffmann) (a), qui singulari casu ad Pastoratum Parœciæ S. Martini civitatis Curiensis, quæ primaria est Rhætorum secundi fœderis, electus erat, varioque modo abinde Evangelicæ doctrinæ progressum usque ad A. 1557. consilio, scriptis, ore promovit; accedente Evangelistarum, quorum numerus usque ad quadragenarium (b) adscendisse dicitur, inter Grisones turma eximia; Inter hos verò præ reliquis propter mirificam oris facundiam, eloquii gravitatem & persuadendi vim, laudem habuit *Philippus Galitius*, vel *Salutius*, de quo relatum est quod is quæ volebat non tam dicere quam instillare auditoribus suis videretur, præterquam quod animi inter varias persecutiones constantiam singularem præ se ferret, quippe de quo *Pontisella* (c) A. 1567. hunc in modum, „ Longo tempore, „ inquit, (ab Anno scilicet 1524.) „ fortissimo constantissimo animo, ac „ primis annis, etiam cum vitæ suæ periculo, Evangelium in „ Rhætia propugnavit: „

Sed & memorabile est, quod de *Samuele Frickio* (d) Pastore Meyenfeldensi refertur, ab eo scilicet primò quidem nihil abfuisse longius quam annunciare Evangelium, quippe qui magna quoque virium contentione ei obsistebat; Enimverò is, quò suas

(a) RUCHAT. T. I. p. 273. & HOTTING. Helv. K. G. p. 208. ex ipsius *Comandri* ad *Zwinglium* Epistola anecdota, conf. FUSSLIN. collect. docum. ad Hist. Ref. Helv. T. I. p. 341, 342.

(b) apud HOTTING. Helv. K. G. pag. 210. & RUCHAT. l. c. pag. 275.

(c) apud HOTTINGER. in notis ad pag. 209. Fuit is *Johannes Pontisella* antehac Canonicus atque archidiaconus Curiensis, deinceps verò Minister Evangelii, v. HOFMEIST. acta colloq. Rhætic. §. VII. pag. 356. ap. FUESSL. in docum. T. I. *Galitius* autem ipse Camogasii natus erat A. 1504. atque A. 1526. Colloquio intererat Rhætico, de quo tum nobis est agendum.

(d) v. HOTT. l. c. p. 210. & RUCHAT. p. 275. ex ANHORNII Palingenesia Rhætica pag. 21. sq.

adverſus hæreticos querelas tanto majori cum ſucceſſu inſtitueret, nihil opportunius eſſe judicabat, quam ad ipſum Pontificem Romanum eas deferre, eaque propter Romam proficiſci; At verò, cum is eo delatus eſſet, atque aliquamdiu hæſiſſet, ſceleraque & abominationes cum civitatis tum curiæ Romanæ contemplatus eſſet propius, tum verò pedem retraxiſſe, atque non corpore ſolum ſed & animo prorſus ab Eccleſia Romana ſeceſſiſſe, ſeque ipſum junxiſſe Evangelii doctoribus, iisque ſtrenuam inde ab eo tempore navaſſe operam, ut non ſemel quoque profeſſus fuerit, id quod paradoxum videri poſſet, ſe Romæ factum eſſe Evangelicum.

§. CIII. *Valentinus* COMPAR, Vir eruditus at veteri ſuperſtitioni addictus inter *Uranios*, qui Archigrammateī dignitate fungebatur, hoc tempore adverſus quosdam doctrinæ purioris à Zwinglio expoſitæ articulos, de Evangelio, de Doctoribus vel Patrum auctoritate, de Imaginibus & de Purgatorio, ſcriptum quoddam ediderat, idque in publicis comitiis præſente totius populi URANIENSIS concione recitaverat; Huic, utpote viro honeſto, & qui magna verborum civilitate ac modeſtia fuerat uſus, quique præterea pio videbatur religionis duci Zelo, reſpondere ZWINGLIUS æquum arbitrabatur, atque adeò egregiam bonaque fruge pleniſſimam ad ipſum adornare *Reſponſionem* (a) A. 1525. quæ inter Zwinglii Opera legitur, quod jam verbo notabamus: In hac Reſponſione ad Senatum populumque *Uranienſem* quædam præfatur, easque quæ in ipſum projectæ erant, calumnias à ſe amolitur, atque quanti faciat opus Evangelii teſtatur, de quo ultimo: „ Hoc enim (b) ſolum, inquit, „ & unicum eſt animarum ſolatium, veritatem enim in lucem „ protrahit, Dei verò cognitionem veram tradit, Dei amore „ animos noſtros incendit, fidem auget, pacem conciliat, ſed „ eam quæ ex Deo eſt; è contra perfidiam pandit, incredulitatem impiorum prodit, turpia audaciſſimorum hominum flagitia, hypocriſin & ſimulatos falſorum animorum fucos detegit. „ Deinceps ſermone directo ad Valentinum Comparem, ſtatim à prin-

(a) ZWINGL. Oper. Tom. I. fol. 226——264.
(b) fol. 228.

principio, quantum intersit inter doctrinam Evangelicam & humanas traditiones edocet, simul verò quantum impedimenti afferant traditiones hominum ad veritatem Evangelii rectè perspiciendam exponit: „ Qui enim candentis nivis nitorem diutius intuiti „ per nivosa (a) loca ambulaverunt, si quando in amœnos campos lateque virentia prata pervenerint, longo tempore post „ pristino splendore capti oculorum visu falluntur: quin invenire licet nonnullos, quibus non nisi longa medicorum cura pristinus visus potest restitui, cum aliquot rursus oculis capti „ omni visu in universum spolientur. Ea est humanæ mentis atque intellectus ratio. Multis enim jam seculis nullo alio quam „ humanarum legum & traditionum regimine ducti incessimus, „ quarum fascinum animos nostros ita occupavit, ut in virides „ & apertos verbi divini campos producti, illius splendorem clarissimum non nisi cœcutientibus oculis intueri possimus &c. „

Cæterùm ipse ZWINGLIUS in hoc quoque libello (b), quo ordine Ecclesiæ Reformationem ipse sit aggressus, his exponit verbis: Priusquam aliquod in fidei & religionis negotio dissidium exortum est, ipse jam ante non semel cum præcipuis aliquot Ecclesiæ proceribus, Cardinalibus & Episcopis conferre cœpi, & de traditionum humanarum erroribus disputare, simulque monui, ut abusuum, errorumque copiam paulatim tollere aggrediantur: hoc enim nisi fiat, illos aliquando nimio pondere nutantes majori cum tumultu & fragore casuros esse. Cum enim *ante annos octo* adhuc (c) in Mariæ *Helvetiorum Eremo* versarer, de his cum *Matthæo* Cardinali *Sedunensi* collocutus sum, cumque jam Tiguri habitare cœpissem, sæpenumero apertis clarisque verbis testatus sum „ Papatum omnem frivolo & brevi ruituro fundamento inniti, „ idque solidissimis scripturarum locis semper comprobavi. Testes hic citare possum, ita pergit, generosum virum & Baronem cla-

(a) fol. 229.
(b) fol. 230. conf. Quæ jam de iis in *Introduct.* §. CX. p. 262. annotavimus & §. CXIV. p. 274.
(c) Est verò hæc responsio scripta ad d. xv. Kalendr. Maji 1525. unde retroducta supputatione annorum *octo* sequitur eum jam in ipso reformandi studio, quod alibi à nobis indicatum est, prævertisse Lutherum.

clarissimum D. *Theobaldum à Geroldsegk*, *Franciscum Zingk*, & *Michaëlem Sander*, qui omnes adhuc in vivis sunt, & me talia dicentem sæpius audivere. Quin de ipso Cardinale certo pronunciare possum, hunc non semel tantummodo animum suum prodidisse in hæc verba. „ Quod si domini clementia me in pristi„ num dignitatis & imperii locum restitueret, ut in portu res „ meæ collocarentur (jam tum enim ipsi Pontifici, & Cardina„ lium gregi invisus horum indignationem sustinebat) huc certe „ omnes nervos intensurus essem, ut Romani Pontificis fastus si„ mul & impostura in lucem protracta justa aliqua reformatione „ emendarentur. „ Et sæpius deinde nobiscum de doctrina & Sacra Scriptura disseruit, semper tamen hunc animum prodens, qui Romanensium errores probè cognosceret, & cognitos improbaret. Qualis verò idem hic postea fuerit, qualemque se gesserit, non est hujus loci vel temporis exponere.

Cæterùm de adhærente unicuivis etiam fideli, pravitate carnis, is ita (a): „ Quamdiu in seculo hoc & mundo corruptibili „ vivimus, ingenium & naturam suam caro non deserit. Est au„ tem hæc arrogans, philautos, ambitiosa & confidens. Quam„ vis verò cœlestis pater Spiritu suo hominem aliquem attrahat, „ ut à summis illis & capitalibus flagitiis omnino liber sit, re„ manent tamen adhuc tot ac tantæ peccatorum reliquiæ, ut „ continua adhuc & quotidiana pedum lotione opus habeat, cu„ jus ipse quoque Dominus Jesus Christus Joh. XIII. memi„ nit. „

In Imaginibus demoliendis quam ipse omnia caverit extrema, quippe qui etiam reprehensione dignos judicabat eos qui sine discrimine demolirentur omnes, ex his ejus patet verbis: „ Ima„ ginum populatores (b) æque hic atque etiam earum defensores & „ patroni errare solent; Qui enim has semel populari & confrin„ gere incipiunt, omnes imagines ex æquo confringendas & tol„ lendas esse censent, cum tamen sola idola, quæ ad deorum ima„ gines formata ad cultum prostant, demolienda sint. Qui verò „ imaginibus patrocinari semel instituere, huc spectant, ut vulga„ res

(a) fol. 237.
(b) fol. 242.

„ res alias & indifferentes, neminique noxias imagines defendendo, „ idola quoque deorum, ceu rem externam & nemini noxiam asserere possint ab interitu, cum scilicet hæc citra omne religionis „ damnum digne usurpari posse clamitant: quod tamen nullo modo „ prorsus fieri potest. Hoc autem diligenter tibi in hac disputatio- „ ne nostra observandum est, Valentine dilecte, Idolum hic nobis „ pro imagine dei alicujus tutelaris, penes quem bonorum fontem „ & thesaurum quærunt homines, usurpari, tum pro eo simula- „ chro, quod divino cultu prosequuntur. Imagines verò dicimus „ omnes omnium rerum visibilium expressas similitudines, quæ ad „ nullum cultum, nullam superstitionem, nec aliquem usum ido- „ lolatriæ institutæ sunt, quibus denique non aliquis cultus exhibe- „ tur. „ Enimverò deinceps quantis & quam abominandis superstitionibus fuerint immersi circa imaginum & sanctorum cultum prorsus idololatricum, Pontificii, gravissimis verbis edocet, indicando: „ *Quod* longe plurimi se gravissimorum peccatorum „ remissionem assecuturos esse, vel ex contactu ligni aut lapidis, „ quem faber arte sua expolivit (a), arbitrati fuerint, cujusmodi „ superstitionem indulgentiis suis confirmaverit Romanus Ponti- „ fex, dignus hoc choro choragus; *Quod* nunquam Gentiles ma- „ jorem commiserint idololatriam cum ipsorum simulacris, quam „ Pontificii cum Lauretana, Lausannensi, & Walsagamica B. „ Virginis imagine. *Quod* ipsa hæc superstitio admodum prodi- „ giose esset aucta seculo hoc ultimo. *Quod* non deessent vivi, „ qui multiplicationis imaginum (b) pudendæ recordari possent, „ *Quod* etiam nunc in locis montanis non tanta esset simulacro- „ rum copia quam alibi; *Quod* in tantum excrevisset Imaginum „ numerus, ut si decem illarum tantum fœni (c), quantum una „ solet

(a) fol. 244. b. seqq.

(b) *Plurimos invenire licet non usque adeo provectæ & decrepitæ ætatis viros, qui sua adhuc memoria cum juniores essent vix centesimam idolorum partem eorum, quæ nunc sunt, in templis extitisse, probè norunt*, fol. 252. a.

(c) „ Majores enim nostri omni laude digni & præstantissimi homines, „ imaginum usu magna ex parte caruerunt, quamadmodum vel hodie il- „ lorum religio testatur, qui montanam regionem incolunt. Nunc verò „ tanta

„ solet absumere ovis, opus haberent, vix alimenti ipsis sufficeret copia; *Quod* plurima Imaginum pars ad scandalum potius „ & ad cupiditates carnales suscitandas (a) esset efformata magis „ quam ad inspirandum devotionem. *Quod* immensas ex imaginibus opes sub pietatis prætextu corradant Clerici, aurumque „ & argentum studiosè ex donariis, quæ per meram pontificis „ imposturam fiunt imaginibus, coacervent, quo postea sanctissimus ille Pater mulas suas magno cum luxu ornare queat. „ *Quod* sibi cognitum esset templum idolis sacrum (b) (indigitat „ *Eremitanum*) in quod ultra centies centena millia aureorum „ impensa sint, si ædificiorum sumtus, vestium luxum, auri, „ argenti & gemmarum pretia diligenti ratione subducas: *Quod* „ si verò totam illam diœcesin venum exponas, nemo principum sit, qui eam vel decima sumtuum impensorum parte esset „ redemturus.

§. CIV. Eodem hoc anno 1525. VITODURENSES (c) imitati exemplum vicinorum Tigurinorum, abjecerunt & ipsi imagines, destruxerunt altaria, Missamque & quæ illi affinia, abrogarunt.

Neque tamen apud SCAPHUSANOS, quam hoc anno fervidè nimis urgebant cives Evangelio addicti, Reformatio, æque prospere ac feliciter ac apud Tigurinos procedebat. Quum enim jam d. XVI. Maji hujus anni eousque progressus erat Magistratus Scaphusanus, ut monasterium omnium sanctorum non amplius à cœnobitis, sed ab ipso Magistratu penderet, qui & quæstorem ærarium ipsi præfecerat, tum solenni juramenti civici die ex civibus quamplures jurare detrectabant, „ nisi prius ipsis fides daretur de abolendis ad exemplum Tigurinorum Imaginibus (d) „ omnibus, „ cui postulato etiam alia quædam ipsum regimen con-

„ tanta est imaginum copia, tam immensus idolorum numerus, ut si decem illorum tantum fœni, quantum una ovis solet, absumerent, non „ diu illa alendo essemus, quin in forum delata venum illico exponerentur. „ fol. 253. a.

(a) fol. 260. a.

(b) fol. 260. a.

(c) *Die Winterthurer.*

concernentia adjungebantur; Cumque in festo corporis Christi idem illud repeteretur postulatum, tum equidem ex Senatu minori tres, atque ex majori totidem ad tollendas auctoritate publica Imagines legabantur; At verò, imaginibus sublatis, atque composito, uti credebant, aliquantisper civium fervore, qui in his petitis ferventiores fuerant, consilium abeundi cum suis accipiunt. Ea res statim irritare reliquos, eorumque excitare indignationem, quippe qui numero centum armata manu pœnitendo consilio adversus Magistratum insurgere, atque ab eo plenam conscientiæ libertatem expostulare non verebantur. Enimverò, magistratus ipse, cum reliquis civibus non minus Evangelicæ doctrinæ faventibus ad numerum quingentorum, è vestigio arma in armatos capessere; ut parum certè abesset, quin plurimum sanguinis fuisset profusum, nisi tempestivo eoque prudentissimo Legatorum Basileensium & Rothwilensium, qui opportuno tempore Scaphusanis aderant, consilio, motus hi intempestivi ita fuissent sedati, ut turbarum auctores, se reliquis numero prævalentibus, submittendo, atque juramentum antehac denegatum præstando, levi quadam multa pecuniaria florenorum ducentorum punirentur, atque de reliquo arma deponerent; Quanquam vel tum quoque utrique Pastores, *Seb. Hofmeisterus* æque ac *Seb. Hofmannus* urbe exire, sub eo prætextu, quasi ipsi his motibus dedissent ansam, jussi sunt; quando *Hofmeisterus* Tigurum petiit atque ibi per aliquot annos in annunciando Evangelio reliquis cooperatus est, utque motus apud Tigurinos Anabaptistici componerentur operam navavit; Neque tamen is ullam deinde cum Scaphusanis, nequidem cum optimis amicis ejus familiaritatem exercere aut inire commercium volebat, ne in collusionis cujusdam cum iis suspicionem veniret: Fuit is tamen intra triennium ad Bernense ministerium vocatus, atque ultimò apud Zoffingenses usque ad A. 1533. emortualem Evangelico munere functus est.

Tum verò apud CONSTANTIENSES (a) *Ambrosius Blaurerus* Evangelii causam frustrà ringentibus Canonicis, quibus frenum à magistratu injiciebatur, vetita scortatione, aliisque parum hone-

(a) vid. HOTTING. Helv. K. G. p. 261——263.

ftis contuberniis promovere, cum ipsi æque ac *Joh. Zwickio*, (qui nuper à Rutlingensibus in tractu Suevico instinctu Fabri propter Evangelicam doctrinam ab officio dimissus erat (a)) potestas dabatur certis horis publicè concionandi; Et quanquam Zwickius incertus adhuc animi num illic manere vellet, se illi vocationi non traderet, Blaurerus tamen eandem in se recipere: Dici autem nequit, quantæ tum illi, cum *Antonio Pirata* cucullatorum antesignano atque concionatore primario intercesserint lites (b) quod Pirata, nec verbo Dei innixus nec convenienter decreto Senatus Constantiensis, sermones suos contentiosos & in Evangelium injurios ad populum effutiret potius quam effunderet, eosque miris quibusdam flosculis exornaret v. g. *quod* Maria, tanquam *matercula* quædam adorari deberet, *quod*que ea tanquam *mediatrix* deberet considerari inter Christum & homines, eodem modo quo Christus inter Deum & homines mediator erat: *quod* ea, quippe quæ Christum Vitam nostram peperisset &c. quoque nostra esset Vita, spes &c. Ex his enim atque similibus locutionibus id consequi urgebat Blaurerus: *quod* qui per omnem vitam voluptatibus indulsisset, is recitato unice quotidiano suo Ave Maria tamen salvari deberet: *quod* is qui vel latrocinatus fuisset per omnem vitam, tamen, ubi unicum solummodò diem sabbathi in honorem B. Virginis jejunasset, à reliquis absolvi deberet; quæ omnia veræ tamen de sui abnegatione, & de amando proximum sicut seipsum, doctrinæ Christianæ essent inimica &c. Nam & cumprimis de calumniis Piratæ in doctores Evangelii conquerebatur, *quasi* ii solummodò hilare ac festive vivendum esse docerent, nec opus esse precibus nec jejuniis, *quasi* Testamentum N. in mille trecentis locis corrupissent, seque dum matrimonia contraherent sacer-

(a) Quam causam ipse Zwickius edito libello A. 1526. sub titulo. *Schrift an syne unterthanen zu Rüdlingen* &c. exposuit.

(b) Estque tum hæc res non apud Senatum Constantiensem solùm agitata, sed & ipse Blaurerus, singulari scripto totam illam Actionem publicavit, sub tit: *Warhafft bericht der handlung zwyschent Bruder Anthonyn Vicary Prediger ordens im hohen stift zu Constantz und Ambrosi Blaurern vor ainem Ersamen Raht daselbst beschehens uff den ain und zwainzigsten Tag dess Weinmonats* Anno 1525. 4. v. SCHELH. Amœn. liter. Tom. VI. pag. 341.

sacerdotio redderent indignos &c. Tota res post contentionem non unam atque masculam ipsius Blaureri propositionem Senatui factam in Evangelii cessit favorem, ipseque Blaurerus auctoritate Senatus in munere suo confirmatus est; atque, cum *Vannius* permittente Senatu (a) ad Memmingenses Evangelium annunciaturus abiret is *Zwickium* (quanquam vix potuerit adduci) collegam est nactus, qui Vannii vices adimpleret.

BERNENSES, qui illam à reliquis novem pagis definitam reformationis formam non equidem plenam, sed adjectis quibusdam mutationibus receperant, hoc anno eandem, sed non parum immutatam per novum quoddam de Religione Edictum, quod *triginta quinque* (b) absolvebatur articulis, publicabant: In his articulis & sequentia statuebantur; Artic. 9. „ ut circa purgatorium, horas canonicas, anniversaria etsim. unicuique libertas „ daretur credendi & agendi, quæ liberent. artic. 18. Ne sacerdotes uxorati privarentur vel beneficiis, vel patrimonio, artic. „ 21. absolutè quibuscunque interdicebatur venales habere indulgentias. artic. 23. Ne quis peregrinus, ipsis non exceptis „ Romanis Aulicis (c) beneficia recipiat in ditione Bernensi, sub „ pœna incarcerationis additæque gravissimæ mulctæ. artic. 26. „ Cum Episcopi & reliqui Judices Ecclesiastici non ex rigore „ justitiæ puniant Sacerdotes & reliquos Ecclesiasticos, quin „ potius iis nimium quantum indulgeant, adeo ut solutissima jam „ esset disciplina, quæ in societatis detrimentum vergat, inde se „ dehinc ipsos adinstar Laicorum, posthabito illo omni, quem „ præ se ferebant charactere, punituros esse. artic. 30. & 31. Se „ prohibere, ne Ecclesiastici aut Personæ vel Communitates Religiosæ ullos emant fundos, aut sibi sine permissione Magi„ stratus, approprient possessiones hæreditarias, &c. „

Interea tamen cum mutuæ illæ non cessarent simultates inter Reformatos & Papistas, atque altera pars alteri quotidie molestiam

(a) v. Ep. BLAURERI ad Zwingl. apud HOTTING. in Hist. Eccl. Sec. XVI. P. II. p. 450.

(b) STATTLER. Tom. I. p. 642. sq. RUCHAT. T. I. p. 316, 317.

(c) *Der Roemischen Buben.*

ſtiam faceſſeret, factum eſt, ut novo quodam Decreto (a) d. VIII. Maji lato, „ hæ ſimultates vetarentur, mutuaque injungeretur „ unicuique charitas, „ quod Decretum per totam qua patet Ditionem Bernenſem promulgatum, ſatis avidè à quamplurimis recipiebatur.

RHÆTI ſive *Griſones*, quo nomine Trium Fœderum (vulgo *Drey Bunten*) dicuntur populi reliquis Helvetiorum pagis conſociati, in his temporum (b) & certaminum de religione difficultatibus imitati vicinarum aliquot urbium in Helvetia exemplum, ſuperioribus annis mandârant & ipſi Sacerdotibus ſuis, „ ut miſſo „ Thoma, Scoto, Ariſtotele, & omnibus hominum commentis „ ea tantummodò docerent populum, quæ Sacris literis eſſent „ conſona. „ Hoc mandato animati, quos tyrannidis Pontificiæ metus hactenus continuerat, Evangelium liberè profitentur, brevique tempore ita crevit illorum numerus, ut hoc anno & ſequenti cum *Joanne Comandro* (Dorffman) Curienſi Paſtore ad S. Martinum (c), recenſerentur 41. Doctorum Evangelicorum in Rhætia. Non ferendum ſibi hoc eſſe arbitrati ſunt Abbas S. Lucii Capituli Curienſis Decanus cum ſuis. In conventu igitur ante feſtum natalis Chriſti, CURIÆ, quæ primaria Rhætorum urbs eſt & Epiſcopatus ſedes, celebrato, Ordines Rhætorum confœderatos adeunt, *Joannem Comandrum*, ejusdemque in profeſſione Evangelii ſocios hæreſeos graviter accuſant: „ ut qui Sacramen„ ta convellant; Miſſam contemnant; Scripturam ſanctam miserè „ discerpant; Cerimonias Eccleſiæ, Jejunia, Confeſſionem auri„ cularem, ſacrificia, & id genus alia nullo loco habeant. „ Atque ut hæreticos iſtos functionibus ſuis moveant, enixe petunt: Ordines *Joannem Comandrum* ad ſe vocant, accuſationis capita illi proponunt: ad ea ut reſpondeat, mandant. *Comander* reſpondet, „ ſe fratresque ſuos mandato Ordinum de ſolo Dei Verbo „ prædicando obſecutos, ſemperque paratos fuiſſe, quibusvis vo„ lentibus rationem doctrinæ ſuæ reddere: ſtare ſe & nunc coram

(a) RUCHAT. l. c. p. 317, 318.
(b) SCULTET. Annal. Dec. I. p. 290. conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 251, 252.
(c) Conf. §. CII. pag. 283.

„ ram Ordinibus, suo & quadraginta fratrum nomine, & per „ Deum, per judicium supremum, per pacem denique, verita- „ tem & concordiam rogare, Ordines accusationi fidem ut ne „ habeant, sed Christiano Colloquio diem destinent, & de rei „ summâ, parte utraque audita, pronuncient. „ Placuit hoc Ordinibus confœderatis. Estque adeò tum dies Dominica, quæ Epiphania proximè sequitur, disputationi dicta, de qua anno sequente agemus.

§. CV. BASILEÆ, cum eadem ferme quæ etiam apud Bernenses inter Evangelicos & Pontificios simultatum luderetur fabula, auctoritate tamen Senatus effectum est, ut publico edicto Unio, pax & charitas sanciretur: Sed &, sub idem hoc tempus conventus religiosorum aperiebantur, atque cuilibet exeundi secumque sua inde portandi libera dabatur potestas (a); unde ERASMUS jam tum scribere poterat (b) „ Evangelii mirus hic est successus. „ Missam abominantur plurimi: . . . . . Velum & cucullа de- „ ponitur passim. Nubunt & ducunt uxores Monachæ & Mo- „ nachi, tam mihi tutum non est hic diutius vivere. Mores isto- „ rum, qui hic docent, magis mihi displicent quam ipsa dog- „ mata. „ Neque tamen ita satis inter se componebantur vel civium animi vel ipsi Magistratus, ut non deessent ex Pastoribus Reformatis, qui ad evitandas illas contentiones perennes, vel urbe se reciperent, vel se magis involverent silentio, adeò ut ipse quoque OECOLAMPADIUS se fermè solum conspiceret atque ab omnibus relictum, simul verò etiam odio Papistarum expositum: Fuerat is hucusque in templo Martiniano functus Vicario concionandi munere, atque proinde exiguam inde laboris mercedem (c) perceperat, cum verò aliò oblatione honorifici stipendii invitaretur, rogarunt auditores ipsius, ut ne discederet, sed curam suæ Ecclesiæ susciperet, rati, sacerdotum & diaconorum Decanum futurum. Recusavit id, pollicitus se operam Ecclesiæ docendo navaturum, dum modò de alimentis sibi mediocriter pro-

(a) vid. ERASMI Ep. ad Bil. Pirckheym. Ep. 757. fol. 886, 887.
(b) ERASM. ad Joh. de Hondt Canonicum Curtracensem Ep. 731. pag. 851.
(c) v. ADAMI Vit. Theolog. fol. 24. b.

prospiciatur, hac duplici tamen conditione adjecta, „ *tum*, ut „ liberum sibi esset docere quicquid canonicæ Scripturæ traderent, & repudiare, quidquid illæ damnarent; *tam*, ut non „ cogeretur Papisticas cerimonias, quas inutiles esse deprehenderet, retinere; sed unicum saltem diaconum collegam haberet, „ qui sibi in Sacramentorum administratione adjutor esset. „ Consenserunt templi Curatores, ordinato mediocri stipendio, & quod illi statuissent, Senatus suo calculo omne probavit, hac tamen lege, ne se inscio, quicquam quod majoris momenti esset, novaretur. Sic igitur (a) vocatione Oecolampadii publica auctoritate approbata, ordinatum est, ut Diaconus vernacula lingua infantes baptizaret, Sacra Cœna sub utraque specie, conscio Senatu administraretur, precibus, lectionibus, exhortationibus vernaculis adjunctis. Docebat is inter alia verò: „ Missam non „ esse sacrificium pro vivis ac mortuis, aut pro iis qui in fictitio „ purgatorio torquerentur, sed passione & morte Servatori Christi semel omnibus credentibus perfectam omnibus peccatis satisfactionem partam esse: „ Abducebat populum, ab aqua quam vocabant benedicta, à consecratione palmarum, cereorum, placentarum, & similium rerum: Ostendebat „ Gloriæ Dei detrahere eos, qui hujusmodi cerimoniis quicquam tribuerent: „ Hoc doctrinæ genus brevi adeo altas in cordibus auditorum radices agebat, ut consecrationes illas, missas, ambarvalia, circumgestationem panis in pompa Persica, & alias superstitiones haud ita multo post planè intermitterent.

Erat verò hoc idem tempus, quo ad sopiendam sipote litem inter ipsos Reformatores de vero verborum institutionis S. Cœnæ sensu exortam OECOLAMPADIUS peculiarem emitteret libellum, de genuina verborum Domini (b), *Hoc est corpus meum*, juxta vetustissimos auctores, Expositione; In quo, argumentis perspicacissimis atque solidissimis, Petri Lombardi & aliorum Scholasticorum de panis in corpus metamorphosi, sententiam ita exagitat, ut simul illam ipsam corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento prætensam præsentiam nullam esse edoceat: De hoc Oeco-

(a) conf. ADAMI loc. cit.
(b) Est is Argentorati 1525. 8. editus.

Oecolampadii libello ERASMI (a) ad Michaëlem Budam Episcopum Lingensem, hoc est Judicium: „ Exortum est novum „ dogma, in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum. Id „ ut sit difficillimum refellere, fecit Joh. Ocolampadius, qui tot „ testimoniis, tot argumentis eam opinionem communiit, ut se- „ duci posse videantur etiam electi: „ Atque ad Petrum (b) Barbirium: „ Oecolampadius .... de iisdem ... emisit libellum „ tam accuratè scriptum, tot argumentis tot testimoniis instruc- „ tum, ut possit vel electos in errorem pertrahere. Liber tamen „ hic excusus non est, nec publicè venditur. „

Quidquid sit *Erasmum* eo tempore per pulcherrimum hunc Oecolampadii librum in eandem ferme pertractum fuisse sententiam colligitur ex ejus ad *Bil. Pirckheymerum* (c) Epistola, ubi ita: „ Mihi non displiceret Oecolampadii sententia, nisi obsta- „ ret consensus Ecclesiæ. Nec enim video quid agat corpus in- „ sensile, nec utilitatem allaturum si sentiretur, modo adsit in „ symbolis gratia salutaris. Et tamen ab Ecclesiæ consensu non „ possum discedere nec unquam discessi. „

Sed &, idem ERASMUS cum Magistratui Basileensi, uti circa alia quædam Reformationem concernentia, ita circa licentiam imprimendorum librorum quod ea videretur nimia, expetenti consilium denegare non posset, satis candidè tum respondisse fertur: Enimverò, postquam in hanc sententiam præfatus esset, „ Primò quidem (d) se peregrinum esse, nec satis „ aptum ad hanc causam gravissimam in se, & circa quam di- „ visi essent ipsi Helvetii, quin imò urbis & Senatus Basileen- „ sis

(a) Erasm. Ep. n. 766. pag. 892.
(b) Erasm. Ep. n. 768. pag. 894.
(c) ERASM. Ep. n. 823. pag. 941.
(d) v. URSTIS. Chronic. Basil. Lib. VII. c. 14. qui & hoc Consilium Germanicè versum nobis suppeditat. ERASMUS autem hanc rem commemorat in Ep. ad Jo. à Lasco n. 798. p. 918. „ Quum exiisset „ liber Oecolampadii de Eucharistia, Senatus rei novitate nonnihil turba- „ tus, privatim consuluit me, *Berum*, *Bonifacium*, & *Cantiunculam*. „ Is odor simul atque pervenit ad illos: erat autem res mirè cordi, Zwin- „ lio, Oecolampadio, Capitoni ac Pellicano, mox huc advolavit episto- „ la Capitonis, quæ nobis auctoritatem adimeret. „

„ sis proceres, definiendam. Deinceps, se intra breve tempus „ Basilea excessurum, ne amplius illo privaretur, quod à Cæsare habebat salario, quodque jam per integrum triennium „ ipsi persolutum non erat; Ipsas, porrò addebat, partes litigantes nimium præ se ferre fervoris, atque ultra quam satis hanc „ contentionem protelare. Neque tamen ultimò se ita alienum „ esse à judicio suo ipsis impertiendo referebat, ut ipsa officia, quibus apud Basileenses, durante suæ commorationis apud „ ipsos tempore, gavisus erat, id quoque efflagitarent: „ Is ita demum Judicabat; Sibi videri I. Quantum ad causam imprimendorum librorum, æquum non esse, ut sine discrimine quivis imprimerentur, sed posse tamen tutò imprimi libros *Pellicani* (a) & *Oecolampadii:* Imagines, Cantica, Chrisma aliaque ejus generis inter res indifferentes haberi posse. Apprimè opportunum esse, si ad resarciendam Concordiam inter Helvetios, Tigurinis ea quæ circa Missam & Imagines acta erant, remitterentur, usque ad Concilii universalis convocationem; Quod si autem Tigurini vel his non contenti essent, non tamen utile esse ut bellum in ipsos susciperetur: A Papa facilè quoque obtineri posse Communionem sub utraque specie. II. Neque difficile esse impetratu Papalem circa cibos dispensationem, cum ejusmodi dispensationes apud Italos omnibus ferme quadragesimis essent venales. III. Consultius esse ut quidam, vitæ sustentandæ ignari, in ipsis claustris conventualibus retinerentur: De reliquo verò, vel Comitia Imperii vel Concilium quoddam, facili negotio Clericis permittere posse conjugia, itemque Monialibus, ut sicubi vellent, liberè conventibus exire possent, &c.

§. CVI. Apud GLARONENSES eodem hoc anno solennibus illis processionibus in festo resurrectionis Christi, versus Eremitanam Virginem institui magna cum pompa magnisque cum sumtibus solitis auctoritate publica, remora injiciebatur (b). Et com-

(a) RUCHAT. T. I. p. 322. habet: *les livres de Pomeran & d'Oecolampade*, sed legi procul omni dubio debet *de Pellican*. Pellicanus enim tum quoque Basileæ versabatur, & ipsi Erasmo in conficiendo Indice in *Hieronymi* Opera atque in *Plinium* dabat operam.

(b) HOTTING. H. K. G. pag. 239.

commemoratur inprimis *Pauli Schuleri*, qui primò scribæ publici munere fungebatur, deinceps verò ad Prætoris & Bandophori (Pannerherrn) dignitatem evectus erat, in Evangelicam doctrinam promovendam studium singulare; Quæ, non minus per institutam apud *Glaronenses* disputationem religiosam egregiè dicitur fuisse promota.

Quidquid sit, BIENNENSES, tum quoque, ut Reformationis negotium promtiùs succederet, ac plenius, à Magistratu Urbis efflagitare audebant, data ipsis occasione commoda, quod Magistratus ab ipsis fidelitatis juramentum efflagitaret, cui petito se ita non opponebant, ut simul tamen & hæc ipsa pro suo jure sibi à magistratu, qui populi personam repræsentaret atque vicem gereret expeterent; *primò*, ut Verbum Dei Veteris atque Novi Testamenti (a) purè ipsis annuncietur, neque permittatur, ut quis ei contradicat vel illud ullo modo contemtim habeat, quippe quod verum sit verbum, justum, & ad salutem sufficiens. *Secundò*, ut communi totius cœtus consensu abhinc eligatur parochus, quippe qui sit universitatis minister, quique adeò ex præscripto verbi divini, ubi minus piè vel Christianè docuerit, à toto cœtu removeri possit; *tertiò* ut Th. Wittenbachius ipsis denuò concedatur, qui Verbum Dei in Ecclesia cathedrali diebus dominicis atque aliis diebus festis post meridiem ipsis annunciet, cui de competenti salario sive ex reditibus ecclesiasticis sive aliunde se prospecturos esse spondent; *quartò*, ut idoneus ipsis detur ludimagister, qui piè ac christianè liberos informet, nec ipsi cœtui sit molestus, sed ex reditibus Ecclesiasticis aut aliis confraternitatibus alatur: *quintò* ut in honorem divini Nominis magistratus interdictum promulget adversus blasphematores, ebriosos, lusores & lascivas in ipsis diebus Dominicis saltationes; *sextò*, ut, quantum ad Missas anniversarias, quod compertum esset, eas in verbo Dei non fundari nec Deo gratas nec defunctis ipsis proficuas esse posse, unicuivis liberum relinquatur eas vel celebrare vel minus.

Neque verò hæc modesta civium apud Senatum Populumque

(a) conf. FUESSL. narratio de Reform. civit. *Biennensis* in collectione Document. ad Histor. Reform. Helv. Tom. II. p. 288.

que petitio salutari fructu caruit, siquidem ipse Magistratus abinde magis magisque Evangelio favere, & doctrinam Evangelii adversus importuna reliquorum pagorum & Episcopi Basileensis, cui in rebus Ecclesiasticis suberant, in Biennenses consilia (a) defendere, imo ipsam Reformationem plenius promovere cœpit; Certè quod Missam abrogaverint, aliosque superstitiosos ritus procul à suis abesse jusserint, atque ad modum Tigurinorum Ecclesiam suam reformaverint, apertè colligi potest ex iis, quæ reliqui pagi legatis ipsorum, qui se excusatum venerant, regesserunt, atque verbis ad omnem duritiem compositis, exprobrarunt (b): Quid? quod Biennenses tum non vererentur, ipsius Th. Wittenbachii antehac (c) ab officio jam propter causam matrimonii detrusi, & aliorum pastorum Evangelicorum, qui variis impetebantur calumniis, atque hæreseos injustè accusabantur, in se suscipere patrimonium (d).

Neque tamen deinceps sine contentionibus atque dissidiis multifariis, quæ in annum sequentem 1526. protelabantur, Biennenses, tandem Evangelio planè accesserunt atque in eandem cum reliquis pagis reformatis confœderationem A. 1529. pactam transierunt, uti deinceps indicabimus. Enim-

(a) Exhibet eum in finem quasdam inter communes pagos Lucernæ congregatos & Episcopum Basileensem Christophorum Utenhemiensem Epistolas amœbeas, Doctiss. FUESSLIN. l. c. p. 289, 290. porrò ipsorum Biennensium ad Episcopum epistolam & ad reliquos pagos Legationem, cui quid confœderati tum responderint, itidem p. 297, 298, 299. refertur.

(b) Ubi inter alia dicunt, „ *dass zu Biel die heilige Mess nicht mehr* „ *gehalten wird, wie von alters her: auch das salve von unserer lieben* „ *frauen abgethan und geändert worden und andere unchristliche stucke* „ *bey ihnen gebraucht werden - - - - - - - - - - dan in keinen Orte un-* „ *serer Eidsgenosschaft, ausgenommen einem* (Zürich) *solche aenderung* „ *in christlicher Kirch-Ordnung und satzung gethan, als zu Biel geschehen und gehandelt worden ist, wie am tage liegt: Weil wir nun erkennen und ermessen mögen, dass solches von der schandlichen und ehrlosen* „ *Lutherschen oder Zwinglischen neuen secte und derselven anhängigen* „ *Kätzerischen Pfaffen und Predikanten herfleust, die das gemeine volk,* „ *so schändlich und schädlich verführen, und um leib und seel bringen* &c.

(c) vid. Quæ dicta sunt §. XCIV. pag. 254.

(d) vid. FUESSL. l. c. p. 300, 301.

Enimverò TIGURINOS, qui suæ causæ tamen apologiam ad reliquos pagos jam miserant (a) incessere atque apud confœderatos inprimis *Bernenses* denigrare non desistebant reliqui septem cumprimis Pagi Pontificii, quippe qui & Bernensibus, ne Tigurinis in conventibus publicis amplius assidere velint, persuadere annitebantur: Hi verò, quamvis etiam nondum omnem Tigurinorum Reformationem calculo suo approbare, tamen abalienari se prorsus à Tigurinis ex reliquorum voto passi non sunt, quin potius d. ultimo Januarii A. 1526. in Epistola ad septem pagos data disertis verbis fassi sunt: (b) „ se non velle nec à Tigu-„ rinis, nec à reliquis tamen etiam pagis, & confœderatis quos „ omni amore ac charitate complectantur, ullo modo se separa-„ re, quin potius sibi constitutum esse juratam fidem & fœdera „ prisca ipsis, quod sæpius jam testati fuerint, æque ac reliquis „ suis confœderatis, illibatè servare, nec ab iis discedere: „

§. CVII. Eum fuisse tempore Reformationis sacrificulorum & monachorum morem, importunè ut plurimum disputationes à reliquis efflagitare, atque deinceps oblatas, quantum in ipsis erat detrectare; Eumque plerarumque Disputationum tum temporis institutarum fuisse eventum, ut tametsi optatum non usquequaque assecutæ sunt scopum, tamen ansam semper præbuerint, aliquid saltem vel immutandi vel emendandi, ex eorum temporum Historia claret; Patuit id ex Disputationibus, *Lipsiaca*, *Tigurinis*, aliisque, quinimò etiam ex utraque illa quæ hoc anno 1526. in Helvetia instituebantur, altera *Badensi* & altera *Rhætica*, quarum illa d. XIX. Maji hujus anni in duodecim pagorum conventu fuit habita, hæc verò sub hujus anni principium *Ilantii Grisonum* sive Rhætorum fuit instituta, cujus utriusque brevem summam ut hic exponamus necesse est.

Est *Ilantium* superioris Rhætiæ, sive (ut tria sunt Rhæticæ Gentis Fœdera, vulgò *Drey-Bundten*, *Fœdus superius* sive Canum, *Fœdus domus Dei* quod Episcopus Curiensis ibi residet, & *Fœdus decem judiciorum* sive Jurisdictionum) superioris Fœderis oppidum atque caput. In hanc civitatem, quod ea non fœderis superioris

Pp 2 solùm

(a) vid. *Introd. nostr.* in Hist. Ref. §. CXXV. p. 311——315.
(b) v. FUESSL. Docum. ad Hist. Ref. Helv. T. II. p. 304.

solùm sed & fœderum trium comitia habet ordinaria, Rhætorum Proceres, sive trium Fœderum Ordines evocant utriusque partis Ecclesiasticos ad Disputationem habendam inter Evangelicos Reformatos, & Pontificios, ut de tota causa dilucidè possent edoceri; Erat verò hæc ipsis potissimum subministrata occasio (a), quod *Joh. Comandrum* (Dorffmann) Pastorem Curiensem ad S. Martinum, ejusque in Professione Evangelii socios quos jam quadraginta numero tum fuisse referebatur, hæreseos in publicis Rhætorum Comitiis, proximè ante Natalem Domini Anni 1525. accusassent, sinistrasque de iis opiniones sparsissent, uti vidimus, Pontificii, ac si hæreses excitarent (b), seditiones moverent, sacramenta everterent &c. quique adeò perduellionis essent rei; Posteaquam enim Proceres ex ipso Comandro hanc sollicitè caussam inquisivissent, is suo & symmystarum nomine non solùm graviter admodum edocere quam soli Scripturæ S. auctoritati sua inniteretur doctrina, sicque & hæreseos & seditionum & perduellionis calumnias à se amoliri, sed & publicam Disputationem, qua & fidei confessionem reddere, & omnem à se suisque maculam abstergere posset, expetere; Proceres verò eidem petito reliquorum ingratiis annuere. Dictus ei solennitati est dies Dominicus post Epiphaniæ festum, qui erat decimus tertius Januarii; *Johannes* itaque COMANDER Theses conscribit, & publici juris facit, de iis fidei capitibus, in quibus cardo controversiæ (c) inter Pontificios & Evangelicos verti putabatur, Erant illæ numero octodecim, & quidem istæ: 1. Ec-

(a) vid. §. CII. pag. 283.

(b) Accusationis capita erant: *Sie seyen offentliche Ketzer, Rottirer, und sectirer, welche die heilige würdige Sacramente zerstohren, die heilige mesz verachten, und die heylige schrift zerreissen. Bey diesen ketzern gelte fasten, opfern, beten, beichten nichts, sie legen die ordnung der heiligen Christlichen Kirche nieder und wollen den glauben rechtfertigen der bey tausend funf hundert und sechs und zwantzig Jahr gewäret* &c. v. Acta Hofmeisteri edita denuò à Doct. FUESSL. in Collect. Docum. ad Hist. Ref. Helv. T. I. n. VIII. §. I. pag. 342.

(c) v. SCULTET. Annal. Dec. II. p. 4, 5. Has autem ipsas Theses sed explicatius aliquântò propositas lingua Germanica exhibent Acta Hofmeisteri, ex quibus eadem depromere, atque huic Operi nostro subjungere No. XV. fert animus.

1. Ecclesia Christi ex Deo nata est: Deum igitur audiat, alium nullum.
2. Ecclesia Christi non condit novas leges sine Deo, sed observat leges sponsi sui Christi.
3. Auricularis igitur Confessio, & alia Ecclesiæ præcepta eatenus nos obligant, quatenus verbi divini autoritate nituntur.
4. Doctrina de purgatorio non est à Deo.
5. Prohibitio conjugii & certorum ciborum est à Diabolo.
6. Qui donum continentiæ non habet, ei connubii jus est, quocunque in vitæ genere agat.
7. Imaginum cultus V. & N. T. damnatur.
8. Frustra colitur Deus traditionibus hominum.
9. Episcoporum est concionari: Non, gladium politicum vibrare, & ampla bona possidere.
10. Ecclesiastici omnium ordinum in temporalibus politico magistratui subjecti esse debent.
11. Christus Jesus unicus & solus est N. Testamenti summus Sacerdos.
12. Idem unus Mediator inter Deum & homines.
13. Sacrificium illius unicum est & æternum.
14. Missa est contumelia in passionem Christi.
15. Missa est ignota toti Scripturæ, Eucharistia in sacrificium recens commutata.
16. Erroneum & à scriptura alienum est: in pane Eucharistiæ esse corpus Christi substantialiter.
17. Cœna Domini quatenus memoriale est & gratiarum actio pro passione Christi sublata, & loco ejus fictitium Missæ Sacrificium est substitutum.
18. Interrogantibus de decimis responsuri sumus & ipsi.

Hæ Theses sine ulla mora ad Pontificios deferuntur, iique unà cum reliquis Rhætiæ universæ Ministris Evangelicis evocantur ad Disputationem, stato tempore habendam; Pontificii accusatores, quanquam libentius, adversus reliquos ut absque inquisitione ulteriori, sententia fuisset pronuntiata, vidissent, dissimu-

lare tamen dolorem, atque de disputatione impigrè ineunda fidem dare: Erat verò etiam ad uniuscujusque fœderis proceres missa legatio, qua ex unoquovis duo, qui colloquio interessent atque de victoria pro arbitrio judicarent, invitabantur; Aderat dies, atque ab Evangelicorum parte primas tenebat *Johannes Comander*, cum *Philippo Salutio* (a) Viro-Juvene facundissimo atque præstantissimo. Comparebant quoque Episcopi *Curiensis* Vicarius, & Abbas S. *Lucii* cum D. *Bartholomæo à Castro muro* Protonotario Apostolico, multisque aliis Canonicis & Sacerdotibus. Convenerant verò etiam quam multi alii, atque inter hos Tigurinorum quoque legati *Seb. Hofmeisterus* (b) & *Jo. Jacobus Ammanus*, Linguæ Græcæ Professor; Neque tamen ipsi licet invitati reliquorum fœderum Proceres, incertum quibus rationibus, dicta die aderant: Ea res primæ cavillationi inter Pontificios qui omni ope colloquium detrectabant, ansam dedit, alteram captarunt ex eo, quod interesse viderentur huic disputationi peregrini, atque cumprimis Tigurini, quibuscum se nullam habere rem velle tergiversati sunt; Enimverò, dum & hæc superata esset cavillatio, atque Tigurini se non actores sed auditores & spectatores hujus fabulæ futuros assererent, denuò nullum non moverunt lapidem Pontificii, ne ad publicam veri investigationem deveniretur, prætexentes, omnem illam quæ hic impenderetur, operam esse tamen supervacaneam, cum non ex hujus disputationis vel arbitrio vel eventu componi ista de religione contentio posset, quippe cum hæc judicio Comitiorum Imperii vel Conciliorum Ecclesiæ vel Universitatum & Academiarum relinquenda essent: At verò cum in hisce nectendis moris, haud parum temporis jam profusum esset, tandem *Comander*, ad trium *confœderatorum Rhætiæ Ordinum* decretum provocans, colloquium postulat, „ seque, cum gravissimè sit accusatus vario„ rumque criminum insimulatus, ejus accusationis probationem „ ex-

(a) v. De eo quæ ad §. CII. p. 283. dicta sunt.
(b) Is est, qui hujus Disputationis *Acta* scripto consignavit atque jam A. 1526. edi curavit: Quorum iteratam & quoad priscæ locutionis solœcismos emendatam editionem nobis dedit FUESSL. l. c. à pag. 337-382.

„ expetere, ait, fideique suæ rationem se reddere velle coram „ omnibus pronunciat: „ Neque tamen vel ita quicquam promovisset, nisi Ordinum intervenisset auctoritas, qui disputandum esse publicè, sequenti die Martis, in ipsa Curia Ilantina convenienter decreto superiori edicunt. Congrediuntur itaque dicto die, post novam tergiversationem non unam, tandem Vicarius Episcopi & Abbas S. Lucii cum Comandro, atque primum, *de Ecclesia* paucis disputant sed adeò tumultuariò, ut qui inde ad auditores rediret fructus planè nullus esset; Deinceps *de purgatorio* quædam intermiscent, atque etiam *de matrimonio*, denique *de sacramentis* contendunt, incondito tamen magis clamore, quam sermone composito: Ordines itaque pertæsi altercationum istarum, sine ulteriori deliberatione disputationi finem imponunt, totumque hunc actum, invito Comandro, qui sibi respondendi ad accusationes Abbatis facultatem præcidi conquerebatur, dissolvunt: Vix autem credibile est, quam imperitiam suam in illa velitatione prodiderint Pontificiarum partium vindices qui aderant, dum *modò* inquirebant, quare Christus Matth. XVI. genus immutavisset, dicendo: *Tu es Petra*, & non; *Tu es Petrus*, super quem ædificabo (a) &c. *modò* Veteris ac Novi Testamenti textum Hebraicum & Græcum, quem secum adtulerant Legati Tigurini, quippe ad quem in controversiis ultimò sit recurrendum, disertè repudiabant, addendo: (b) „ si Græca pariter ac „ Hebraica Lingua ipsorum non intrasset regiones, plus fortu„ næ ac pacis, minus verò errorum ac hæresium se habituros „ esse: „ Nam & non deerat, qui, cum ex Bibliis demonstrare vellet, quod Sacramentum etiam ad ægrotos deferri deberet, quoniam vel manna, uti argutabatur, sub V. T. in ægrotorum usum peculiari cistulæ (c) fuisset inclusum, ipsique Biblia porrigerentur, regereret, hæc in *suis* equidem reperiri *Bibiis*, *non verò in his*, quæ ipsi dabantur, & quæ ejus generis erant plura (d): In-

(a) v. Acta ap. FUESSL. l. c. p. 364.

(b) *Wäre die Griechische und Hebräische sprache nicht in das land gekommen, so wäre mehr gluk und ruhe, und nicht so viel Irrtum und Ketzerey entsprungen.*, v. Acta l. c. p. 390.

(c) Acta ap. FUESSL. l. c. p. 364.

(d) RUCHAT. T. I. p. 414, 415.

Interea verò, quanquam ita Conventus hic ad præfixam non adtingeret metam nec causæ veritatis asserendæ admodum inserviret, quippe qui priusquam inchoatus esset, jam abrumpebatur, idem tamen mirum in modum Evangelii cursum in Rhætia promovit, sicque per ipsam Pontificiorum cum imperitiam tùm impudentiam veritati ad plures proferendæ profuit: Præterquam enim quod ex ipsis Pontificiorum sacerdotibus, septem abinde Papismo nuncium mitterent, Optimates quoque (a) Rhætorum brevi post, hanc publicam legem promulgarunt, „ ut omnibus „ ac singulis, cujuscunque conditionis essent, intra Rhætorum „ fines incolentibus, liberum esset vel Pontificiam vel Evangeli- „ cam religionem amplecti & profiteri. „ Caverunt deinceps, ne quis quenquam adversæ partis odiosius, publicè vel privatim insectaretur, aut contumeliis afficeret; Instaurarunt porrò legem jam antehac latam & confirmatam, „ ut antistites ecclesiarum „ ex sola Sacra Scriptura V. & N. T. suam purissimè hauri- „ rent ac traderent doctrinam, utque peregrinæ omnes sectæ „ (nam & anabaptistica deliria hic spargebantur) Rhætia dece- „ dere cogerentur. „ His omnibus accedebat, quod iidem ad Kal. Quintil. hujus anni 1526. quoque novas leges *octodecim* articulis comprehensas Reipublicæ commodas ferrent, quibus Episcopus Curiensis & sacrificuli in ordinem sunt redacti, v. g. *Quod* Clericis interdiceretur, ne sibi designandi, creandi vel approbandi magistratus, quod hactenus sibi arrogaverant, arrogarent potestatem; *Quod* iis qui ab Episcopis & eorum officialibus erant constituti, adimeretur privilegium comparendi in Rhætorum conventibus, usque dum se novo juramento ipsis Ordinibus adstrinxissent; *Quod* nulli amplius monachi vel moniales in monasteria recipi deberent; *Quod* penes communitates libera abhinc esse debeat potestas conducendi pastores; *Quod* omnis ad Episcopum provocatio esset sublata; *Quod* nulla sacerdotia, nec in capitulo beneficia conferri debeant advenis; etsim.

Inprimis verò civitatis CURIENSIS Reformatio sequenti statim

(a) vid. HOTTING. Hist. Eccl. Sec. XVI. T. III. pag. 641.

tim (a) anno suum accepit complementum, cum non tantum publica auctoritate imagines ex templis tollerentur, sed & Missa aboleretur atque in ejus locum S. Cœnæ celebratio institueretur; Quid? quod trium fœderum optimates à reliquis Helvetiæ pagis, quorum socii sunt atque fœderati, ad Badensem de qua statim disputationem invitati, illuc venire non è re sua esse arbitrati fuerint, quippe qui &, cum legationem reciperent reliquorum nomine de exterminanda secta Lutherana atque Zwingliana, quæ nonnullas eorum communitates, (uti ajebant) coinquinaverat, id facere renuebant; Erat verò in his omnibus conspicua *Johannis* COMANDRI Presbyteri atque Parochi Cathedralis Ecclesiæ Curiensis virtus atque intrepidus in veritate promovenda ànimus, ut is pro primo in Rhætia Curiensi Reformationis auctore ac persuasore (b) haberi debeat, cui præterea cum *Zwinglio*, *Vadiano*, aliisque viris eximiis frequens intercessit commercium literarium; Et dicitur ejus tam indefessum erga literas amorem fuisse ac studium, ut quoque propter lectionis copiam, oculorum usu propemodum cum esset orbatus, nondum tamen destiterit à studio linguæ Hebraicæ (c): Enimverò singularis illa Comandri & sociorum ejus virtus, tantoperè invisa erat Pontificiis, atque dolorifica, ut ea cepisse dicantur consilia, quæ nisi divina manu diffracta fuissent, toti Evangelio omnibusque ejus Confessoribus ultimum facilè exitium attulissent: Sic enim inter alia Comander (d): „ Leones, Pardi, Tigres, „ Ursique undique furiunt, ringuntur &c. seipsos æque atque „ nos in magna pericula ponunt, sed putant forsitan, suæ teterrimæ invidiæ consultum, si nos vel ad horam priores de-

(a) Sic ZWINGL. ad Thomam ab Hosen Bernensem, scribebat d: 4. Januar. 1527. *Curienses suis inducias dederunt usque ad Divi Pauli conversionem; tum sperant comite missa, abituros esse deos istos ligneos, qui stant & non ambulant.* v. ZWINGL. & Oecol. Ep. L. IV. fol. 194. b.

(b) Huic conjungitur Nicolaus *Balingius* Scholarum Curiæ Rhætorum præfectus in Ep. ZWINGL. & Oecolamp. Lib. I. fol. 29. b.

(c) v. HOTTING. Helv. K. G. pag. 301. ex ipsis Comandri ad Vadian. literis d. 23. Aug. 1527.

(d) In Ep. d. 28. Aprilis apud HOTT. Helv. K. G. p. 301.

„ periremus. „ Ut, quæ annis insequentibus Rhætiam devastarunt turbæ, non Evangelio, aut ejus innoxiæ veritati, neque Christianæ quæ in scripturis asseritur libertati, sed nociferis Pontificiorum consiliis ac insidiis, quibus hi veritatem ejusque confessores incessebant, contra ac factum est à Bucelino aliisque scriptoribus Pontificiis, fuissent adscribendæ.

§. CVIII. Atque hæc quidem de Disputatione Rhætica; Nunc ut de BADENSI propius dispiciamus necesse erit: Indixerunt enim eo ipso tempore quo Conventus erat Ordinum Imperii Spiræ, primò *quinque*, dein *sex*, & post altercationes quasdam tandem *duodecim* Helvetiorum pagi, Disputationem ad Aquas Helveticas (quæ vernaculè *Baden* vocantur.) Venerunt eò primi nominis Theologi Pontificii (a), *Faber*, *Eckius*, *Murnerus*; Legatos eò miserunt *Constantiensis*, *Basileensis*, *Curiensis*, *Lausannensis* Episcopi; Ex nostris accesserunt *Jo. Oecolampadius* Basileensis (b), *Berchtoldus Hallerus* Bernensis & *Ludovicus Bovillus* (Oechslin) Schaphusanus, itemque *Wolfg. Weissenburgius*, & alii Basileensium, Scaphusianorum, Mulhusinorum, Sangallensium concionatores. Cæterùm, quisnam primarius, pagorum Pontificiorum, qui rem omnem ex Fabri & Eckii consultationibus eam in rem expetitis, insidiosè incrustaverant, fuerit scopus, certè, non ut ipsa veritas illustraretur, atque ex illo virorum contendentium conflictu eliceretur, quin potius, ut doctrina Evangelii, quæ multorum incendere pergebat animos, planè suffocaretur, patet non tantum ex confessione eorum qui deinceps Acta evulgarunt, quippe qui palam testantur, „ se non aliam ob causam hoc consilii „ cepisse quam ut antiquam suam religionem à Majoribus suis „ traditam retinere, Lutheranam Zwinglianamque opprimere pos„ sint, eò quod hæc multorum malorum & dissidiorum causa „ sit; „ sed & ea quam de disputatione hac miserunt sex Pagi Pontificii ad Tria Rhætorum Fœdera eorumque Ordines, Epistola, id edocet hujus tenoris: „ quod, licet probè judicarent, „ quod

(a) SLEIDAN. Lib. VI. fol. 88. b.
(b) Levem hic THUANI L. I. c. XXI. p. 27. notamus errorem, qui Oecolampadium absuisse refert, quod una cum Zwinglio de loco sibi non satis cautum esse contenderet.

„ quod ipsis non competeret facultas, uti nec ejusmodi quidpiam sibi arrogare volebant, immutandi quædam in ipsa religione, quippe quibus constitutum esset, tanquam membra Ecclesiæ Catholicæ obsequiosa, se planè non ab ea separare; Tamen quò silentium imponeretur Zwinglio, ceterisque falsis Doctoribus in Helvetia, & quò populus ipse quodammodo diverteretur ab errore atque in pace retineretur, atque quò ipsi denuò omnes in eandem reduniri fidem possent; opportunum judicaverint, convenienter voluntati Dominorum atque superiorum, ejusmodi instituere colloquium, ad quod & pagi omnes & ipsorum confœderati invitarentur, ut velint ad d. xvi. Maji Badenæ convenire cum duobus, tribus vel quatuor ex ipsorum Doctoribus &c. „ Verùm uti jam diximus, ipsi *Rhæti* non è re sua esse judicabant, ad eum conventum, cujus eventus unicuique suspectus esse debebat, suos mittere legatos, uti Curiensis equidem Vicarius, sed nec vocatus nec missus, eò profectus est, atque eum insecutus Abbas S. Lucii.

Sed & *Tigurini* renuebant suorum quenquam illuc mittere, quin etiam interdicto singulari, ne Zwinglius eò proficisceretur cavebant, ejusque interdicti rationes, reliquis suis confœderatis data ad ipsos d. xxi. Aprilis Epistola explicabant; Intereà, mense Majo, & quidem d. xvii. coepta fuit Disputatio, magno cum fastu (a), nec minore cum impudentia à Pontificiorum partibus, cum, qui à Reformatorum parte aderant, vix aliquo haberentur loco, sed ignominiosè tractarentur; Pontificiorum conciones quotidianæ audiebantur, intereà dum reliquis nequidem ut concionarentur, permittebatur; Promulgata ibi fuerunt Themata sequentia, quæ confidenter admodum in se defendenda susceperat ECKIUS: „ 1. Verum Christi (b) corpus & sanguinem adesse in cœna Domini. 2. Ea pro vivis & mortuis in Missa verè offerri. 3. Virginem Mariam reliquosque Divos pro intercessoribus esse invocandos. 4. Divorum Imagines non esse tollendas. 5. Post hanc vitam esse purgatorium. 6. Infantes in peccato originali nasci. 7. Baptismum Christi, non

(a) HOTTING. Helv. K. G. pag. 306, 307.
(b) SCULTET. Annal. Dec. II. p. 9, 10.

„ Johannis, tollere peccatum Originis. „ His Th. MURNERUS Lucernanus Eckii Fabrique congerro, duas superaddiderat Propositiones, quarum *altera* illam sententiam quæ Christum dicebat esse *sub panis & vini specie præsentem* ibique *adorari* ac *coli debere*, ab idololatria prorsus esse immunem referebat (a), quoniam id ipsum in Scriptura S. doceretur, atque *addebat*, administrationem Sacramenti *sub una specie* sacrilegii accusari non posse, nec dici quod ita calix populo Christiano malitiosè surriperetur; *Altera*, sacrilegium esse asserebat, illam bonorum temporalium quæ Ecclesiasticis essent propria, violenter factam surreptionem &c. OECOLAMPADIUS & alii quidam hæc impugnabant. Zwinglius aberat, & cur eò non veniret, datis ad Helvetios literis lectu atque meditatione dignissimis jam explicaverat (b), tanto justiore metu correptus, quod hoc ipso tempore Pastor *Lindaviensis* (c), ob Evangelii professionem Mersburgi combustus & Petrus *Spengler* Friburgi suffocatus esset (d). Neque tamen absens licet, Evangelii causæ deesse, quin potius eandem promovere satagebat, eumque in finem Thematum Eckianorum Refutationem scripto consignatam ad eundem illum conventum mittere, sicque magis veritatem promovere domi manendo, ibique cogitando, vigilando, consulendo, monendo, scribendo & literas & libellos, quos Badam mittebat,

(a) v. RUCHAT. Hist. de Ref. T. I. p. 369. HOTT. l. c. p. 304.

(b) vid. §. CI. ubi de Eckii & reliquorum Evangelii inimicorum consiliis actum est. Ipsam verò ZWINGLII Epistolam ex ejus Operibus Tom. II. fol. 572. depromtam Documentis huic Tomo subjectis inserere voluimus, No. XVI.

(c) Is erat *Johannes Häglin*, qui ductu Jo. Fabri, auctoritate Hugonis Episcopi Constantiensis hæreticus est declaratus, atque Mersburgi ad lacum d. x. Maji 1526. publicè combustus est, cujus martyrium describitur in *Miscellan. Tigurinis* Tom. II. pag. 67——85.

(d) Hujus & Sacerdotis cujusdam, itemque rustici alius A. 1525. morte martyrii sublatorum Historiam, singulari libello descripsit *Jo.* OECOLAMPADIUS 8. sub tit. Historiæ tres, una de sacerdote submerso, altera de sacerdote suspenso, tertia de Rustico decollato, quem eundem libellum PANTALEON inseruit Rer. memorabil. Lib. II. p. 46. & seqq. conf. SCULTET. Dec. II. p. 88.

bat, (a) quam forte promovisset disputando inter medios hostes; Postquam aliquot dies inter Eccium & Oecolampadium, quorum ille confidentiæ, hic Christianæ in disputando modestiæ laudem meruit, disputatum non sine multa verborum sæpe contumelia, saltem absque utilitate publica, admoniti sunt utriusque partis Theologi, ut disertim profiterentur, utrum *Eccii Thematibus*, an *confutationibus* illorum *Oecolampadianis* subscriberent? Mira verò tum animorum est scissio deprehensa, Major pars in sententiam *Eccianam* concessit: Nonnulli *Oecolampadiana* secuti sunt. Erant qui clam se subducerent, ne quid definire cogerentur; *Cunradus* intereà *Werlius* Diaconus Scaphusanus, Dominorum suorum judicio se staturum dixit; (*Er wolte halten, was seine Herrn hielten.*)

Conclusum tandem est non tamen à duodecim, sed à novem pagis: „ Zwinglium renovatæ doctrinæ in Helvetia coryphæ- „ um, quod ad dicendam causam non comparuisset, & ceteros „ qui in colloquio non resipuissent, excommunicandos, perinde „ ut Lutherus à Carolo V. Imper. & Leone Papa fuisset ex- „ communicatus. Religionem autem Pontificiam in suis ditioni- „ bus firmiter retinendam. „ (b)

De

(a) Notari enim meretur, uniuscujusvis diei acta ab *Hieronymo Welscio* quodam, & cumprimis Eckii argumenta, clam reliquis fuisse consignata, quæ deinceps per *Th. Platerum*, Myconii famulum, & per alium quendam *Hieronymum Zimmerman* ita per vices diurnas ad Zwinglium transportabantur, ut hi simul ipsius Zwinglii ad Oecolampadium abinde reportarent literas & monita. v. *Vita Plateri*, quam ex MSS. edidit in Miscell. Tom. II. doctiss. J. J. HULDRICUS p. 260, 261.

(b) vid. HOTTING. Helv. K. G. p. 322. qui ex Actis hanc verbotenus sententiam nobis refert: *dieweiln Zwingli der-rechte. haubtsächer der verführischen lehre in der Eidgenosschaft, auf vielfältiges erbieten, sich nicht einfinden wollen, seines glaubens rechnung zu geben: diejenige predicanten aber so es mit Zwinglio halten und gen Baden zu disputieren kommen sich nicht weisen lassen wollen, sollen sie alle ohne weitere erklärung in schweren bann fallen, von gemeiner Kirch ausgeschlossen, und abgesondert seyn; und als von gemeiner Christlicher Kirch verdammte, gehalten werden. Hergegen weilen ihr* (der Römisch Catholischen örtern) *Glaub von viel hundert Jahren her gewehret, und dero Voreltern darin*

Chri-

De reliquo vehementer de hoc Colloquio sibi gratulantur Pontificii, quod Zwinglius non comparuisset, quodque unus præcipuè scil. Oecolampadius responderit, reliqui verò scripto potius quam ore voluerint agere; Quid? quod *Eckius* publicas à Disputatione hac secum ferret literas testimoniales, ad *Gulielmum Bavariæ* Ducem cui gratias agebant Ordines, quod Eckium (erat is enim Professor tum Ingolstadiensis) ipsis concedere voluerit, qui Veritatem in ea disputatione egregiè corroboratum ivisset atque adversarios penitus stravisset; Enimverò ex nostris qui Acta retulerunt, equidem clamore concedunt Eccium, argumentis autem Oecolampadium vicisse, id quod ipsa quoque Acta, post longam licet tergiversationem, nec satis bona fide à Murnero Evangelii hoste edita Lucernæ anno vigesimo octavo comprobant; Neque autem quisquam dubitaverit, quin malæ Pontificiorum causæ fuerit indicium, *quod* primò detrectarent actorum editionem; deinceps, *quod* cum tamen quædam Acta licet truncata nec satis plena ederentur Argentorati à Thoma von Hoffen Bernensi, qui ipse testis actionibus interfuerat, illi equidem conqueri vehementer, nec tamen eam editionem perfidiæ insimulare potuerint, neque etiam ipsi fuerint ausi meliora proferre; Imò, *quod* ipsa Acta publica originalia nunquam edere nec pagis reliquis communicare voluerint, ut ea quæ à *Murnero* Lucernate qui & ipse ab *Eckii* & *Fabri* partibus fuerat, ex iis sunt collecta vel

Christlich gelebt und seliglich abgestorben: haben sie sich Gott, der H. Mutter Gottes, allen Heiligen, und gantzem himlischen Heer zu ehren, auch zu der Unterthanen und Verwanten seelen heil vereinbahret, dass das Heilig Evangelium und gottliche Schrift, nach gemeinem Christlichem verstand wie es die H. Lehrer von der Kirch angenommen, nicht aber wieder das Christliche herkommen und gebrauche erkläret werden. Deswegen niemand der nicht zu vor vom bisschof examiniert, in ihren gebieten zu predigen gestattet werden solle; inder H. Mess Mittheilung der sacramenten, fasten, beichten, beten, opfern, fürbitt und hilff der abgestorbenen solle nichts geändert; Sondern alles wie es von den voreltern an sie kommen, gehalten werden. Ferners soll in ihren Gebieten kein Luthersch noch Zwinglisch buch verkauft oder verschenkt, auch nichts das nicht durch die verordneten besehen und erlaubt worden gedrukt werden. Auf solches alles sollen gewisse hierzu bestellete personen acht geben.

vel edita, neque publicam habeant fidem, neque satis ordinatè sint digesta, neque nisi admodum vitiosè typis sint exscripta Lucernæ A. 1528. Id saltem verum est, Reformatos collocutores, multos in auditorum animis reliquisse aculeos, ut quoque nova deinceps de Reformatione à quibusdam pagis capta fuerint consilia, eaque prosperrimo successu non destituta, quanquam primo obtutu *Basileæ*, *Bernæ*, *Tiguri* magis magisque ab invicem quoque distracti fuerunt animi.

Certè *Basileensium* nonnulli, *Oecolampadius*, *Jacobus Immelius*, *Wolfgangus Weissenburgius* & alii, publicè protestabantur se in disputatione illa non deprehendisse quinque priora themata (nam de posterioribus duobus actum non est) in sacris literis esse fundata; sed alii iterum Basileenses, inter quos D. *Ludovicus Berus* (a), Præpositus Petrinus, qui unà cum aliis tribus totam hanc disputationem erat moderatus, *Augustinus Marius* summi Templi Concionator, *Johannes Silberbergius* Medicus

(a) De *Ludovico* BERO, ut hic quædam referamus necesse est; Erat is singulare cum Academiæ tum Ecclesiæ Basileensis eo tempore ornamentum, quanquam etiam ipsi cum viris doctis Jo. *Oecolampadio*, *Const. Phrygione*, *Urbano Regio*, W. F. *Capitone* & *Casp. Hedione*, qui fermè omnes per ipsum vel in Doctorum vel in Professorum ordinem ac numerum sunt recepti, de Religione non satis benè conveniret. ERASMUS eundem A. 1521. in Epistola Lovanio ad eum data vocat *absolutissimum Theologum*, ejusque non semel in epistolis meminit, quippe cujus operâ quoque in concinnando *de libro arbitrio* schediasmate usus fuit, vid. *Biblioth. Brem.* T. II. pag. 595. W. F. CAPITO quoque quod cum eodem Lud. Bero coluerit amicitiam, ex quadam ejus Epistola d. VIII. Julii 1526. ad eum data collucescit, ubi eum *amicum veterem* appellat, & *familiarem præcipuum.* Is igitur uti præsidiò functus fuerat in colloquio Badensi, partesque Pontificias plurimum juverat, atque etiam Eccii sententiis postremò subscripserat, ita tamen, in libello quodam tum temporis Argentorati edito, dicebatur, Oecolampadium in diversorio accessisse, & illum rogasse, „ ut vel ab unico de Eucharistia articulo desisteret, tum „ de reliquis facilè inter ipsos conventurum; „ Quæ fama per eum libellum sparsa ipsum Berum exacerbaverat; cui leniendo, singularem Argentorato mittebat Epistolam Wolfg. Fabr. CAPITO, quam ex ejus MSS. à situ liberare atque huic annalium Tomo Num. XVII. subjicere constitui, cum ea, & ad Capitonis ingenium pernoscendum faciat, & ad ipsius causæ, quæ Badenæ agitata fuerat, notitiam.

cus & Jureconsultus, *Johannes* item *Satlerus* Sacræ Theologiæ Baccalaureus, Pontificiis se associarunt.

Bernæ autem ad tristem (a) motum spectare videbantur, omnia, cum civium alii Evangelio per *Berchtoldum Hallerum* prædicato faverent, alii decreto Badensi parendum esse statuerent. Interventu septem pagorum res ita tum composita est, ut urbis & ditionis Bernensis cum Proceres tum Cives, quod majorem eorum saltem concernit numerum, à veteri religione se non recessuros (b) solenni juramento se adstringerent.

Tiguri Evangelicam religionem (c) Ecclesiasticorum Pontificiorum aliqui amplexabantur, aliqui aversabantur, qui magistratui politico parere renuebant. His igitur imperatum est, ut concionibus Evangelicis interessent, & decima septima Maji Consulem Tigurinum, *Henricum Walderum*, perinde ut alii cives, promissa obedientiæ fide, magistratum suum agnoscerent.

§. CIX. Atque hæc de *Disputatione Badensi*, quæ per integros XVIII. dies duravisse dicitur. Sed juvat hic quædam commemorare ad hanc causam spectantia, tametsi præcisè ad ipsa Disputationis Badensis Acta quoque referri non possint; ERASMUS Roterodamus maximæ celebritatis vir, qui apud Basileenses versabatur, ab Helvetiis quoque vocatus erat ad eam Disputationem; Sed is Epistolam ad Helvetiorum legatos d. XV. Maji scripsit, qua *primum* suam excusat absentiam, quod valetudo minus esset firma, *deinde*, negat se de Sacramento S. Eucharistiæ eam fovere sententiam, quam ipsi ex Reformatoribus nonnulli, *Pellicanus* cumprimis atque *Leo Judæ*, adscripserant (d), quasi is paria cum his faceret, atque solùm agnosceret Christi in cœna Domini manducationem per fidem, quin imò, quod magis est: „ Testor Deum, inquit, qui solus corda novit hominum, atque „ hunc mihi precor iratum, si unquam desedit in animo meo „ sen-

(a) Ex Chronico Bullingeri SCULTETUS Dec. II. pag. 11.
(b) vid. RUCHAT. T. I. p. 386. conf. quæ §. CX. tradentur.
(c) SCULTET. l. c.
(d) vid. LAVAT. Histor. Sacrament., qui pag. 8. & 9. totam hanc Epistolam inseruit, quæ & à SCULTETO Annalibus Dec. II. p. 54. sq. est inserta, & inter ERASMI Epistoles n. 818. legitur p. 935, 936.

„ sententia, quæ pugnat cum ea, quam hactenus magno con-„ sensu defendit Ecclesia Catholica: „ Estque hæc Erasmi Epistola Germanicè statim conversa atque publice coram universo consilio Badensi recitata; Et idem tamen ille ERASMUS brevi post iterum ad Bilib. Pirckheymerum (a): „ Mihi non displiceret, „ inquit, Oecolampadii sententia, nisi obstaret consensus eccle-„ siæ. Nec enim video quid agat corpus insensibile, nec utili-„ tatem allaturum si sentiretur, modò adsit in symbolis gratia „ spiritualis. Et tamen ab Ecclesiæ consensu non possum dis-„ cedere, nec unquam discessi. „ Enimverò ex hisce timidiusculus Erasmi animus colligitur, quo factum est, ut veritatem, cujus radiis non poterat non intimè percelli, liberè satis profiteri non auderet, quod is rebus suis id noxium esse arbitraretur, nec ea opinione, quasi hæreticis, atque iis qui ab Ecclesia Romana proscripti erant, faveret, nomen suum gravari vellet (b), inprimis, cum nec omnia Reformatorum comprobaret, nec instigatoribus destitueretur, qui animum ejus continuò in transversum agerent, atque à libera Evangelii professione abalienarent.

Sed & *de Actis hujus Disputationis Badensis*, eorumque publicatione quædam monenda restant: Petierat Zwinglius, ut, cum ipsi comparere non liceret, Eccii sententia à notariis excepta per literas transmitteretur, quando effecturus erat, ut, quæ eopse die ab ore illius excepta ad Zwinglium perlata essent, insequenti die per literas confutarentur, ut singuli tandem viderent, eum non de doctrina sua, quæ Dei sit, ullum periculum sibi metuere. Sed ad hanc petitionem nihil responsi tulerat. (c) Provocaverat deinceps Zwinglius (d) ad Acta Disputationis, ex qui-

(a) Ep. ERASM. n. 923. p. 941.

(b) Conf. Ep. *Jo. à* LASCO ad Pellican. quam adduximus in *Introd. nostr.* §. LXX. pag. 152. in not. (a)

(c) Ea enim quam diximus argumentorum Eccianorum transmissio clanculario consilio fiebat per eos solùm qui à Zwinglio ad id erant delecti.

(d) vid. Opp. Zwingl. Tom. II. fol. 576. b. „ Neque hic mihi cre-„ di velim. Disputationis Acta, & quæ à notariis ex utriusque ore ex-„ cepta sunt, testor. Spero etenim hæc citra omnem moram & tergiver-„ sationem sinceriter in lucem quamprimum edenda esse, ut ab omnibus „ Christiani nominis cultoribus cognosci possint &c.

quibus manifestum fieri asserit, quod Oecolampadius de prima cumprimis propositione tam artificiosè & christianè disputarit, ut nemo Christianorum quicquam illi possit opponere, atque ut illa quantocyus sincerè publicentur, iterata vice exoptaverat: Petierant idem Tigurini, quin imò ut ea ederentur non tota modò Germania sed communis totius Helvetiæ populus (teste Zwinglio (a)) efflagitabat, petebantque hoc unum, quotquot ex Evangelii Sectatoribus disputationi huic interfuerunt. Sed nequicquam hæc omnia.

Tum verò, Vir quidam egregius, *Thomas ab Hoffen* (b), quique præsens Disputationi Badensi testis interfuerat, atque sessione unaquavis absoluta, sedulus domi quæ gesta dictave erant, annotaverat, *Argentorati* ut hæc notata imprimerentur (c), curavit, minus certè plena, nec satis accurata, aut quæ publicam haberent fidem, sed eò tamen comparata, ut hac ratione prolicere potuisset, quam omnes boni expetebant, & quam Pontificii aversabantur, publicam ipsorum Actorum originalium editionem: Wolfg. F. CAPITO Theologus Argentinensis, ut erat rerum illarum non ignarus, cum typographus hujus editionis exemplar quoddam ad Zwinglium mitteret, literas quasdam exhortatorias adjecit, quibus is Zwinglium exhortaretur, ut si quæ plura vel his meliora haberet à suis amicis sibi perscripta, „ ut „ ea impertiri non detrectaret (d), sic enim omnium optimè se „ ipsam actorum atque concertationum (quæ omnes verbotenus „ à notariis exceptæ erant) evulgationem ab adversariis elicituros „ esse: „ Has literas una cum pluribus ejus libelli exemplis quæ per

(a) ZWINGL. Oper. T. II. fol. 598. a.

(b) Fuit is Reip. Bernensi à Commentariis, uti ex Epistola ZWINGLII A. 1527. ad ipsum data collucescit, v. Opp. ZWINGL. T. I. p. 418.

(c) Titulus libelli nobis ab H. HARDTIO refertur in Autographis Lutheri T. III. p. 147. *Warhafftige handlung der disputation in Obern Baden des D. Hans Fabri, Joan Ecken und ihres gewaltigen anhangs, gegen Joh. Oecolampadium, und den dienern des worts, angefangen auf den* 19. *Tag Maji Anno* 1526. *Zwinglii antwort auf Ecken Schlusreden.* 8.

(d) HOTTING. Helv. K. G. pag. 328. Sed & hanc Capitonis ad Zwinglium Epistolam ex MSS. edendam, subjungere visum fuit huic Volumini, inter documenta Num. XVIII.

per typographum Tigurum mittebantur, interceperunt Pagi Pontificii, atque re in deliberationem missa, querelam adversus hunc libellum & adversus Capitonem instituendam decernunt apud Senatum Argentinensem, quod in dicto libello adversus Lud. Berum Præpositum suum quædam referantur minus vera, ipseque Capito, qui pro ejus editore haberetur, se immisceat rebus alienis, summos magistratus criminetur, & turbarum ansam suppeditet: Qua de causa simul quoque ad Comitia Imperii referunt, quæ Spiræ congregata erant, ut velint Imperii Ordines in his bono publico prospicere: Interea dum hæc aguntur, Faber illum libellum una cum Capitonis & aliorum ad Zwinglium scriptis epistolis edere atque in Germanicam linguam transfundere (a) sed pessima fide instituebat, novam in Zwinglium conjiciens calumniam, quasi is non ausus fuisset comparere, cum tamen 40. obsides ipsi promissi fuissent (b); Neque autem Capito, tum cujus præcipuè jam res agi videbatur, conticescere: Nam is primò apud Senatum semet exculpare, quod nec libelli auctor esset, nec etiam illius impressionis procurator, quanquam etiam impedire id institutum typographi noluerit, quò Pontificios ad ipsorum Auctorum editionem hac ratione invitaret; Deinceps literas dare ad Lud. Berum (c), porro ad Helvetiæ duodecim pagos (d) & denique ad Conventum Ordinum Imperii

(a) Titulus libri ita se habet apud H. v. d. Hardt in Autogr. T. III. p. 139. *Neue Zeitung und heimliche wunderbarliche Offenbahrung etlicher sachen und handlung so sich auf den tage der zu Baden in Ergau, von den Sendboten der 12. örter der Löbl. Eydgenosschaft auf den 26. Tag des Brachmonats Anno* 1526. *gehalten worden, zugetragen und begeben hat. Vorrede Joh. Fabri Doctoris an Bürgern und Raht der Stadt Freyburg in Briigau* 1526. 4. De pessima translationis fabrilis fide exempla refert ZWINGLIUS in Oper. Tom. II. fol. 598. it. HOTTING. K. G. pag. 330.

(b) Hanc calumniam in Resp. III. ad Fabrum retundit ZWINGLIUS Opp. T. II. fol. 598. b.

(c) Has ex autographo CAPITONIS MSS. quod eas impressas non noverim communicare ad horum annalium finem No. XVII. constituimus.

(d) v. HOTTING. Helv. K. G. p. 329.

perii (a) Spiræ congregatum; Sed &, adversus illam truncatam & malè conversam Fabri editionem, is peculiari edito libello insurgere non verebatur, edendo sui ipsius defensionem, Fabrique & ejus similium (b) criminationem injustam & dolosam accusationem. Tandem verò libellum quoque emittebat sub hoc titulo: „ Epistola V. Fabritii Capitonis ad Huldericum Zwinglium, „ quam ab Helvetiis fortè interceptam D. Joh. Faber, Constan- „ tiensis in Germanicum versam depravavit, unà cum duabus „ epistolis, quibus illum Concionatores Argentinenses, V. Ca- „ pito, Matthæus Zellius, M. Bucerus, & cæteri ad collatio- „ nem scripturarum provocarunt. Quibus cognosces lector, qua „ arte, dolo, impostura & perfidia, Capitonem ut opprimeret „ Faber, adortus sit. „ Atque is ultimus libellus (c) novam nobis eamque veram subministrat adversus Badensis Disputationis prætensam sinceritatem, suspicionem: Quis enim crediderit, eos seriò causam veritatis & non simulatò agere, qui loca tuta omnia liberamque veritatis collationem atque discussionem refugiunt nec in amicam inquisitionem se consentire posse prætendunt, dum intereà cœlum, terram, maria commovent, ut ad loca minus tuta pelliciantur veritatis patroni, vel, ubi hos vident renuentes, eorum famæ detrahunt, probè perspicientes se suo frustatos esse consilio non nisi ad perniciem adversariorum directo? Certè *Faber* cum Tigurinum colloquium A. 1522. institueretur, è re sua non arbitratus erat, pro causa Pontificia disputare, obtendens hanc rem ad Academias vel Concilia, non ad Magistratus politici, laicorum quippe, cognitionem pertinere, satisque deinceps

(a) Hæ paulo post sunt publicatæ sub hoc tit. *An gemeine ständ des H. Römischen Reichs jetzund zu Speyer versamlet, wider D. Hans Fabri, pfarrherrn zu Lindau, Missiven und Sendbrieff Wolfgang Capitons dat. Strassburg* mense Augusto 1526. 4. v. HARDT. Autogr. T. III. p. 137.

(b) Libelli titulus erat: *Der newen zeitungen und heimlichen wunderbarlichen offenbahrung so D. Hans Fabri, jungst auftrieben, und Wolfgang. Capitons brieff gefälscht hat, bericht und Erklärung.* Cum præfat. Wolfg. CAPITONS *an des Churfursten zu-Mayntz Raht und Hoffdiener Strassb.* 1526. 4. v. HARDT Autogr. l. c. p. 143.

(c) Est libellus editus Argentor. 1526. 8. v. LUTH. Autogr. l. c. pag. 147.

ceps ubi tamen ad causam deventum erat, infeliciter disputaverat: *Eckius* ab ipsis Tigurinis vocatus, & salvo quem vocant conductu instructus (a), cum Zwinglio apud eos disputare, quod se causa minorem esse jam in colloquio Lipsiaco expertus erat, renuebat, ipseque *Faber* non à Constantiensibus tantum (b), sed & ab Augustanis (c) & ab Argentinensibus, uti ex eorum literis (d) conspicitur, invitatus amicè ac seriò, eam subire aleam, quam libenter potius, cui veritas curæ cordique est, suscepisset, non audebat; Et nihilo tamen secius iidem hi orbem falsis adimplebant rumoribus, quasi Zwinglius suæ parum fideret causæ, quod ad Badensem non venisset disputationem, cum tamen, si illuc venisset, is manifesto se capitis periculo, quod ipsi intentabatur, exponere debuisset. Ita velum dum suæ obtendunt nequitiæ, atque suspiciones à se amoliri conantur, sæpenumero gravissimis indiciis se ipsos quod cruenta agitent consilia, & tyrannidem moliantur exponunt; Sed Zwinglio divina clementia, quæ non semel eum plurimis inimicorum insidiis liberaverat, tum quoque manifestè affuit.

§. CX. Sed Badensem jam missam facimus Disputationem. TIGURINI, quicquid etiam septem pagi Pontificii molirentur & quomodocunque illi Reformationis negotio obsisterent, hoc anno plurimorum dierum festorum sanctis ita dictis dedicatorum celebrationem abrogaverunt (e), retentis solummodo usque ad

Rr 3 ulte-

(a) Vid. Opp. ZWINGL. T. II. fol. 570. ubi ipsa harum literarum quas Salvum conductum vocant, ipsi oblatarum formula reperitur.

(b) Provocarunt enim BLAURERUS & ZWICKIUS Constantienses Doctores eundem ad certamen, sed timidè tergiversantem. conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 324, 325. & Opp. ZWINGL. T. II. fol. 590. b.

(c) Urb. REGIUS ita d. XIV. Jun. Augusta scribebat: Si veritatis studio disputaturi erant, Augustæ mansissent, ubi nos publicè Papistas omnes ad disputandum provocamus. Longè alia cogitant viri sanguinum, quam præ se ferunt. ap. HOTT. Helv. K. G. p. 325.

(d) Has literas ex earum autographo quod apud me est, benevolo Lectori in Documentis ad hanc Annalium partum No. XIX. communicabo.

(e) v. HOTTING. Helv. K. G. p. 294. RUCHAT. T. I. p. 381.

ulteriorem ordinationem paucis quibusdam, qui tamen etiam brevi post prorsus aboliti sunt, ut nullæ remanserint, feriæ sacræ, nisi quæ in memoriam ipsius Christi atque beneficiorum per ipsum nobis partorum, celebrantur.

Erat hoc tempus, quo *Jacobus Ceporinus* (a) in urbe Tigurina qui Græcam pariter atque Hebræam linguam publicè cum applausu docuerat, fato suo fungebatur: In ejus itaque locum quoad Professionem Linguæ Hebrææ surrogabatur hoc eodem anno *Conradus* PELLICANUS; Et quanquam is equidem tenuiter de semet ipso judicando, Zwinglii & Tigurinorum votis se respondere posse non existimaret, tamen amicorum Basileensium quoque consilio atque inprimis suasu *Jacobi Meyeri* Consulis Basileensis, qui Pellicanum maximopere amabat, factum est, ut is honestam hanc vocationem non detrectaret, inprimis quum tardius adhuc eo tempore proficeret Basileæ Reformationis institutum, & ipse inter fratres dissentientes non satis tutus esset: Tigurum ut venit, is statim *Zwinglii*, *Leonis*, *Myconii*, *Ammiani*, *Collini*, *Megandri* & aliorum gavisus est amicitia, seque jam in plenam Evangelii libertatem assertum esse pervidebat, uti is memorabile prorsus (b) Professionis suæ exordium fecisse ea occasione, quod prima illi obtigisset Lectio habenda ad Caput XV. Exodi, perhibetur hunc in modum: „ Gratia Deo meo, qui „ me ereptum ex Ægypto & ab Ægyptiaca & Papistica captivi- „ tate, fecit transire mare rubrum, ut nunc mihi cum Sanctis „ liceat canere canticum illud sororis Moysi, & dicere cum gau- „ dio: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. „ Erat verò jam tum annos natus quadraginta sex, quando primùm cucul-

(a) Conf. Miscell. Tigurin. Tom. III. ubi 344. & sqq. brevem Vitæ *Jacobi Ceporini* habemus descriptionem; GESNERUS in Bibliotheca eundem appellat, Virum tribus linguis doctissimum, atque inprimis *Grammaticam* ejus *Græcam* commendat, neque ullam aliam se vidisse fatetur, quæ tanta brevitate, cum alia linguæ Græcæ rudimenta tum dialectos omnes comprehendat: Extant ejus quoque *in Dionysii descriptionem orbis*, & in *Arati Astronomicon scholia* cum iisdem auctoribus impressa, Basileæ 1534. 8.

(b) vid. ADAMI in Vita Pellicani fol. 141. & SCULTET. Annal. Dec. II. pag. 85.

cucullum monachalem deposuit, vestibusque abinde usus est communibus, deinceps matrimonii contraxit vinculum cum matrona Tigurina honestissima, atque ex eo *Samuëlem* suscepit filium, qui ad seros nomen ejus propagavit posteros, eique Seni (vixit enim ultra septuaginta & octo annos A. 1556. fato functus) fulcrum pariter fuit atque solamen. Quanta verò nostri in explicandis Libris Sacris cumprimis Veteris Testamenti cum scientia fuerit tum industria, id in hunc usque diem ejus testantur Commentaria, justo suo encomio minimè defraudanda. Et dici nequit, quam Schola Tigurina atque etiam ipsius Pellicani contubernium ab hoc tempore multis doctis hominibus advenis floruerit, qui amore Evangelii discendi, docendi & servandi illuc se recipiebant, atque ab ejus & reliquorum Virorum Doctorum ore pendentes doctrinarum haustus non parco modulo capiebant.

Cæterum, ut Zwinglius Tiguri, in magna populi frequentia, ita Henr. BULLINGERUS *Capellæ* suis quoque auditoribus (a) puriorem de Sacramento Eucharistiæ Doctrinam exponebat, & eandem etiam scripto complexus est, quod Wern. Steinero & Barth. Stockero Tuginis misit. Secuta etiam illic abrogatio Missæ, atque hoc anno 1526. Cœna Domini in templo ritè juxta institutionem Christi ab Abbate *Wolfgango Jonero*, qui pridem docente Zwinglio in veritatis cognitionem devenerat, & monachis ipsi adhærentibus, totáque ecclesia, celebrata est; sublato simul cantu monachorum superstitioso, atque à plerisque non intellecto: Quando monachi ætatis integræ, nec satis tamen ad ecclesiæ ministerium apti ad opificia & manuarias artes addiscendas animum adpulerunt.

BERNENSES quod adtinet, jam sub finem §. CVIII. diximus, quod suasu & constanti septem Pagorum Pontificiorum hortatu se à pristina religione non recessuros esse decrevissent, seque juratò ad id obstrinxissent: Edicti eam in rem tum cusi hæc erant (b) capita: „ Cessare debere quasvis de religione con- „ tentiones atque querelas mutuas; Zwinglianis æque ac Papistis „ abstinendum esse ab omnibus contumeliis atque cavillationibus „ mu-

(a) vid. SIMLER. in Vita Bullingeri pag. 11.
(b) RUCHAT. T. I. pag. 386.

„ mutuis; Quoscunque libros adversus veterem Religionem facientes fore prohibitos; Sacerdotes maritatos, aut qui deinceps uxorem ducturi essent, regione, si sint exteri, esse expellendos; Denique, Nullam se passuros esse religionis immutationem. „ Vix autem hoc edictum publicatum erat, ipsique se mutuò juramento interposito ad ejus observationem obstrinxerant, vix reliquorum pagorum legati læta acclamatione id retulerant ad suos, atque jam de lucrifactis Bernensibus triumphos canebant (a), quin singulari providentia divina hæc adversariorum molimina iterum dispergerentur: Erant enim cum ex civibus quamplures, tum verò etiam ex ipsis Reip. Bernensis Proceribus (b), qui accedere huic Edicto detrectabant, ipseque Berchtoldus Hallerus non obstante hoc Edicto in munere suo confirmabatur (c): Quod qua ratione factum sit, paucis exponere juvabit: Senatus Bernensis minor Hallerum Bada reducem ad se venire jusserat d. 25. Junii, eique ut denuò Missaret (fuerat enim jam per semestre spatium id officium intermissum) injunxerat; Berchtoldus è contra se coram majori Senatus Conventu causam ut sibi dicere liceret petebat, quod ægrè tandem ipsi concessum est: In Senatu Majori autem cum admodum divisæ essent sententiæ, atque acerrimæ orirentur contentiones, ejusque divisionis rumor manaret ad populum, is statim confusa multitudine eò confluere, turbas consopire & Pastorem suum ab omni damno & injuria defendere conabatur: Enimverò cum tranquillata essent omnia, Hallerus in hanc ferè sententiam locutus fertur: „ se „ vehementi dolore percitum esse, quod Magistratum æque ac „ cives videret sui causa adeò divisos, seque adeo cumprimis eos „ hortari, atque ab ipsis expetere ut reduniantur, quippe cum „ ipse potius urbe vellet excedere atque regione, quam ut tan- „ tum

(a) Faber certè ea de re jam gloriabatur, refutatus eapropter à ZWINGLIO Operum Tom. II. fol. 598. b.

(b) Joh. *von Weingarten* Baudophorus, Jacobus *Mey*, Bernardus *Tilman*, Nicol. *Manuel*, Sulpitius *Haller*, Petrus *Sturler*, Petrus *von Werd*, Jacob *Wagner*.

(c) STETTL. p. 660, 661. SCHEURER. Vit. Haller. p. 401, 402. it. HOTTING. Helv. K. G. p. 332.

„ tum discordiæ malum latius proserperet, ipseque ejus haberetur causa; Quod si quis doctrinam ejus improbaret, se, ut de hac causa diligentius ad verbum Dei velut ad lapidem Lydium cognoscatur & suadere & è vestigio paratum se sistere ad reddendam doctrinæ rationem, neque se refugere pœnam, si ea minus deprehensa fuisset Scripturæ S. consona: Enimverò Missam quod concerneret, se bona cum conscientia eam resumere semel abrogatam non posse, quod ea tantos secum ferret abusus adversus ipsius Christi institutionem: Cæterùm se perlubenter à Canonicatu suo, quo functus erat hactenus, desistere, jamque se, ipso facto eundem in Procerum manus tradere, ne quis se potiorem sui ipsius vel lucri terreni curam habere arguat, quam ipsius vel veritatis, vel civium concordiæ vel gloriæ Dei. „ Hac admonitione Halleri id effectum est, ut suffragiorum pluralitate decerneretur, „ se equidem illam Canonicatus resignationem ab Hallero factam accipere, sed ipsi tamen per integrum biennium, reditus mansuros integros; Interea quoque se de novo eum constituere Ecclesiæ suæ Pastorem, qui Verbum Dei, quodcunque veteris & novi testamenti auctoritate probari potest, convenienter edicto suo antehac lato annunciaret, seque ipsi præterea de sufficienti prospecturos esse salario; Denique se ipsi remittere Missæ quam modò ab ipso efflagitaverant celebrationem, modò purè verbum annunciaret & ubi commodum esset, cum reliquis pastoribus publicis interesset ecclesiæ cantationibus (a): „ Hoc tantopere quibusdam displicuisse refertur, ut primariæ quædam familiæ Bernenses se abinde recipere atque in alia cum suis migrare loca præcipuè Friburgum non dubitarent.

Paucis interjectis mensibus *Gulielmus* FARELLUS, qui inde à quo Basilea fuerat ejectus, *Montisbeligardi* Evangelium annunciaverat (b), atque abinde *Argentoratum*, deinceps *Neocomum*

(a) RUCHAT. p. 389, 390. cf. SCHEURER. in Vit. Hall. p. 401. 402.

(b) vid. §. XCIX. p. 270. & FRICK. Seckend. Germ. p. 663, 664. itemqne Epist. Oecolamp. ad Farellum inter Zwingl. & Oecol. Ep. L. IV. fol. 200.

mum (a) (Neufchatel) versus excursum fecerat, Hallerum invisurus Bernam adiit, contractaque cum eo familiaritate, Berchtoldi suasu se *Aquilejam* (Aigle) Bernensis ditionis civitatem sed Gallica lingua utentem contulit, annunciaturus Evangelium, quod ut tanto majori cum fructu, & minori cum periculo fieret is *Gulielmi Ursini* nomen tantisper usurpare (b) atque ludimagistrum apud ipsos agere voluit, usque dum liberius quoque Evangelium illic & non sine fructu annunciaret.

Ad Bernenses autem, quod Berchtoldus Hallerus sibi coadjutorem ob muneris gravitatem exposceret, tum revocatus est *Franciscus* KOLBIUS Bernas (c); Is ante quatuordecim propemodum annos jam ibi concionatorem egerat sed offensus mercenaria (d) civium suorum militia urbe excesserat, atque Norimbergæ Cartusiensium monachorum cœnobium erat ingressus; Biblicæque lectioni & vitæ sanctitati se totum consecraverat. Hunc itaque supremi Bernensium Senatus auctoritate jam in patriam revocatum ac in numerum concionatorum ea lege ac conditione cooptatum Anno sequenti 1527. collegam accepit Hallerus, ut is Verbum Dei purè ac sincerè ex Veteris & Novi testamenti tabulis prædicaret.

§. CXI. Cæterùm in Ecclesia BASILEENSI tum quoque ad ulteriora reformanda progressus est *Oecolampadius* cum ceteris Evangelicæ veritatis assertoribus, quippe qui & loco Hymnorum peregrina lingua hactenus decantatorum Psalmos Davidicos in linguam Germanicam transfusos aliosque hymnos sacros in festo Paschatis hujus anni canere ceperunt, maximo cum fidelium, qui ea re cumprimis lætabantur, gaudio, uti hoc eodem anno magna

(a) HOTT. H. K. G. p. 363, 364.

(b) STETTL. 665. apud RUCHAT. l. c. pag. 392. Neque verò ullum est dubium quin utraque Oecolampadii Epistola & quæ inscripta est Gulielmo in *Ælin*, Christiano Fratri, v. Zwingl. & Oecol. Ep. fol. 207. a. & quæ inscripta est G. F. Ecclesiastæ *Aquilejensi* &c. eundem indigitet locum, *Aigle* sive *Aquilejam* dictum, ut hic corrigendus sit error M. ADAMI in Vita Farelli fol. 57. qui duo exinde fabricat oppida.

(c) Hujus quoque vitam singulari industria nobis descripsit *Sam.* SCHEURERUS Bern. 1743. 8.

(d) SCULTET. Annal. Dec. II. p. 95, 96. RUCHAT. p. 402, 403. SCHEUR. l. c. p. 85, 86.

magna fuit frequentia eorum qui sacræ communionis sacramentum sub utraque specie ex Oecolampadii manu sumebant; Tum vero reliqui sacerdotes importunis flagitationibus hanc licentiam lingua vernacula canendi Psalmos incessere, atque id operam dare, ut cantus illi vernaculi singulari Senatus interdicto prohiberentur, sed incassum, quandoquidem populus in æde S. Martini congregatus non obstante interdicto, sponte sua, etiam antequam Pastor quicquam monuisset, hymnos suos lingua vernacula inchoare atque in iisdem decantandis continuare; Oecolampadius autem deinceps singulari scripto Senatum monet atque edocet, quam spiritualis laudum Dei decantatio, esset opus angelorum, spiritus recreatio, medium excitandi animos ad preces, & ad auditionem verbi, ad quod non Ecclesiastici solum sed quivis etiam (a) sine ullo discrimine fideles sint vocati & obstricti; Atque hoc pacto prius decretum est rescissum & publicus Hymmorum sacrorum cantus, prohibente nemine invaluit.

Eodem hoc tempore *Basileenses* legationem fecisse referuntur ad reliquos Badenæ congregatos, quâ ut sibi Actorum Disputationis Badensis inspectio concederetur, postulabant, sed irrito conatu; Quod ipsum cum *Bernenses* non minus irrito conatu postularent, ea res in Evangelii cessit incrementum; Bernenses enim paulò post novam in sua civitate decernere Disputationem,

 & Ba-

(a) Sunt egregia ERASMI in Ep. ad Hadr. VI. P. R. Ep. n. 633. fol. 723, 724. de Psalmis lingua vernacula canendis verba: „ Dixerit aliquis, „ quid venit in mentem Arnobio, viro facundissimo, ut hos Commentarios plebejæ linguæ committere voluerit? Primum, olim nihil erat popularius *Psalmis Davidicis*, adeò ut hinc & arator aliquid modularetur „ ad stivam, & nauclerus ad clavum, & nauta ad remum, & fossor ad „ glebam & textor ad flamen, & uxor ad colum: Denique infantes hinc „ aliquid gestirent canere nutrici, priusquam fari possent. Tantus amor „ olim habebat omnes divinæ hujus Musicæ, quam nunc plerique fastidiunt etiam sacerdotes. Proinde voluit Arnobius ab omnibus intelligi, „ quod videbat cantari ab omnibus. Persuasit hoc illi Christiana charitas, „ quæ studet prodesse quamplurimis. Maluit balbutiens utilitatem adferre „ multis, quam eloquentiæ laudem aufferre apud paucos. Et hanc linguam popularem & intelligebant eruditi, ut nec illis periret fructus mysticæ cognitionis, quo percepto non oportet orationis phaleras efflagitare. „

& Basileenses Theologis suis Jo. Oecolampadio & reliquis liberè permittere librorum suorum publicationem; utrique verò se partem habere negabant in Præfatione atque Clausula, quæ Actis Badensibus Lucernæ editis atque à Murnero propria auctoritate conscriptis legebantur adjuncta.

Eodem ferme tempore ad Comitatus *Turgoviensem* (a) & *Regusiensem*, qui Helveticæ Civitati parent, itemque, ad *Toggenburgensium* qui Abbati S. Gallensi subest, lux Evangelii majores (b) proferre radios, atque oppida *Sangallensis* & *Mulhusium* (c) in ea corroborari ceperunt.

Et quanquam *Scaphusani* hactenus nondum plenam tentare potuerint Reformationem, quippe cum major apud illos adhuc Pontificiorum quam reliquorum esset numerus, tamen haud ita multò post, publico cavebant decreto (d), „ ne quis alterius li-
„ bertati conscientiæ infestus esset, quin potius, ut unusquisque
„ sua frueretur libertate adeundi Missam vel ab ea recedendi. „

Apud *Abbatiscellanos* quoque (e) tum majora cepit Evangelium sumere incrementa, iique & Imagines templis ejicere & Missam abolere non amplius sunt veriti.

Apud SAN-GALLENSES, hoc anno ad Consularis dignitatis fastigium evectus erat *Joachimus* VADIANUS (f) plus una vice jam à nobis commemoratus, Vir eximius, atque non usu solùm & prudentia conspicuus, sed & in omni scientiarum genere versatissimus, quippe qui & Medicinam faciebat, in Academia Viennensi publice A. 1518. declaratus Medicinæ Doctor, & Poëtices & Oratoriæ studiosus erat, ab ipso Maximiliano Imp. creatus Poëta Laureatus, quæ maxima tum temporis erat dignitas; Quid? quod sub Cuspiniano Juris & Historiarum sui ævi peritissimo, scientiam quoque Juris hauserit, atque non vulgares de-
in-

(a) RUCHAT. T. I. p. 399.
(b) Conf. §. C. p. 273, 274.
(c) Conf. §. XCVIII. p. 267.
(d) HOTTING. Helv. K. G. p. 331. 334.
(e) Conf. §. C. p. 272. & RUCHAT. Tom. I. p. 395.
(f) Conf. *Introd. nostr.* §. CXIX. pag. 290, 291. not. (f) itemque quæ in hoc volumine §. LXXXIX. p. 239. & §. XCII. p. 246. velut in transcursu de eo sunt notata.



JOACHIMUS VADIANUS

San Galli Consul.

Natus A. 1484. Denat. 1551.

inceps in doctrina Theologica fecerit progressus, ut digniorem nec civem nec Senatorem atque Consulem tum habere potuisset civitas, nec meliorem Reformatorem Ecclesia Sangallensis; Fuit autem non apud S. Gallenses modò, sed & apud omnes Helvetios magnum Vadiani nomen, ut ad publica negotia atque gravissima adhiberetur. Nam semel atque iterum ejus auctoritate publica sunt habita comitia, isque non semel in rebus dubiis arbiter est constitutus, in colloquiis publicis, è quibus semper re benè gesta discessit; Uti notum est, quam is jam A. 1523. in Disputatione Tigurina Præsidis vices egerit, atque easdem illas vices in Disputatione Bernensi A. 1528. magna cum nominis celebritate sustinuerit: Sed, in ipsa Urbe S. Gallensi Reformationis negotium is ita promovit, ut quoque doctrinæ puritati impensè studuerit, atque, ne, dum superstitionis Pontificiæ idolum aboleretur, spiritus fanatici deliria mentes infestarent, invigilaverit; Erant enim tum Anabaptistæ magno satis numero atque valido conamine qui veritati Evangelicæ obsistebant; His autem Vadianus, non tam auctoritate qua pollebat, aut vi ulla, quam exercere adversus reipublicæ turbatores ipsi proclive erat, quam rationibus & scripturarum testimoniis ibat (a) obviam; Ne dicamus, quod in bello Eucharistico, ipsius quoque non vulgares fuerint partes, quippe ad quod componendum atque si fieri potuisset suffocandum is omnes intendit nervos, edendo *Aphorismorum Libros* (b) *sex de Consideratione Eucharistiæ* &c. ex quibus, quænam ejus mens, & quinam in veritatem animus fuerit atque candor perspicitur, siquidem is inter alia hunc quoque de se prodit in Præfatione animi characterem: „ Ab eo tempore

 „ quo

(a) Nisi quod tamen, cum esset quidam ejus generis, qui fratri suo germano cervices ac caput abscidit, præsente patre atque matre, quibus persuaserat *à Deo sibi esse injunctum ut id faceret*; is à magistratu comprehensus, eandem pœnam & ipse luere debuerit, referente SLEIDANO ad A. 1527. p. m. 93. a. Tam periculosæ plenum opus est aleæ, visiones jactare atque somnia, deinceps instinctus crepare, atque iis se suaque & quæ sunt aliorum, committere!

(b) Editum est opus Doctissimum Tiguri A. 1536. fol. atque Conrado Pellicano, tum temporis Theologo Tigurino inscriptum.

„ quo paucorum hominum dono ac gratia, lux illa Christianæ „ doctrinæ de latebris ignorantiæ, ceu profundo quodam è car- „ cere educta est, quicquid temporis suffurari mihi à publicis „ privatisque negotiis potui, magna cum jucunditate his studiis „ tribui, quæ in tanta doctrinarum humanarum turba ac collu- „ vie, rerum mihi divinarum uberiorem cognitionem afferre, & „ firmare conscientiam, insuper & normam pietatis quam tene- „ rem & sequerer, monstrare & præscribere possent. Qua in re „ benene an secus, illud quicquid fuit otii locatum, non æsti- „ mamus. Gratias autem ago Domino, quod eam mihi mentem „ donarit, qua nulli rei amplius quam publicæ pietati & verbo „ doctrinæ ejus æterno, consultum esse cupiam: „ Sed & extant Vadiani nostri Meletemata *pro veritate carnis, triumphantis Christi*, itemque Epistola ad Joh. Zwiccium Ecclesiæ Constantiensis Pastorem, in *qua post explicatas in Christo naturas diversas, & personam ex diversis naturis unam, Jesum Servatorem nostrum, vel in Gloria veram esse creaturam tum oraculis scripturarum sacrosanctis, tum interpretum orthodoxorum auctoritate docetur, & demonstratur*; item adversus Casp. Schwenkfeldii errorem, quo is *Christum in gloria amplius creaturam esse negaverat*, atque illi quæ deinceps invaluit apud multos Ecclesiæ Lutheranæ Doctores sententiæ, de communicatione idiomatum atque de corporis Christi ubiquitate, præluserat.

Enimverò, cum hæc ad seriora spectent tempora, tum id unicum ad hunc annum nostrum 1526. observasse sufficiat, ipsos *San-Gallenses* Vadiani auspiciis, exemplo Tigurinorum animatos, non minus concilium quoddam (a) religiosum inter concives, & vicinarum quarundam regionum Theologos instituisse, eo cum eventu, ut abinde Imagines & erectas Mensas pretiosas sive altaria, tollere publica auctoritate jusserint; Sed & instituerunt tum Consistorium Ecclesiasticum æquè ad decidendum causas matrimoniales atque ad administrandum disciplinam Ecclesiasticam, quem in finem quoque latis legibus omni luxui ponebant obicem, omniaque Festa supervacanea abolebant. Inter eos verò, qui Missare tum

(a) vid. HOFMAN Ref. Sangal. pag. 929. apud HOTTING. Helv. K. G. pag. 337.

tum amplius nolebant, primum habebat locum antehac à nobis jam laudatus (a) *Wolfg. Wetterus*, cui brevi post, cum accederet *Ben. Burgauwerus*, aliique, factum est, ut totum illud missaticum deinceps apud Sangallenses exularet sacrificium.

Unicum verò est quod ne silentio prematur interest posteritatis, scilicet Sangallenses cives tantæ fuisse erga pauperes liberalitatis, ut quoque suopte motu vestes pretiosas, inaures, gemmas, catenulas aureas aliaque supellectilia comportaverint, vendiderint, ac argentum usque ad decem millia florenorum in usum pauperum tanquam spontaneam quandam oblationem destinaverint: Neque verò etiam suo tum deerat officio magistratus, quippe qui non minus in usum pauperum, proventus illos ex confraternitatibus Pontificiis redundantes, ordinabat, atque ut superflua ecclesiæ vasa atque ornamenta eodem referrentur constituebat: Ceterùm, Pastoribus quoque tum demandabatur, ut in fidei veritatibus informarent religiosas virgines in S. Catharinæ & Leonhardi claustris quæ delitescebant, ipsisque virginibus libera inde exeundi, atque habitum (ineptè hactenus dictum religiosum) innovandi dabatur potestas.

§. CXII. Si verò quisquam est, qui Evangelio tum apud San-Gallenses quoque promovendo strenuam navavit operam, is fuit *Christophorus* SCHAPPELERUS, qui & *Sertorius* nonnunquam dici voluit, San-Gallensis ipse, cujusque adeò memoriam ut paucis refricemus, necesse est,. inprimis cum à quibusdam Lutheri sectatoribus (b) ea commaculata, sit atque gravissima suspicione, quasi cum seditiosis in Germania rusticis collusisset, gravata; Accedit, quod vel ita nobis ansa suppeditetur de MEMMINGENSIS, præclaræ apud Suevos Urbis, Reformatione, de qua dicere quidquam in superioribus neglexìmus, quædam proferendi: Erat Christophorus ille S. S. Theologiæ Licentiatus, origine San-

(a) vid. §. XCII. pag. 246.

(b) vid. LOESCHER. in Stromat. p. 228. qui asserere non erubescit, „ Turbas rusticas A. 1525. adeò infeliciter in Germania suscitatas Schappelero nostro tanquam Doctori Zwingliano imputari debere, „ uti non defuerunt, qui, minus tamen rectè eundem auctorem declarare voluerunt XII. illorum articulorum rusticis exhibitorum, de quibus in hoc Opere §. LX. p. 136. & 137. egimus.

Sangallensis, egerat verò jam A. 1513. apud Memmingenses concionatorem, qui, cum vita & moribus præstabat, tum oris facundia atque singulari in concionando peritia multùm valebat, prætereàque non vulgaris pro indole illorum temporum erat doctrinæ, quam ipse tamen adeò parum æstimabat, ut sæpius etiam conquestus fuerit se operam perdidisse in tricis scholasticis addiscendis atque in Aristotelis & Petri Lombardi aliorumque Scholasticorum scriptis terendis nugivendulis, dum interea Scripturam Sacram nequidem hactenus legisset, veræque adeo religionis prorsus fuisset expers (a). Is itaque, cum exoriente luce Evangelii animum Evangelica veritate imbuisset, nec illud tamen animi robur præsentisceret, quod variis adversæ fortunæ fluctibus perferendis par esset, de relinquendis Memmingensibus, apud quos Evangelii hostes variis quotidie dicteriis ipsum pariter atque veritatem pro suggestu incessebant, se illorum acerbitati subducturus consilium volvebat: Amor verò atque singularis quo in eum cives ferebantur favor efficiebant, ut Senatus omnem navaret operam eum retinendi, seque omnia in ejus patrocinium facturum esse promitteret: Quæ res anno ejus seculi *vicesimo secundo* cum ageretur, is quidem votis ipsorum adsentiri sed ea lege ut prius sibi liceret in patriam cum suis consulturo proficisci, quod & annuentibus Memmingensibus est factum. Schappelerus itaque uti Zwinglio erat amicissimus, ita tum quoque Sangallenses suos (b) primò, deinceps Zwinglium invisere atque cum eo de rebus variis conferre, sicque à Zwinglio accipere & ipsi vicissim dare consilia; Redux autem ad Memmingenses atque haud paulò factus confidentior, ea profiteri non est veritus, quæ monachis (c) & sacrificulis, quorum culinis & ventribus malè sic consulebatur, bilem moverunt, trucemque eorum iram in illum concitarunt, dum ex adverso avide ejus sermones excipie-

(a) Egregium de Reformatione Memmingensi Libellum conscripsit Doctiss. SCHELHORNIUS lingua Germanica editum Memmingæ 1730. 8. in quo is *Schappèleri* nostri causam præcipuè agit.
(b) Apud hos quod concionando tum quoque jam veritatem promoverit, enarrat HOTTINGERUS Helv. K. G. pag. 128. ad Ann. 1523.
(c) vid. SCHELHORN. Amœnit. Literar. Tom. VI. pag. 319.

piebat maxima civium pars, Evangelii cupida & avitæ superstitionis pertæsa. Hæreseos tum dicam ipsi scripserunt adversarii, principiis obsistendum esse rati, & quem argumentis refellere nequibant, conviciis sunt aggressi: Et quanquam tum ea res à magistratu Memmingensi quodammodo componeretur, quippe qui ne amplius eum probis lacesserent, reliquis injungebat, Schappelero autem moderationem graviter commendabat; Tamen ita non planè deferbuit, ut adversarii quoque variis criminationibus eundem Episcopo *Augustano*, ad cujus diœcesin urbs *Memmingensis* referebatur, invisum reddere, acerrimaque illius in eum provocare odia, non cessarent; Intereà dum hæc A. 1523. geruntur, altera vice Schappelerus, proprione motu an verò invitatus, dubium, adiisse videtur Tigurinos, apud quos A. 1523. mense Septembri celeberrimus ille celebrabatur Conventus, quem *secundum* diximus, publica auctoritate congregatum (a): Tum verò quanta ejus ingenii doctrinæque laus esset atque auctoritas, ex singulari, quo eum Tigurini ornabant, honore emicuit; Constituerunt enim eum unà cum *Joach. Vadiano* atque *Seb. Hofmanno* ejus Concilii *Præsidem*, qui cum collegis suis sedulò ne quid quod vel Scripturæ S. esset adversum, vel bonis moribus inimicum vel ageretur vel concluderetur provideret. Inde cum domum rediisset, tanta vi denuò noster Evangelii causam suscipere, sibique cumprimis magistratus ac civium conciliare favorem, ut magistratus graviter adversariis ne eum hæreticum dicerent, interdicere non vereretur: Illi verò Præsulis Augustani indesinenter pulsare fores, eoque rem deducere, ut tandem Schappelerus A. 1524. d. 13. Januarii formula minarum plenissima (b) „ Dillingam versus ab Episcopo sub

T t „ ex-

(a) v. *Introd. nostr.* §. CXIX. pag. 290. 291.

(b) Hanc formulam nobis subministravit SCHELHORN. l. c. p. 320, 321. quæ ita se habet: „ Christofferus Dei & Apostolicæ sedis gratia E-
„ piscopus Augustensis, dilectis in Christo nobis devotis divinorum coo-
„ peratoribus Ecclesiæ parochialis Sancti Martini oppidi imperialis Mem-
„ mingen, ceterisque salutem in Domino. Tenore presencium vobis &
„ cuilibet vestrum in solidum sub pena indignacionis mandamus, ut sta-
„ tim

„ excommunicationis, suspensionis à divinis ingressis ecclesia-
„ rum, ac etiam privationis omnium & singulorum beneficio-
„ rum suorum quæ obtinebat aut in posterum obtenturus esset,
„ atque inhabilitatis ad illa & alia obtinenda, confiscationisque
„ omnium & singulorum bonorum fisco Episcopi applicando-
„ rum pœnis citaretur. „ Quum verò minus consultum videre-
tur magistratui, ut in aperta se mitteret pericula Schappelerus (a),
Epis-

„ tim visis ac receptis presentibus nostra ex parte premptorie citare curetis
„ Christofferum Schappeler, assertum beneficiatum, atque predicatorem
„ dicti oppidi Memmingen, ut feria sexta post festum Conversionis Sancti
„ Pauli proxime ventura compareat coram nobis in oppido & castro nostris
„ Dillingen, nobis super nonnullis articulis sibi objiciendis in justitia re-
„ sponsurus, sub excommunicationis, suspensionis à divinis ingressis ec-
„ clesiarum, ac etiam privationis omnium & singulorum beneficiorum
„ suorum, que obtinet & in posterum obtinebit, atque inhabilitatis ad illa
„ & alia obtinenda, confiscationisque omnium & singulorum bonorum
„ fisco nostro applicandorum penis. Quod si dictus Chistofferus in pre-
„ vato citationis termino, ut præfertur, comparere curaverit sive non,
„ nos nihilominus ad declaracionem penarum predictarum ipsius dictante
„ contumacia procedere curabimus justitia mediante, dictoque citato de
„ cetero non alibi nisi in valvis sive portis ecclesie parochialis prefati oppi-
„ di Dillingen per publicam proclamationem edicti citato & vocato. Da-
„ tum in dicto castro nostro Dillingen Anno &c. vigesimo quarto die
„ tercia decima Mensis Januarii sub sigilli nostri impressione. „

(a) Juvat hæc omnia verbis Doctissimi SCHELHORNII enarrare l. c. pag. 321——325. qui & deinceps pag. 326. & seqq. Schappelerum ab ea, quam illi quidam inusserunt, seditionis macula, ita purgat ut apertè testetur, se haud pauca ejus ævi authentica evolvisse monumenta, ipsas etiam tabulas publicas, quas protocollum vocant, nec invenisse tamen unquam in illarum turbarum discussione nisi honorificam Schappeleri mentionem fieri; perlustrasse præterea quædam scripta Schappeleri manu exarata, in iisque animum à ciendis seditionibus prorsus alienum observasse; Præterquam, quod Sebastiani Lotzeri Apologia A. 1525. pro Memmingensi civitate & ejus pastore scripta contrarium quoque evincat, quippe qui per animæ salutem jurans testatur, Schappelerum adeò omni seditionis concitatæ culpa vacare, ut potius graviter auditores suos à dissidiis atque turbis semper dehortatus sit, & contra iis pacis studium summopere commendaverit: Ne dicamus, quod ea, quam Cl. J. H. HOTTINGERUS Hist. Eccl. Sec. XVI. P. II. pag. 515. sqq. nobis suppeditat Schappeleri

Episcopum tam per literas, quam legatos eo permovere conatus est, ut non Dillingæ, sed Augustæ Vindelicorum, quæ sedes episcopalis est, ei, uno vel duobus ordinis Senatoriis stipato, comparere, causamque suam agere liceret, fide prius ipsi publica data, ne insons vel in carcerem detruderetur, vel ad supplicium raperetur. Verum Præsulis animus quibusvis precibus flecti haud potuit, legatique re infecta domum rediere. Atque ita anathematis fulmine in eum sævitum est, & valvis templi S. Martini noctu appensa, sed, antequam innotesceret, ad magistratum delata hæc est schedula, „ Hic auctoritate ordinaria denunciatur excommunicatus ac declaratur Christofferus Schappeler predicator oppidi Memmingen ob non paricionem monitorii. Contra eum decretum & executum instante fisco R. P. & D. D. Episcopi Augustensis. „ Prolixum foret, referre omnia, quæ deinceps hac in re ultro citroque gesta sunt. Sufficiat dixisse, Senatum ulterius tam suam, quam concionatoris sui causam egisse mascule & apud Imperii Ordines Noribergæ congregatos, & apud fœderis Suevici socios, quibus Memmingenses suspectos ac invisos reddere moliebatur Præsul Augustanus, tandemque A. MDXXIV. d. 7. Decembris Eucharistiam prima vice sub utraque specie inter Memmingensis administratam esse. Eodem autem anno in festo nativitatis Christi horis vespertinis in D. Virginis templo, sacrificis omne fere illud tempus, quod sermoni sacro habendo destinatum erat, cantillando, fumigando aliisque ritibus absumentibus, non leves exortæ sunt turbæ, quæ tamen rursus, Joanne Kellero, Consule, maximæ auctoritatis viro, aliisque sex è Senatorum ordine intervenientibus, sopitæ fuerunt. Ji enim populo, à monachis se deludi indigne ferenti, ac illas ceremonias nauseanti promiserunt, se curaturos, ut propediem magistratus auspiciis Disputatio publica in curia inter Schappelerum ejusque adversarios institueretur. Anno igitur MDXXV. postridie Calendas Januarii auctoritate publica in curiam convocati fuere omres

peleri sub *Christophori Sartorii* nomine ad Zwinglium scripta Epistola planè evincat, quam istas turbas plane abhorruerit vir eximius, licet in altera quoque parte nimiam in rusticos severitatem minus probare videatur.

nes monachi & sacerdotes, Memminga degentes, ut cum Schappelero inirent colloquium. Proposuit autem is eorum disquisitioni *septem* articulos è solis sacris literis, non è priscis doctoribus aut pontificum decretis dijudicandos, quorum summam hic recitare haud piget; I. statuit, Confessionem, quam vocant, auricularem non esse necessariam. II. invocationem Mariæ aliorumque Sanctorum rejiciendam. III. Decimas in novi fœderis scriptis non flagitari. IV. Sacram cœnam non esse sacrificium, sed *recordationem certissimæ remittendorum peccatorum promissionis*, à Deo factæ & Christi morte firmatæ. V. Purgatorium è Sacra Scriptura adstrui haud posse. VI. sacramentum Cœnæ integrum sub utraque specie, non mutilatum, juxta mandatum Christi omnibus Christianis, id petentibus, dispensandum esse. VII. unicum spirituale Sacerdotium omnibus fidelibus esse commune. De his ergo capitibus per quinque dies publicè coram Senatu disceptatum fuit Præside *Ulrico Wolffhardó*, artis salutaris Doctore, Viro eruditione & virtutibus ornatissimo. Cum disputantes, tum eos, qui è qualibet tribu auditorum occuparunt subsellia, longo ordine recenset Vir non incelebris D. *Christophorus* SCHORERUS in Chronico Memmingensi. Eo verò eventu res acta fuit, ut victor decerneretur Schappelerus, qui postea alios *viginti quinque* articulos ceremonias ecclesiasticas aliaque concernentes conscripsit, quos (uti Doct. SCHELHORNIUS l. c. inquit) Zwingliana sapuisse dogmata, annales & manuscripti & typis excusi testantur.

Enimverò eodem hoc anno factum est, ut, cum aliis Memmingensibus Evangelio addictis, ipse quoque militari manu Schappelerus ad supplicium expeteretur, quasi is doctrina sua quæ tamen ab omnibus turbis erat alienissima, turbarum fuisset auctor; is tamen magistratus & civium, qui amore ejus toti calebant, opera vix trium horarum spatio ante quam quæreretur in patriam Sangallensem evaderet:

Apud *San-Gallenses* itaque, cum appulisset Schappelerus, dubium est nullum, quin strenuam quoque Reformationi promovendæ navaverit operam, nam & anno statim sequenti, quem diximus, 1526. is à Magistratu San-Gallensi religiosis in clau-

stro

stro S. Catharinæ fœminis dabatur Pastor (a), cum *Joh. Rheinerus* illis quæ in S. Leonardi conventu habitabant adjungeretur; Atque fuit is abinde per multos annos in patria Ecclesiastes, qui doctrina ac exemplo suis præiret (b), quando vitæ demum & annorum satur A. 1551. d. 25. Augusti supremum (c) apud San-Gallenses obiit diem;

§. CXIII. Sed ut unde digressi eramus, redeamus; Dum illa geruntur in Civitate San-Gallensi, Pastores in *quandam* coire *Synodum*, accersitis illuc Abbatiscellanis quoque Pastoribus, itemque iis, qui in Abbatia San-gallensi & apud Regusiæ incolas Evangelium profitebantur: Hi collatis in unum consiliis, de Excommunicatione adversus peccatores enormi scandalo se coinquinantes vel impœnitentes quædam pro re nata decernere (d), simul verò Canones de convocanda in futurum, ubi opus esset Synodo condere:

Ab altera vero parte qui Evangelio infesti erant, nullo modo cessare quo ejus progressui ponerent obicem: Quem in finem septem Pagi *Lucerna*, *Urania*, *Suitium*, *Subsylvania*, *Tugium*, *Friburgum* & *Solodurum*, arctiori se alligare vinculo, atque etiam ad Glaronenses tum comitia celebrantes, eorum consociationem expetitum mittere, non sine successu, quanquam cum ii ad Abbatiscellanos quoque eam in rem nuncium mitterent, horum tamen assensum impetrare nequiverint: Mira verò erat ubivis in urbe & agro Tigurino in Evangelium con-

 sen-

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 338.

(b) v. CRUSII Suevicor. Annalium Paraleipomena fol. 82.

(c) vid. SCHELHORN. Hist. Reform. Memming. pag. 93. qui luculentius ibi èdocet, quam tota Memmingensis Ecclesia non ad Lutheri & ejus assеclarum sed ad Zwinglii & Helvetiorum nutum fuerit reformata per *Schappelerum* nostrum, *Simpertum Schenkium*, Tigurinum, *Joh. Vannium*, *Georgium Gygium*, & *Ambrosium Blaurerum* Constantienses, omnes Zwinglio addictissimos; Quanquam tamen vel ita Civitas Memmingensis etiam inter eas, quæ Protestationi ac Appellationi adversus decretum Spirense A. 1529. & vota addixerat & nomen signaverat, fuerit recensita, conf. SCHELHORN. lib. cit. pag. 154. ex SECKEND. H. Luth. L. II. §. XLIV. fol. 128. & SLEIDANO Lib. VI. fol. 102. a.

(d) HOTTING. Helv. K. G. p. 338. conf. Quæ §. CXI. p. 326. diximus.

ſenſio (a), adeo ut Tigurina urbs exulibus quoque propter Evangelium tutum præſtare jam tum potuerit perfugium, quod Werdenſis Abbatis exemplo comprobatur, de quo ita *Amb.* BLAURERUS (b) ad Zwinglium: „ Pium hunc & verè Venerabilem „ Werdenſis Cœnobii Abbatem, Chriſtianicè, hoc eſt ſimpliciter Tibi commendo, clariſſime idemque chariſſime frater; „ Cur enim multis Te admonerem officii, quod ultrò nunquam „ non ſtrenuiſſimè facis? Exilii ſui cauſas ex ipſo ſi voles, ad „ longum cognoſces, qui etiam ſtudiorum ſuorum guſtum tibi „ aliquem h. e. Pſalmos aliquot carmine redditos exhibebit, id „ quod tametſi non adeò proſperè ſucceſſit, (nec enim hujusmodi ſunt verſus quales iſthic Colinus veſter, rara quadam ſuavitate & felicitate fingere ſolet) non poſſis tamen ſtudium hoc „ & dignos Chriſtiano homine conatus non candidè probare &c. „

Enimverò, multa tum adverſus Tigurinos (c), ut eos fœdere communi ſi pote excluderent, machinari, atque aliorum exacerbare animum adverſus eoſdem, non deſiſtebant ſeptem pagi Pontificii, quorum conamina tamen quæ facile in plenum inter fœderatos ſchisma degenerare potuiſſent, per ſingularem providentiam irrita ſunt facta; Nam & in conventu ordinum Imperii Spirenſi hoc anno celebrato *Jo. Faber*, cum multis lacrymis Principes obteſtatus eſſe dicitur, „ ut ſi nihil aliud, hoc ſaltem caverent, ne ipſis Chriſtus atque adeò ſalus tota (d), corporis Chriſti conculcatione eriperetur, quod nunc illi molirentur, qui ipſum in ſacramento negarent oraliter manducari; „

Erat hic annus, ſub cujus finem *Thomas* WITTENBACHIUS celebris ille apud Biennenſes Reformator, Anno ætatis 54. animam Deo reddidit, cujus tanta uti in omnem ita quoque in Reip. Bernenſis reformationem fuerunt merita, ut ea ſatis digno adumbrari penicillo nequidem poſſint, ejus memoriam licet in-

(a) ZWING. & Oecol. Epiſt. ad Conr. Samium fol. 172. a.
(b) apud HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 464.
(c) v. HOTTING. Helv. K. G. p. 335, 336.
(d) HOSPIN. Hiſt. Sacram. Vol. II. fol. 42. b.

indefesso cultu celebret posteritas (a): Admirati verò sunt hominis pietatem, qui ad eum ægrotantem ac supremos fermè spiritus trahentem accesserant, Proceres Biennenses, His enim is gravissimis verbis (b) hoc pietatis in Deum testimonium reliquit, testatus, „ se quam beatæ analyseos hora instaret pervidere, „ quamque brevi rationem administrati à se officii Deo sit redditurus: Atque adeò denuò se conceptis verbis affirmare, quam „ præter veritatem puram eandem atque divinam suis inculcare „ nil quicquam sustinuerit; admonere porro eosdem, ut in veritate semel recepta persistant, neque se ab ea ullo modo seduci „ patiantur, sibi nullum esse dubium, ipsosque esse posse persuasissimos, quod vitam æternam in ea sint inventuri. „

Sed abstulit idem annus egregium quoque Virum *Conradum de* RECHENBERG, Abbatem Einsidlensem, atque Reformationi addictissimum, quocum illud Monasterium veluti exspiravit, veluti ejus quoque auctoritate & cura apud Einsidlanos profligata erat omnis disciplinæ monasticæ superstitio (c): Hujus cum Leone Judæ atque cum reliquis Reformatoribus celebratur familiaritas, atque apophtegma, sive dictum memorabile quod in conviviis aliquoties repetiisse dicitur, „ se nec amare de religione disputationes contentiosas, nec quicquam aliud, in extrema hora „ à Deo sibi expetere quam illud: Miserere mei, o Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et; Domine, non intres in Judicium cum servo tuo; „ Eum verò omissis omnibus apud Pontificios ceteroquin cerimoniis, Christianè atque in Domino defunctum esse credere jubet pietas. (d)

§. CXIV. Atque hæc quidem hactenus de progressu Reformationis in Helvetia anni vicesimi sexti: Sequenti autem anno non uno in loco tumultuabantur Anabaptistæ: In urbe & ditione TIGURINA primarii erant *Felix Mantzius* & *Georgius Blaw-*

rock,

(a) Conf. Quæ ex Epistola *Leonis* JUDÆ in Wittenbachii laudem jam à nobis sunt allata in *Introd. ad Hist. Ref.* §. XLVI. p. 100, 101.

(b) HOTTING. Helv. K. G. ex Epistola HALLERI ad Zwinglium d. 17. Decemb. data conf. SCHEUR. Vit. Wittenb. p. 62, 63.

(c) HOTTING. Helv. K. G. p. 341.

(d) vid. Vit. Leonis Judæ in *Miscellan. Tigurin.* T. III. p. 28.

rock, quorum hic eò progressus erat temeritatis ut omnes pædobaptistas diceret latrones (a) esse atque fures, ille, nullum Magistratum esse posse Christianum inculcaverat, atque semel iterumque monitus ab Anabaptismo ut abstineret, quod ea res absque gravissimis tumultibus confici non posset, obedire nolebat, quin potius adversus Edictum magistratus, ipsi sigillatim injunctum, rebaptizabat, suæque inobedientiæ, sub finem anni superioris captus, & quinta Januarii hujus anni 1527. infeliciter (b) aqua suffocatus pœnas luit; dum collega ejus Blauwrockius virgis cædebatur usque ad portam urbis, atque, ut Tigurinorum territorium ejuraret, adactus est, qui & ipse tandem in Tirolensi comitatu miserè periit.

Apud BASILEENSES cum illis de pædobaptismo, de Juramento etsim. disputabat Oecolampadius, cujus Disputationis Acta quoque publicè sunt edita. Et dicuntur tum in publicâ disputatione convicti (c) semet ultrò ad revocandos errores obtulisse; quando tamen dimissi nullaque affecti pœna ita non recantarunt, ut potius omnia egerint contraria.

Enimverò, dum hæc referimus, minimè nos approbare censeri debet, illa supplicii de sectariis his sumti exempla, cum satius fuisset, ecclesia si à cruore fundendo penitus abstinuisset; quippe cum exquisita supplicia ita parum proficiant ad extinguendos errores, ut eo quoque remedio, quod intempestivè semper adhibetur, malum indies exacerbetur, numerusque sectariorum indies crescat; Est enim illud verissimum planè nec unquam satis deprædicandum MAXIMILIANI Imperatoris effatum: „ Cætera omnia legibus humanis subji„ ci, religionem solam nec cogi nec imperari posse. „ Intereà tamen, qui ad illorum hominum principia, quæ non poterant non ad seditionem vergere, quæque expulso magistratu atque dejectis ecclesiæ ministris, quorum vocatio ipsis minimè videbatur legitima, novam ac prodigiosam non solùm in religione sed & in civili administratione rationem, invehebant, ad-

(a) OTT. Annal. Anab. pag. 38.
(b) OTT. l. c. pag. 41.
(c) conf. GAST. in Hist. Anabapt. pag. 39.

adtenderit, facilè concipiet, quam Proceres in iis rerum circumstantiis etiam aliquanto fervidius quam ceteroquin par fuisset, agere debuerint, ne, si principiis non obstitissent, serò nimis malo serpenti medicina pararetur. Και ταυλα μεν δη ταυλα.

BERNÆ autem Evangelium magis magisque efflorescere; Et quanquam paucis ante diebus Bernenses pagorum Pontificiorum importunis pariter atque iniquis postulationibus cesserant, seque pristina sacra non immutare velle, interposito quoque juramento stipulati fuerant, satius tamen, inspecta penitius veritate duxerunt, & juramentum illud (a) non ab omnibus quoque, nec a ritè informatis susceptum revocare, & veritatem prono animo suscipere, atque abrogata superstitione veteri tueri; Eum igitur in finem, ante omnia, nequicquam curantes pagorum septem Pontificiorum vel querelas vel minas (b), primum illud, quod jam A. 1523. latum erant, renovabant Edictum, quo ne quid præter Scripturas Canonicas V. & Novi Testamenti à ministris verbi proponeretur cautum erat: Renovatio hæc propridie adscensio-

(a) Neque enim in illud superioris anni juramentum consenserat pars melior Senatus, atque etiam plurimi ex primariis civibus ei fuerant oblocuti, ut nec juramenti religio per has curas posteriores censeri possit violata, nec ulla perjurii labes, in sanctissimum illud, quod jam condebatur, decretum recidere possit: In eum verò numerum recensebantur *Johannes de Weingarten*, *Jacobus Mey*, *Bernhardus Tilman*, *Nicolaus Manuel*, *Sulpicius Hallerus*, *Petrus de Werd*, *Jacobus Wagner* etsim. quippe quorum auctoritate *Bercht. Hallerus* quoque à Badensi disputatione redux in suo quo fungebatur, munere confirmatus erat. Præterquam quod juramenti religione ad prava agendum, vel, quod eodem redit, ad bona omittendum constrictus nemo teneatur, ut pessimus ille sit error, quo quis ad id quod malo consilio juratum est, adimplendum se putat ex juramenti vinculo obligatum.

(b) Sic enim ad importunas illorum pagorum literas, strenuè responderunt Bernenses d. VII. Martii. „ Se suas satis res curare posse, neque „ adeò indigere reliquorum consiliis, multò minus opus esse, quod ii se „ facturos perscripserant, ut suos legatos vicatim mitterent ad Bernensium „ subditos, ad eos in pristina religione retinendum; Neque enim hoc esse „ illorum pagorum, sed sui officii; Quippe cum ipsorum subjecti ab ipsis „ solis dependeant, nec cum reliquis pagis ullam rem habeant. „ vid. RUCHAT. Tom. I. p. 493, 494. ex STETTLERO fol. 664.

nis (a) facta est typisque impressa, atque non Urbe solum, sed per totam qua patet Ditionem amplissimam templorum valvis est affixa (b): Deinceps quantum ad ulteriorem, quam cives Bernenses magnoperè desiderabant Reformationem, se ea de re curatius pensitare velle pollicentur, atque, cum Acta Disputationis Badensis non integra essent emissa, ipsisque inspectio actorum originalium denegaretur, ipsi novam in sua Urbe habendam publicè d. 17. mensis Decembris (c) indicunt Disputationem, quæ die Dominica post Kalendas Novi anni 1528. celebraretur; Ad hanc itaque finitimos (d) convocant Episcopos, Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, Lausannensem, &, ut ipsi veniant, suosque secum adducant Theologos, monent: alioqui mulctam denunciant earum possessionum, quas in suis finibus haberent: Deinde suæ ditionis homines ecclesiasticos conscribunt, & ut in actione tota, veteris ac novi Testamenti Scriptura sola pondus & auctoritatem habeat, edicunt, & omnibus undecunque venturis eò fide publica cavent; Hanc quoque legem statuunt, ut modestè, sine convitiis & injuriis omnia fiant, & liberè suam quique sententiam dicant & ita pronuncient ut à scribis excipi possint cujuscunque dicta: quidquid ibi decretum fuerit, ratum atque firmum esse per omnem suam ditionem jubent. Et, ut quibus de rebus agendum esset, constaret, eóque venirent omnes paratiores, themata promulgant, numero decem, quæ ipso-

(a) v. SCHEURER. in vita Halleri pag. 404, 405. *Montags vor der auffahrt* &c.

(b) Hoc Mandatum propter rei memoriam ut inter Documenta huic volumini subnexa Num. XXI. referretur operæ duximus pretium, prouti scriptor anonymus Historiæ Biennensis, quem collectioni suæ T. II. p. 267. sqq. inseruit FUESSLINUS illud nobis suppeditavit §. XV. v. Fussl. l. c. pag. 310——314. Brevem ejus summam habet RUCHATUS T. I. pag. 491, 492.

(c) Scriptores omnes Actis innixi, d. 17. Decembris commemorant, sed auctor anonymus d. 17. Novembris habet.

(d) Sleidan. fol. 93. b. 94. a. Ipsam hujus Indictionis formulam propter causæ nobilitatem huic volumini subjunximus Document. Num. XXII. ex ipso Actorum hujus Disputationis jam A. 1528. apud Tigurinos publica auctoritate impressorum originali.

ipsorum Ecclesiæ ministri, *Franciscus* COLBIUS, & *Bertholdus* HALLERUS profitebantur, & sacris literis confirmare se velle dicebant. Ea verò sunt ejusmodi.

I. Veram Ecclesiam, cujus unicum sit caput Christus, ex Dei verbo nasci, in eóque permanere, neque vocem alterius audire.

II. Hanc ipsam Ecclesiam non condere ullas leges extra verbum Dei. Traditionibus igitur hominum, quæ titulum habeant Ecclesiæ, sic demùm obligari nos atque teneri, si cum verbo Dei consentiant.

III. Solum Christum pro totius mundi peccatis fecisse satis. Ergò si quis aliam salutis viam aut expiandi peccata rationem esse dicat, hunc abnegare Christum.

IV. Corpus & Sanguinem Christi revera & corporaliter sumi, testimonio scripturæ probari non posse.

V. Missæ ritum, ubi Christus Patri cælesti pro vivis atque mortuis repræsentatur, & offertur, adversari scripturæ, & contumeliam facere sacrificio, quod Christus pro nobis impendit.

VI. Solum Christum, ut intercessorem & humani generis advocatum apud Patrem, invocandum esse.

VII. Quod sit ullus ab hac vita locus, quo purgentur animæ, in sacris literis non reperiri. Precationes igitur & ceremonias illas omnes & exequias anniversarias, quæ mortuis impenduntur, & cereos atque lampades, & id genus alia nihil omnino conferre.

VIII. Statuam aut imaginem ullam proponi cultus causa, repugnare sacris literis. Proinde, si quidem eo animo sint in templis erectæ, tollendas esse.

IX. Matrimonium non esse vetitum ulli hominum ordini, sed fornicationis vitandæ causa, mandari cuilibet atque permitti sacris literis.

X. Quum scortator omnis verè sit & testimonio Scripturæ separatus ab Ecclesiæ communione, Sacerdotum ordini minime omnium convenire cœlibatum impurum atque turpem.

§. CXV. Inter eos, qui præcipuè à B. Hallero & ejus collegis rogabantur, ut sibi subvenirent atque suppetias laborantibus suffer-

sufferrent, erat *Huldr.* ZWINGLIUS; ad quem *Hallerus* (a) inter alia, hunc in modum: „ Decrevisse Præpotentes Ordines „ Bernenses, scribebat, unanimi consensu, nemine contradicente, „ Disputationem publicam, hoc ordine habendam. *Primò*, quatuor Episcopos cum Theologis suis, sub pœna amissionis om- „ nium privilegiorum, quæ jure Episcopali in ditione D. D. „ Bernatum prætendebant, vocatos: Omnes *præterea* Helvetiæ „ Cantones & Socios, Mulhusium, Rotwilam, Sangallum, Cu- „ riam, ut & ipsi cum Theologis suis compareant, invitatos: „ *Cuique* parti salvum conductum missum iri. Parochos insuper „ omnes, Monachos, Prælatos, Sacerdotes totius districtus sub „ pœna rejectionis, ad disputationem vocatos. *Solam* Sacram „ scripturam absque veterum glossematis, omnibus resectis am- „ bagibus, exceptionibus, convitiis, audiendam. *Monitos* Epis- „ copos, & Confœderatos, actum iri de Ecclesia, ejus capite, „ potestate, traditionibus humanis, sive præceptis Ecclesiæ, de „ Sacramento Missæ, imaginibus, sanctorum invocatione, pur- „ gatorio, cœlibatu sacerdotum &c. *Articulos*, ut commodius „ communicari illi possent, impressum iri. Rogare igitur, ut „ Zwinglius curam illorum suscipiat, ad editionem eosdem pro- „ moveat. *Quod* si quid vel addendum vel detrahendum ille ex- „ istimaret, id liberè ageret. Omnes pios (addebat) hic firmissi- „ ma tenet spes, se non emansurum. Nosti, quantum in hac „ Republica situm sit. Si impares essemus oneri, quanto illud „ cum probro nostro, Evangeliique damno conjunctum foret. „ Non ignoro, reque ipsa sum expertus, Tibi honorem Dei, „ Verbi ejus, salutem Reipubl. Bernensis, imo totius Helvetiæ, „ adeo curæ cordique esse, ut non tantum nihil eorum, quæ „ causæ huic usui esse possunt, sis omissurus, sed ipse ad pro- „ movendum honorem Dei, & totius rei Christianæ emolumen- „ tùm, hostium verò scandalum, præsentiam Tuam non dene- „ gaturus. Spem jam fecisse adventûs Consulem *Roëstium* (b).

„ Ne

(a) vid. Halleri Epist. ad Zwingl. apud HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. pag. 326. sqq.

(b) De eo quædam jam diximus in *Introd.* ad Hist. Ref. §. CXIX. p. 292.

„ Ne insidias metueret: Habituram ejus rei rationem Potentissimam Rempubl. ne itinera minus tuta terrerent: Adventum ejus avidè à multis expectari: Age adsis, pergit, hæremus inter sacrum & saxum, & lupum auribus tenemus. At eum tractare nescimus. Nescimus oligarchiam. Minati sunt, paucissimi tamen, Dominos hac disputatione nihil expedituros, & posteriora propterea futura deteriora. Quid plura, amantissime Huldrice, nosti, me tanto oneri imparem: Tu ergo rationem & modum ostende, arduæ illius administrandæ provinciæ: imo ipsam Tu suscipe. Utinam, charissime Frater, nostrum omnium exactissime, pro felici hujus negotii καταστροφῇ, nosses zelum! Totum negotium *Oecolampadio* communicavi; qui tamen utrum adfuturus sit, nescio. Scripsit interea, optare se, Zwinglium nobis adesse. Summa, *Er hat gebadet, du solt den Bärentantz führen* (a). Ajunt, *Murnarum* adfuturum, ut de Calendario suo (pictura est ignominiosissima & adhuc in manibus nostris virulentissimi animi indicia) rationem reddat. Quicquid sit, quisque veniat, de Tua modò præsentia certi simus; non modò ad reprimendos contradicentes, sed & cæteros confirmandos; os præsertim sacrificulorum importunorum, quorum magnus apud nos numerus, obturandum. Etiam *Farellus* se sistet. *Vattenwilliorum*, *Nolliorum*, *Trempiorum*, *Bertholdorum* ædes Tibi patebunt. Eliges, quascunque volueris. Omnia Tibi erunt parata, modò Tu paratus sis, ut confidimus omnes. Matura responsum, nullisque parce sumtibus, ut constet quid de Te polliceri nobis possimus. In hoc enim rei cardo vertitur, ut ne nobis desis. Rem satis intelligis. Age, mi frater, quod tota nostra urbs abs Te expectat. Mitto conclusiones nostras, ut pro arbitrio eas augeas, iis adimas, apponas. Operæ etiam erit pretium, ut publicè, coram Magistratu & Clero Bernensi, causas, quæ Tibi Badensi colloquio interesse non permiserunt, exponas. Tandem indicat Zwinglio, Magistratum etiam Bernensem, Tigurino negotium, & con-

(a) Manifestum est, quam alludat Hallerus ad locorum nomina quum Oecolampadius *Badensi* Disputationi solus interfuisset, atque ut Zwinglius *Bernensi* interesset, necesse judicaret.

„ clusionum Editionem commendare. Rogat igitur denuò, ut „ curam negotii in se suscipiat, easdemque Conclusiones in usum „ Ecclesiarum Vaudensium Latinitate donet. Tibi (ita claudit) „ enim provinciam hanc commisimus, & quam non committere- „ mus! „ Sed idem ille HALLERUS, cum Zwinglius præsentiam suam condixisset, miris lætitiis incessere, neque eas ipsi Zwinglio celare, quin exponere potius hunc in modum voluit. „ Nunc video, clarissime Hulderice, quam insperatò Dominus „ apud nos per Te & per Oecolampadium gloriam (a) suam pro- „ moveri velit, cum uterque se, nisi vita adimatur, adfuturum „ omnino polliceatur. Hæ sunt auxiliares copiæ, quibus Do- „ minus me hoc negotio longè imparem, armare dignatur: Et „ utinam omnia adversariorum argumenta in unum effunderen- „ tur; præsto essent, qui cum magna Dei gloria, singula dilue- „ rent! Te aut Sebastianum dies sex aut octo ante præfixum ter- „ minum expectamus, qui omnia dedolet. *Trempii* domus tota „ Te cum Consulibus, si quos adduxeris, expectat. *Oecolam-* „ *padium* in domum meam, *Vadianum Tilmanus. Nollius* quoque „ domum suam aperuit. Oligarchæ in angulis obmurmurant. „ Conatus eorum non deerunt, quo institutum vel impediant, „ vel cum impedire non possint, confundant: Aut omnino præ- „ sentes non sint. Sed instabimus omnibus viribus, ne Satan in „ illis erumpat. Nisi dextras junxeritis omnes, actum erit. „ Vixdum autem illa concertatio decreta, atque per omnem Helvetiam vicinasque regiones transmissa, quin novæ tricæ necterentur, & nova se proderent incommoda: Certè, Carolus V. Imperator à suis instigatus, vel potius Concilium Imperiale in Comitiis Spirensibus congregatum, Caroli nomine ad Bernenses gravissimam mittere Epistolam dehortatoriam (b); Huic Bernenses respondent: „ Plerosque ad disputationem jam convenisse; Dis- „ sidia religionis fieri indies majora: Orbis Christiani Reges iis „ componendis operam non impendere: se igitur sui esse officii „ reputasse, de veritate inquirenda laborare, eumque in finem „ hanc decrevisse disputationem, quod ne in malam partem ac- „ cipiat

(a) HOTTING. loc. cit. pag. 330, 331.
(b) Hanc vitæ Halleri inseruit Cl. SCHEURERUS l. c. p. 413-417.

„ cipiat Imperator, eum rogant. „ Deinceps, octo Pagi Pontificii, non minus huic malo, uti ipsis videbatur consilio obviam ire, eamque in rem itidem memorabilem ad Bernenses mittere Epistolam, cui tamen admodum graviter respondere Bernenses (a) non negligebant: In ipsa Epistola ut ab instituto desistant Bernenses, eos hortantur reliqui: Commonefaciunt eos initi fœderis atque pacti (b): Repetunt quoque Disputationem Badensem, cujus ipsi fuerint inprimis & Auctores & laudatores; neque licere ulli populo dicunt aut provinciæ, formam religionis atque doctrinæ mutare, sed hoc ad totius orbis pertinere concilium. Orant, ne tantum in se facinus recipiant, nec à paucis aliquot externis, in errorem se abduci patiantur, sed in ea religione permaneant, quam ipsi, quam ipsorum parentes atque majores observarint, in qua tantam nominis gloriam adepti sint, in qua suos fines ad eum modum amplificarint, in qua toties fuerint victores. Æquum esse, ut hoc ab ipsis impetrent; sin minus, tum illud quod de tuto itinere petant, non se posse polliceri, sed, ubi de personis cognoverint, judicium atque delectum esse facturos. Illis quidem, qui nuper ad actionem Badensem, interposita fide vocati, non venerint, & partim diffidentia partim contemtu quodam emanserint, nolle se cavere deinceps. Ad hæc, neque se quenquam eò mittere, neque suis ut eò proficiscantur, velle concedere: Sed nihil his commoti Bernenses masculè respondent: „ Rem Christianam, salutem animarum, Pa„ cem Reip. hîc agi, ideóque à suo proposito se non posse ullis „ rationibus revocari. „ Repetunt etiam superiora postulata de mittendis legatis, atque de itinere tuto præstando peregrinis etsim.

Eodem tempore inter Clericos agri *Bernensis* permultôs fuisse accepimus, qui seposito metu de uxore ducenda cogitabant; Alii erant, qui honesto amori equidem obtemperare volebant, sed timidiusculi primò veniam ejus rei expetere aggrediebantur apud summum Magistratum; At verò is ne minus consideratè rem gra-

(a) Utriusque hujus Epistolæ exemplum habemus in Cl. SCHEURERI biographia Halleri, prioris p. 418. sq. posterioris p. 429———441.
(b) vid. SLEIDAN. fol. 94. b.

gravioris momenti proprio nixus consilio definiret, legationem per universam ditionem ad expiscandum civium atque subditorum mentem atque judicium, mittebat, qua tamen quid effectum sit, non constat, nisi quod abinde Reformationis negotium per totam provinciam prosperè succederet, atque per eos qui veritatem jam amplexi erant, promoveretur: Certè *Sibenthalenses* cura Petri CONZENII (a) reformabantur, *Rohrbacenses* omnium primi Missæ renunciabant, *Emmethalenses*, *Langnavienses* & *Ruderswilenses* itidem se Missam abolere velle publicè declarabant, petentes ut sibi relinquerentur sui Pastores, qui publicè per Scripturam sacrificii Missatici abominationem se demonstrare velle polliciti erant: Neque hos repulsam tulisse constat: *Boltingenses* non minus abrogabant Missam, atque in ipsa Urbe *Bernensi* jam tum *sex* Tribus primariæ reliquis in abolendis Missæ aliisque erga Sanctos & Mortuos cerimoniis abolendis præibant mense Novembri, quibus mense Decembri accedebant aliæ *septem*, ut non nisi *tres* restarent, quibus illæ adhuc Missationes placebant; Tantus fiebat ubique concursus eorum qui Reformationi studebant, ut resisti non posset, lætumque inde capiebatur augurium, fore ut brevi tempore lux Evangelii totam collustraret regionem. Intereà tamen provido consilio *Bernenses*, ne quid in ipsos ita Reformationi studentes infesti committerent Pontificii pagi, conscribebant exercitum, suosque confœderatos ea de re monebant; Curabant verò simul, ne quid in hoc Reformationis negotio inordinatè committeretur, aut quod incurrere posset reprehensionem: Ne monachi vel moniales quibus libera in cœnobiis

(a) *Petrum* CONZENIUM dictum *de Schönthal*, magnæ auctoritatis virum fuisse, colligitur ex eo, quod is præ reliquis jam A. 1526. cum Pastor esset Erlebacensis, unà cum Bercht. Hallero ad Conventum Badensem mitteretur; Unde redux factus quod totus quantus Reformationi ecclesiarum agri Bernensis incubuerit, patet ex Cl. SCHEURERI relatione Historica de eodem, quæ subjecta legitur biographiæ Francisci Kolbii à Scheurero conscriptæ p. 177. & sqq. qui simul edocet, quam is A. 1535. ad civitatis Bernensis pastoratum vocatus fuerit, in Francisci Kolbii locum, atque ea commemorat, quæ is pro Concordia inter Evangelicos stabilienda, itemque pro Lutheri sententia in quam totus descenderat, quantumpote promovenda, egit atque passus est.

biis manendi dabatur potestas, ipsa cœnobiorum bona profunderent, œconomi sive administratores ipsis dabantur, iisque injungebatur, ut titulos & documenta, ipsasque usuras annuas ritè asservarent, horumque omnium annuam rationem suo quidem redderent Procuratori, sed coram illustrissimo Ordinum consessu.

§. CXVI. BASILEENSIUM verò etiam Proceres perpetuis concionantium altercationibus fracti decreverunt per viam examinis omnium commodissimam atque tutissimam, de Missæ cumprimis sacrificio causam definire; Demandarunt scilicet utriusque partis fautoribus atque inter eos *Mario* præcipuè atque *Oecolampadio*, qui jam ea de re contentionis serram reciprocaverant, ut suam doctrinam rationibus sed ex sola Scriptura S. petendis (a) ornatam atque confirmatam proferrent; Pontificii, quare Missam assererent sanctam utilemque vivis ac mortuis in remissionem peccatorum; Evangelici (b), quare eandem judicarent abominabilem atque perniciosam; quando Proceres ipsi, utra pars potioribus rationibus esset instructa, dijudicaturi essent, atque eam quæ sibi se maximè approbaret, essent selecturi.

Augustinus igitur MARIUS (c) Ecclesiæ Cathedralis Concionator,

X x

(a) RUCHAT. T. I. pag. 470.

(b) vid. OECOLAMP. in Ep. ad Joach. Vadianum in Ep. Zwingl. & Oecol. L. IV. fol. 203. *Nuper Senatus, perpetuis concionantium altercationibus tandem fractus, decrevit in re missaria, ut intra mensis spatium, utrinque libelli offerentes, quibus suæ quique rationes redderent doctrinæ; adversarii, quare missam suam asserant piam utilemque vivis ac defunctis in remissionem peccatorum, nos verò quare eam ut abominabilem & perniciosam exsecremur. Et nos quidem, gratiâ Dei satis armatam orationem paravimus; quid autem adversarii sint acturi ignoramus, cessant planè, & ad solitas vertuntur technas. Incertum, qualem se exhibiturus sit Senatus, speramus pium fore.*

(c) Is procul dubio idem fuit, qui inter Confutatores Augustanæ Confessionis nomen habuit docente SECKENDORFIO L. II. §. LXXVI. & LXXVIII. quique de Prædestinatione divina edidit librum, uti ex SIMLERI additamentis ad GESNERI Bibliothecam contractam addiscimus: Nam & inter eos connumeratur, quorum mores non omni caruerunt infamia, vid. SECKEND. l. c. fol. 203. quanquam ERASMUS eundem, tanquam virum honestum ac probum laudet in Epistolis.

tor, quique Episcopi Salonensis gerebat titulum, cum suis, Missaticum sacrificium singulari scripto defendere annititur, addita illa tamen cautione singulari (a) quod hac ratione non præjudicare nec Episcopi nec Capituli, tanquam suorum Superiorum, auctoritati velit, quippe qui ipsis ne id facerent interdixerant, quanquam interea propriam suam ipse promere sententiam non detrectaverit, ad id Magistratus auctoritate adactus. *Oecolampadius* ex adversa parte ejusque collegæ (b) armatam (sic enim vocat illam Oecolampadius) orationem parant deinceps typis impressam, qua docent se justis de causis Missam appellasse βδέλυγμα sive abominationem. His exhibitis libellis, ne tum quidem propria auctoritate hoc discidium sibi dirimendum judicabat Senatus, quin potius id differendum esse ad Concilium quoddam Ecclesiæque Catholicæ effatum arguebat: Quæ sive moderatio sive tergiversatio parum abfuit, quin infeliciter toti cessisset urbi; Quamvis enim sapienti consilio Festorum innumerabilem multitudinem quoque d. XXVIII. Maji tolleret Senatus (c), quippe quæ non oneri solummodò erat plebi sed & variis commessationibus saltationibus & compotationibus cummaximè ansam dabat, atque irreligiosam planè efficiebat religionem (d); Deinceps tamen, (licet Augustiniani quoque & Franciscani cœnobia sua in Magistratus potestatem resignarent) ipse Senatus inter se divisus hactenus pronunciare quicquam de Missa non audebat (e), nisi quod lubenter con-

(a) v. RUCHAT. l. c. p. 477. ex HOTTING. Helv. K. G. p. 370.

(b) Hi tum numero septem una cum *Oecolampadio* erant, Hieronimus *Bothanus* Oecolampadii vicarius, Marcus *Bersius* Pastor Leonhardinus, Balthasar *Foeglinus* ejus vicarius, Wolfgangus *Weissenburg* Xenodochii pastor, Thomas *Geier-falk* Pastor Ecclesiæ Augustinianorum & Joh. *Lutbardus* Franciscanorum.

(c) vid. HOTTING. Helv. K. G. pag. 370, 371.

(d) Inter alia ita loquuntur: *Das nicht gefeiret, sich von sunden gezogen: sondern viel mehr dem Teufel gedienet, heissen mag* &c.

(e) Sic enim OECOLAMP. ad Zwingl. d. ult. Aug. *Lecta sunt nudius tertius, hic coram Senatu quæ de abroganda Missa scripsimus* &c. *Iterum aliquandiu sententiam ut vereor suspendent.* Intereà verò reliqui disseminabant: „ Senatum hanc sententiam tulisse, ut Sacerdotes non „ missantes proscribantur. „ vid. HOTTING. l. c. p. 371.

consensum altercantibus imperasset: Censebat itaque rem differri debere usque ad Concilium, in quo Ecclesiæ Vox audienda esset, dum interea unicuique parti purum Dei Verbum commendabant, atque ut gloriam Dei unicè quærerent, pacemque colerent, injungebant: At verò cives ea de re vehementer quiritari, in cœtus coire (a), non justum esse vel æquum arbitrati in una eademque urbe ut populus tam diversis sermonibus distraheretur: Expetere igitur à Senatu, ut huic malo pleniori quodam Edicto iretur obviam. Senatus cum parùm à tumultu cives abesse perspiceret, convenerant enim numero quadringenti, atque per triginta Deputatos libellum Magistratui supplicem offerre ausi fuerant, iis equidem animum addere atque quævis bona ominari jubebat, sed quam sibi tamen hæc displicerent, testabatur, simul verò d. 27. Novembris (b), publicam edebat Declarationem, „ de permittenda utrivis parti concionum & fidei suæ libertate, „ modò ne quid adversus tranquillitatem publicam molirentur; Fuit autem præcipuè in sopiendis hisce turbis conspicua provida Oecolampadii cura, qui quantum in ipso erat pacatos sistere civium animos, atque ne in seditionem res erumperet, omnem navare operam studiumque non omittebat; Scribit verò is paucis verbis multa (c) ad Phil. Melanchthonem: „ De statu Ecclesiæ „ Basileensis, rumor cuncta nunciat, tametsi pleraque vanius. „ Una re gloriamur, discordem Christi prædicationem sublatam, „ & quod Magistratus totus in hoc est, ut juxtà verbum Christi „ quam purissimè sua plebs vivat, quicquid alii nugentur. Certè „ non est illis integrum expectare generale illud concilium ut „ interim conniveant ad plurimorum impietatem. Laborant item,

(a) Dum ita luctantur Basileenses *Wolfg. Fabricius* CAPITO, Epistola eos solatur, lectu minimè indigna, quam inter Documenta huic Operi subjecta, relatam invenies Num. XX. ex SCULTETI Annalib. Decad. II. p. 99. & sqq. Ambrosius quoque *Pelargus*, Monachus Dominicanus tum apologiam sacrificii missatici Senatui Basileensi offerebat, quam singulari scripto (quod in Ep. Zwingl. & Oecol. L. I. fol. 46. b.——55. legitur) refutavit OECOLAMPADIUS.

(b) RUCHAT. T. I. p. 479.

(c) v. Ep. Zwingl. & Oecol. L. III. fol. 122. a. Est ea prid. Kalend. April. 1528. scripta.

„ ut Gymnasium instaurent, literæque bona cum pietate plan-
„ tentur. „

§. CXVII. Dum hæc apud Basileenses agitantur in reliquis Helvetiæ locis, non minus in Evangelii incrementum res vergebat, quanquam etiam turbare ac permiscere omnia conabantur Pontificii.

MULHUSANIS, negotium facessere Austriaci non desistebant, quæ res cum ad judicium Ordinum Generalium *Lucernæ* congregatorum relata esset, hi ex *Uriis*, *Subsylvanis*, *Friburgensibus* & *Solodurensibus* legationem ad Mulhusanos mittere, atque iis imperare ut prius à doctrina Lutheri atque Zwinglii desisterent, quam opem sibi pollicerentur, simul verò ubi in eo consenserint se illis opitulaturos promittunt. At verò Mulhusani (a) hunc in modum respondisse feruntur: „ Se Pastoribus suis edicto publicè
„ affixo, cujus copiam lubenter communicare velint, mandasse,
„ ut purum Dei Verbum populo annuncient, jam verò juxta
„ hujus Verbi præscriptum, quosdam, qui irrepserant abusus in-
„ tolerabiles abrogari debuisse, seque adeò eos abrogasse: Quodsi
„ verò quispiam sustineret ipsorum Pastores falsam populo pro-
„ pinare doctrinam, ei, ut ipsos ex Verbo Dei convincat, ne-
„ cesse esse, seque suis Pastoribus ut ex Scriptura S. doctrinæ
„ suæ rationem reddant, injungere velle: Porrò, se quidem in
„ fœdere cum sociis constantes futuros atque fideles, nec quic-
„ quam omissuros quod ad arctioris amicitiæ vinculum spectet,
„ sed tamen id à semet ipsis impetrare non posse, ut ad eorum
„ arbitrium se componant in iis rebus quæ Dei cultum & glo-
„ riam, suamque propriam & civium æternam salutem adtine-
„ bant &c. „ Etenim quod inter Pastores *Mulhusanos Ottonem Binderum* & ejus collegam *Jacobum* tum quædam oborta fuerit simultas, ex Oecolampadii (b) duabus ad Ottonem datis Epistolis collucescit, quarum altera d. 7. Sept. 1527. data est, altera vero ejusdem anni mense Octobri, ubi inter alia: *Jacobus Symmysta tuus, morositate sua nec tibi nec verbo oberit; modò tu, ut soles*

(a) HOTTING. Helv. K. G. pag. 377, 378. & RUCHAT. T. I. pag. 469.

(b) v. Ep. Zwingl. & Oecol. p. 205. & 207.

les strenuè pergas; Itemque; „ Cæterum te oro, mi Frater, ut „ ita veritatem prædices, ne infirmiori & tardiori forsitan fratri „ insultare videaris; Efficacius docebis, siquidem charitatis fueris tenacissimus: Nolim te tacere, & minus clamare contra „ abominationes, sed admonuerim, ut necessarii collegæ, quibus potes viis, auxilium tibi jungas. „

Mulhusani verò, non illud modo quod diximus, responsum ferre legatis ad ipsos missis, verùm etiam, ejus copiam ad Bernenses & Solodurenses, quippe, qui reliquis mitiores, atque Mulhusanis se faventiores præstabant, facta ad ipsos legatione transmittere, nec tamen vel ita irrumpenti Austriacorum violentiæ ullum ponere poterant obicem: Interea tamen apud Mulhusanos hæ turbæ non tam ad destruendum quam ad promovendum faciebant Reformationis negotium, quippe quod anno sequenti jam ad maturitatem quandam perducebatur.

De CAPPELLENSI Reformatione ad annum superiorem (a) quædam monuimus, neque certè verbis efferri satis potest, quam piè prudentérque, in Cappellanis sacris repurgandis occupati fuerint Tigurini, quorum nutu & auctoritate hæc perficiebantur, quippe qui præter doctrinæ Evangelicæ puritatem, quam Bullingerus ipsis instillabat, etiam providè curabant ne quid de iis quæ ad sacros usus piasque causas hactenus in cœnobio Cappellano destinata fuerant, profanaretur, aut in alios quam verè Sacros usus, sive extruendarum scholarum, sive alendorum pauperum sive augendorum salariorum Ecclesiasticorum converteretur; Est enim totum illud Cœnobium in Scholam tum transformatum, ex qua non pauci deinceps prodierunt Viri Docti atque eximii Doctrinæ Evangelicæ in Helvetia Confessores atque Professores.

Apud SCAPHUSANOS per Erasmum Ritterum (b) plus semel jam commemoratum, atque moderatioris ingenii virum, qui lentè quidem, sed ita ut nec operæ nec labori parceret, progrediebatur, feliciter satis Evangelii negotium procedebat, animique in veritate confirmabantur indies atque ad totum illud Pontificia-

(a) Conf. RUCHAT. ad A. 1527. T. I. p. 470. 1. & HOTTING. Helv. K. G. p. 373, 374.

(b) v. HOTTING. Helv. K. G. p. 377. RUCHAT. T. I. p. 480.

tificiarum superstitionum jugum penitus excutiendum præparabantur.

Apud GLARONENSES, autem, qui septem pagorum suasu se Pontificiis denuò conjunxerant, propter animorum concertationes multifarias non ea qua par erat celeritate res gerebatur, quanquam etiam Fridolinus *Fontejus*, sive *Brunnerus* omni opera cursum Evangelii ut promoveret anniteretur, frequensque coleret cum Zwinglio conmercium literarium, uti ejus biennio post, ni fallimur, hæc fuerunt ad Zwinglium (a) de meliori successu perscripta: „ Ne te lateat in omnibus nostris Glareanis Ecclesiis Evangelium pulcrè procedere: Deus det & augeat gratiam. Quanquam haud pauci Evangelii fautores obierint mortem nihilominus semper habeo multos Verbi Dei auditores. Nam cottidie cogitare soleo, quanam re Christianum adjuvem profectum. Nam crede vera loquenti, non minus mihi curæ est ut purum Dei verbum Ecclesia nostra consequatur, quam vel doctiori me. Prædico enim, absit jactantia, sedulò, quò vitia arceantur, & christiana charitas adolescat: Quoniam belli sunt mirum in modum cupidi, id quod plurimum displicet. Audeo ego intrepidè omnem Ecclesiæ abusum, & omnia humana præcepta, in enunciatione verbi Dei damnare, excepto Sacramento (b). Adhæc, licet mihi absque periculo prædicare de Purgatorio, de Indulgentiis, de merito & de omnibus Papæ nugis. De his populus, gratia Dei satis persuasus est, nugas esse & fabulas. De Intercessione nullus amplius est labor. Nullum enim amplius admittunt Intercessorem præter Christum. Id ex Johanne didicerunt. Atque sic res bene habet. Deus nobis augeat suam gratiam. „

Est in comitatu Toggenburgensi, qui in superiorem & interiorem dividitur, urbs primaria, LICHTENSTEIG; In ea, mense Augusto hujus anni, populi comitia (*Landsgemeind*) celebrabantur, atque quod Gloriæ Dei atque Religionis interesse Judica-

(a) HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 377.

(b) De hoc enim capite, in quo religio omnis Papismi recumbebat, plus fuisse laborandum, quam de cæteris omnibus, illorum temporum annales edocent.

dicarent, quibusvis incolis ad ea accedendi dabant poteſtatem, ii qui ab Evangelicorum partibus erant, cui cum Pontificii (a) refragarentur, res ad Abbatem S. Gallenſem regionis Dominum iſta quidem eſt delata, qui, fruſtraneo licet ſucceſſu ea de re primum ſcripto, deinceps ſermone, Ordines monebat, dum intereà per ſuperiorem comitatus partem jam ſtrenuè in demoliendis idolis, atque deſtruendis altaribus progrediebantur atque ſpem concipiebant, fore ut hoc exemplo allecti, qui inferiorem in habitabant partem, paria facere non negligerent.

§. CXVIII. Intereà dum ita variis in locis Evangelii lux accenditur imminebat *Bernenſis Diſputationis* præſtitutum tempus, ipſique Bernenſes nullis variè licet objectis impedimentis (b) commoti decreto à ſe facto conſtanter inhærent, atque ad diem præſcriptum, qui erat dies Januarii ſeptimus, Anni viceſimi octavi, actionem inchoant; Epiſcoporum aderat nullus (c) ſed in-

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 379. RUCHAT. l. c. p. 483.

(b) Quænam illa ſint objecta impedimenta his verbis enarrat BUCERUS in Ep. dedic. ad Magiſtratus & Evangelii miniſtros Bernenſes præmiſſa commentario in Evangelium Johannis: „ Huic diſputationi initio „ Satan (ut ſæpe ei Dominus quamlibet verſipelli imponere ſolet) non „ parum favebat, ſperans ſe per ſuos ſi nihil aliud, ſaltem hac diſputatione Evangelico curſui remoram injecturum. Ubi autem ſenſit in eo „ concilio præſentius ſeſe exſerere numen Chriſti, facilè conjecit, ſecus „ atque cogitarat, eventurum. Omnia igitur in diverſum vertit, & primùm avertere diſputationem ſumma vi conatus eſt. Hinc illicò habentur comitia à fœderatis, captantur varia conſilia, ſcribuntur ad vos literæ, quibus acriores ab Helvetiis non legiſtis, & invulgantur: negatur fides tuti itineris præconibus Chriſti: ſcribunt Epiſcopi, & ab incœpto vos modis omnibus dehortantur, neque deſunt minæ; ſcribunt „ & Epiſcopis formidabiliores. Et ne quid à parte Magiſtrorum noſtrorum ceſſaretur, ſcripſit ad vos ex horum numero Joh. Cochlæus, homo „ contra Chriſtum impudentia & audacia ubique irriſa quidem & fruſtrata, invicta tamen & nuſquam ſe non ingerente. &c.„

(c) Ne ipſe quidem Epiſcopus aderat *Lauſannenſis* ad cujus tamen diœceſin *Berna* referebatur, quique ea propter repetitis vicibus erat invitatus, uti patet ex Epiſtolis Procerum Reip. *Bernenſis* ad eum d. 27. Novemb. & d. 23. Decembris 1527. & denique d. 12. Januarii 1528. datis, quæ omnes cum generoſa præ ſe ferant conſilia & obfirmatum in veritate animum, ut ab omnibes legantur ſunt dignæ, ut eas quoque inter Documenta huic volumini ſubjecta No. XXIII. retulerimus.

ingens Doctorum Evangelicorum & omne genus hominum numerus, inter quos ipse ZWINGLIUS & OECOLAMPADIUS reliquorum antesignani, cumque *Glaronenses*, *Scapbusani S. Gallenses*, *Constantienses*, *Ulmenses*, *Lindavienses*, *Isnenses*, *Augustani*, *Nordlingenses* &c. suos quoque eò mitterent legatos, tum hi omnes in Urbe Tigurina congregari, seque cum Tigurinis, qui ipsis novi anni Kalendis eos omnes publico excipiebant convivio, conjungere; Tigurini autem, ne quas in itinere Zwinglio & reliquis vel insidias struerent vel violentas injicerent manus, quod minati fuerant Pontificii, prospicere, atque armatam manum trecentorum civium ipsis doctoribus junctis copiis Bernam proficiscentibus adjungere comites & custodes (a), quanquam etiam Bernenses jam in Zwinglii tutelam quosdam auctoritate publica delegassent: Aderant huic colloquio Conradus *Pellicanus*, Seb. *Hofmeisterus*, Casp. *Megander*, Franc. *Zinckius*, Conr. *Schmidius*, Petrus *Simlerus*, Henr. *Bullingerus*, Math. *Keslerus*, Joach. *Vadianus* Consul S. Gallensis Wilh. *Rustius* Consul Tigurinus, Bened. *Burgaverus*, Dominicus *Zillius*, Ambrosius *Blaurerus*, W. F. *Capito*, M. *Bucerus*, Conr. *Somius*, Christoph. *Schappelerus* aliique, inter quos & Andreas *Althamerus* Noribergensis Doctor, sigillatim commemorandus, quod is omnem moveret lapidem, ad id quoque à Pontificiis invitatus (b), quò Zwinglium in causa Eucharistica, quantum scilicet corporalem Christi attinet in S. Cœna præsentiam,

(a) HOTTING. Helv. K. G. T. III. pag. 400. Quomodo autem non minus armata manu deinceps ad Tigurinos iterum migraverint, exponit RUCHAT. Hist. Ref. Helv. Tom. II. pag. 208, 209.

(b) Est is idem ille *Andr.* ALTHAMERUS, qui & *Conciliationem locorum* Scripturæ S. in specie pugnantium conscripsit, & cujus de Epistola D. *Jacobi* nota est sententia, conf. SECKENDORF. Indic. n. IV. Cæterùm is cum à Lutheri partibus staret in controversia Eucharistica, tum quod ad articulum disputationis quartum adtinet, ipsi Pontificii ejus opera sunt usi, ad defendendam carnalem Christi in cœna præsentiam, isque passus est se à Pontificia parte deligi, ut oratoris munere in suggestu fungeretur, unde rumor deinceps vanus licet manavit, eum in Pontificiorum castra descendisse, conf. HOTT. l. c. pag. 403. & LAVATER. in Histor. Sacramentar. p. 14. a.

tiam, de sententia dejiceret, quanquam tamen laterem quoque lavaret. Quæ res, cum malè ipsum haberet, factum est, ut is deinceps quoque domum redux malè de hac Disputatione, quasi nulli liberè in ea loqui licuisset, sentiret & loqueretur (a), unde nec Actorum hujus Disputationis editio apud Noribergenses publicè divendi potuit.

Joachimus VADIANUS Consul San-Gallensis ad Præsidium hujus Disputationis vocabatur, eique tres alii viri graves adjungebantur, atque ne in Actis ulla fides desiderari posset, quatuor ad id constituebantur Scribæ jurati, id præcipuè curantes, ut ultro citroque dicta summa fide exciperentur & rerum momenta ritè conscriberentur; Aderant præterea ultra trecenti & quinquaginta sacerdotes ac ministri, atque integer Senatus major minorque Reip. potentissimæ ad clavum reipublicæ qui sedere consueverat ἐν κυκλῳ congregatus auditores erant: Ipsa Disputatio per integros octodecim dies continuabatur, unusquisque dies duas habebat sessiones, unaquæque sessio precibus ad Deum fusis inchoabatur, Pars utraque dissentientium eligebat qui reliquorum nomine causam communem susciperet.

Neque ulli denegabatur potestas vel ore vel scripto reliquos juvandi: Præsides in vicem juramenti se tueri leges disputationis velle in se suscipiebant, atque spondebant, se nisi quod ex Scripturis comprobatum esset nil admissuros esse, Scripturæ vocem in exponendis quoque Scripturæ Oraculis se unicè admissuros, quò obscuriora per clariora illustrarentur, se omnes logomachias & verborum contentionès inanes longum valere jussuros esse atque curaturos, ne de eo quod semel transactum esset, molesta repetitione disceptaretur &c. „ Primum

(a) Est eam in rem notabilis ZWINGLII ad Conr. Somium Epistola, in qua is inter alia: „ Althamerus insignia spargit mendacia; nulli li- „ cuisse liberè loqui, se præter voluntatem coactum disputare, provoca- „ tione Francisci Kolbii. Cum tu, cum omnibus nobis scias, eis, imò „ ei præcipuè copiam liberrimam esse factam, & quod volens ac libens „ passus est se à sua parte eligi, ut oratoris munere in suggestu funge- „ tur. Sed quid victis aliud quam dolor? vid. *Zwingl.* & *Oecol.* Epist. fol. 203. b.

„ itaque axioma (a), quod inter cætera, *Christum unicum esse* „ *ecclesiæ caput* asserit, Berchtoldus Hallerus scripturis com„ munitum adversariis per scripturas (si possent) impugnan„ dum exposuit. Prodiit tandem, cum ab omnibus fere illi, ut „ nihil verius est, assensum esset, *Alexius Grad* Dominicalis, „ tum Nonnarum illic à confessionibus, & quidquid uspiam „ Scripturæ de dignitate, vel Petri, vel Apostolorum ha„ bent, in hoc produxit, ut probaret, Pontificem Romanum „ caput Ecclesiæ habendum. Quàm verò dextrè hæc & forti„ ter, vel hinc licet lector conjicias. *Cephas* dicebat se in voca„ bulariis legisse, *caput* significare, igitur *Petrum caput* fuisse „ Ecclesiæ, quem *Cephas* Dominus cognominasset. Non vide„ rat enim, quod ipse Evangelista, *Cephas petram* significare „ testatus est. Eandem post hunc cantionem cecinerunt paro„ chus Cellæ Abbatis, admodum vocalis, & cedere vero nescius, „ ac alii quidam. Sed dum Scriptura apertè adeò summos etiam „ in Ecclesia, (& nominatim Cepham,) nostros esse adfirmat, „ nos verò Christi, non illorum, plantantem quoque & rigantem „ nihil esse, facile tueri fuit, unum Christum Ecclesiæ suæ ca„ put esse, à quo solo nimirum regeneratur & gubernatur, nullâ „ creaturâ quicquam potestatis in animos sanctorum, (quæ sola „ verè spiritualis dicitur,) habente, &c. Dum verò ista tractan„ tur, advenit *Tregarius* Provintialis Augustinianorum, vetus „ noster antagonista, neque excitus convitiis, ut nugivendus ille, „ Joh. Cochlæus, in Epistola sua vanissima sparsit. Nam cùm V. „ Capito & ego, *sunt verba Buceri*, pridie quàm disputari cœptum „ esset, à clarissimo Bernatium Senatu orassemus, ut denuò hunc „ & *Murnerum* vocarent, miserant hi continuo, qui nihil prius „ habebant, quàm disputationi suæ accersere quoslibet nomina„ tissi-

(a) Hunc in modum *Mart.* BUCERUS in Ep. dedicatoria l. c. fol. 218. brevem nobis hujus Disputationis summam delineavit; Cui si conferantur Acta publica auctoritate tum edita, hisque addatur Epistola à *Jacobo Monasteriensi*, sacrificulo *Solodurensi*, qui actioni itidem interfuit scripta ad *Sigismundum Trudonem* Canonicum Moguntinum, quam ob rei memoriam huic Volumini Num. XXIV. subjunximus, facilè nobis totius hujus Actus solennioris formare poterimus conceptum.

„ tiſſimos prædicati ſibi Evangelii hoſtes, nuncium ad Senatum „ Friburgenſem & Lucernanum, ſecundò evocatum illos, quibus „ præter ſummam ſecuritatem, etiam ſumptus promiſerunt, ſi „ fortè illos eſſent cauſſaturi. Nos quoque eodem nuncio illis „ ſcripſeramus, modisque omnibus, ut advenirent, flagitavera- „ mus. Lucernanus verò Senatus reſcripſerat: *Murnerum* qui- „ dem paratum fuiſſe, ut veniret, ſed ſe prohibuiſſe eum: idem „ reſpondit Murnerus nobis. *Tregarius* autem advenit, tandem- „ que prodiens præfatus fuit, ſe neque Epiſcopi neque magiſtra- „ tus ſui nomine, ſed ſuo diſputaturum, velleque, ut quicquid „ diſputaret, Catholicæ Eccleſiæ ſuæ nequaquam fraudi eſſet. „ Quæ verò diſputando adduxit, omnia huc torſit, ut perſua- „ deret. non eſſe Bernatium, quicquam de religione, & dogmatis „ ab Eccleſia receptis ſtatuere, ſed Conciliorum reſponſa ipſis & „ omnibus expectanda. Id autem nequaquam certis Scripturis, (ut „ acta teſtantur,) ſed ex eo conatus fuit probare, quòd Evangelia „ eſſent judicio Eccleſiæ recepta, ex quo volebat conſequi, Ec- „ cleſiam unam fidei, omnisque doctrinæ Judicem eſſe audiendam. „ Eccleſiæ autem nomine Concilium intelligebat: cæteros omnes „ ajebat poſſe errare, ideoque doctrinæ arbitrium nullis aliis permit- „ tendum. Tum adducebat, quòd Boëmi in multas eſſent ſectas „ ſciſſi, & quòd nobis in quibusdam cum Luthero non conveniret. „ Hæc hominis commenta, & antea nota nobis, facile fuit rejicere, „ cùm ſatis piis conſtet, juſtum ſuâ, non Conciliorum & Pon- „ tificum fide vivere, eoque oportere non ſolùm ſingulas Eccle- „ ſias, ſed ſingulos quoque homines per ſe ſcire, quæ Deus ju- „ beat, quæque promittat, præſertim ut vel hæc cognoſcant, „ à Chriſto ſibi omnia expectanda, omneque pietatis ſtudium in „ dilectione proximi conſumendum. Jam quum his ex diametro „ pugnent dogmata & inſtituta Romanenſium univerſa idque tam „ apertè, (ut vel puero liqueat, ſacras tantùm literas legenti:) „ Quæ ratio ſit in his conſulta expectare Conciliorum, quæ „ tam rarò coëunt, & ejusmodi jam aliquot ſeculis coierunt, ut „ minùs inſanum ſit è pumice aquam, quàm ab illis doctrinam „ petere pietatis. Paſſim extant Scripturæ, neque deſunt qui „ eas fideliter populis proponant: reliquum, ut fide percipiantur,

„ non modò non Conciliorum, sed nullius omninò creaturæ est. „ Solus siquidem Pater per Christum Spiritum donat, qui in om- „ nem veritatem inducit: & donat iis, quos ad id ante conditum „ mundum delegit, non iis modò qui audierint Concilia. Quòd „ interim Scripturas non ad eundem modum omnes in omnibus „ accipiunt, in causa est, quòd non pariter omnibus spiritus do- „ natur, quòd multi etiam hypocritæ filiis Dei semper admixti „ sunt, quòd denique soli Christo suo hunc honorem pater de- „ dit, ut sit infallibilis sanctorum magister: alios quamlibet sanc- „ tos & doctos, oportet ut se esse homines alicubi prodant, quò „ electi discant ab uno Christo in omnibus pendere. Denique ubi „ filii Dei sunt, ubi regnum Christi, ibi ut omnia turbet Sa- „ tanas unicè laborat: de iis enim, quos jam in potestate sua ha- „ bet, quid esset sollicitus? Adhæc visum est Patri cœlesti, „ suos per sectas probare. Proinde tam non evincit, apud Ponti- „ ficios esse veritatem, apud nos verò errores; quòd illis mul- „ tis in dogmatis convenit, apud nos paucos doctrina variet, „ & cooriantur schismata: quàm non probat, veritatem habere „ Mahumetanos, & Apostolos sectatos fuisse mendacia; quòd „ illi multò plures quàm Pontificii, in Alcorano multis jam se- „ culis consentiunt; hi autem tam raris Ecclesiis eandem de ce- „ remoniis Mosaicis sententiam non potuerunt approbare. Evan- „ gelium thesaurus est vitæ æternæ: pauci electi, quibus ille „ donetur: hos ergo paucos ut turbet, Satan totis viribus labo- „ rat. Reliquæ multitudini non est curæ religio, fucum tantùm „ volunt: qualiscunque igitur eis obtigerit, in eo facilè consen- „ tiunt. Contra hæc cùm nihil posset Scripturis *Tregarius*, & „ lex disputationis non permitteret alia ingerere (quia ad inqui- „ rendum quid doceret Scriptura Dei, non quid ferrent commen- „ ta hominum, instituta erat Disputatio) jactabat ille, non satis „ sibi esse ad disputandum libertatis, esseque venenum præsen- „ tissimum, velle Scripturis tantùm Scripturas explicare: quasi „ verò id non in omnium scripturarum explicatione observetur, „ & ipse laturus esset, si quis in suo Mari magno, aut alia qua- „ piam Bulla, vellet suo arbitratu quippiam interpretari, quod „ non ex ipsius Bullæ verbis posset evincere? Quæ igitur impu-

„ den-

„ dentia, postulare ut in scripturis Dei alia, quàm ex ipsius
„ scripturæ verbis petita interpretatio admittatur, cùm quæ Dei
„ sunt, nemo noscat, nisi Spiritus Dei? Sed quia quærebatur
„ illi occasio è pugna dilabendi, neque Præsides disputationis,
„ neque clarissimus Senatus hominem exorare potuerunt, ut ex
„ Scripturis disputaret. Ibi verò nos, V. Capito & ego, à præ-
„ sidibus obnixè oravimus, ut permitteretur ei objicere quidvis;
„ nos tantùm responsuros ad ea, quæ è Scripturis visus fuisset
„ contra nos jaculari: sed obstabat lex disputationis, & Senatus
„ videns quæri ansam extrahendi tempus, id permittere nolebat.
„ Tum autem oravimus Tregarium multis, & duos ex præsidi-
„ bus intercessores adhibuimus, ut, si nostra aliis quàm ex scri-
„ ptura ductis rationibus se confutaturum speraret; (quanquam
„ ex scriptura docente quicquid bonum & verum est, abun-
„ dè possit confutari, quicquid malum & falsum est:) ut illas
„ conscriberet, nos daturos operam, ut excuderentur, tantùm
„ in præsens vellet axiomata proposita, ex Scripturis, si posset,
„ oppugnare. Nam in primis duobus axiomatis continebatur,
„ quicquid contra eum nos quidem habebamus, nempe de autho-
„ ritate Ecclesiæ & Conciliorum. Sed quum Scripturis valeret,
„ quantum sua paradoxa, & quæ disputata ab ipso acta referent,
„ testantur, frustra hominem oravimus: quo satis testatus est,
„ id se non potuisse, eoque nostra vera, & juxta Scripturas esse.
„ Quicquid glorietur vel ipse, vel alii, & quicquid mentiatur
„ ille, cujus memini, ἀνώνυμος scriptor Epistolæ. Post hæc ergo
„ propositum secundum axioma fuit, continens *Ecclesiam nulla dare*
„ *præcepta, quæ non ex verbo Dei manent*. Contra hoc, cum iis,
„ quos nominavimus, quidam cognomento Litera, (*Buchstab*)
„ ludimagister Zofingensis, impudentior nescias an indoctior,
„ utrumque certè insignitè, quanquam aliàs homo appareret mi-
„ nimè malus: & Ægidius quidam sacrificus, ad contentionem
„ natus, & alii nonnulli, quæcunque Scripturæ memorant de
„ traditionibus Apostolorum, de jejuniis, precibus, cœlibatu,
„ & id genus, fortiter objecerunt: sed quia ex iis omnibus non
„ potuerunt probare, jus unquam hominibus factum, ut hæc ad
„ certa loca, tempora & personas adstringerent, tum ex iis in-

„ ſtitutis conſcientiam ligarent, concedereque coacti fuerunt, „ eſſe doctrinam Dæmoniorum, cibis aliquibus interdicere, à „ connubio arcere, Axioma nihil moverunt. Et nos enim jeju„ nandum eſſe, precandum, & caſte vivendum, docemus: ſed „ quia ſpiritum dare, ſine quo nihil horum rectè fit, nemo niſi „ Chriſtus poteſt; non poſſunt de iis, alia quàm ipſa Scriptura „ habet, ab Eccleſia quidem Chriſti, præcepta dari: vivit enim „ illa & agit omnia ſpiritu ſponſi ſui. Ad eum modum & con„ tra tertium, quòd *omnem peccatorum expiationem, totumque* „ *ſalutis meritum Chriſto uni tribuit*, iidem produxerunt quic„ quid ſcriptum eſt de bonis operibus, & promiſſa illis mer„ cede: ſed dum evincere nequiverunt, aliquid hujus à nobis „ eſſe, ſed fateri eos oportuit, omnia eſſe opera ſpiritus Dei in „ nobis, nobis gratuitò donati; neque hoc ab eis Axioma labe„ factari potuit. Quartum axioma, quod *negat* poſſe ſcripturis „ probari, *in pane Euchariſtiæ eſſe realiter corpus Chriſti*, oppug„ narunt ſaniores, qui cætera nobiſcum faciunt. Protulerunt „ autem primùm id Dominum promiſiſſe, cùm dixit; *Panis* „ *quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Cùm autem „ oſtenderetur, eo loci Chriſtum de eo pane loqui, quem qui „ edit, habet vitam æternam, non de pane Euchariſtiæ, quem „ multi edunt, qui in æternum vitæ Dei expertes ſunt; objece„ runt vulgatum illud *Hoc eſt corpus meum*: ſed dum ipſi quo„ que faterentur, panem non idem fieri, quod corpus Domini, „ eòque non ſimpliciter, ſed tropicῶs hæc verba accipienda, ut „ intelligas in pane corpus Chriſti eſſe, nec tamen hunc ſuum „ tropum poſſent Scripturis evincere; non enim dixit Dominus, „ *in hoc*, ſed *hoc eſt corpus meum*: relicto nobis hoc loco, ad„ duxerunt illud: *Panis quem frangimus, nunquid communicatio* „ *corporis Chriſti eſt?* & eo valdè fidebant: ſed cùm reſponſum „ fuit, fide & cultu conſtare κοινωνίαν, id eſt, ſocietatem cor„ poris & ſanguinis Domini, ſicut κοινωνὸς Dæmoniorum Paulus „ ibidem vocat, qui in cultu aderant idolorum, veſcentes ido„ lothytis, in quibus tamen non erant dæmones corporaliter; „ nihil habuerunt, quod objicerent contrà. Ipſi κοινωνίαν verte„ bant *diſtributionem*, eò quòd Paulus alicubi hoc nomine vocat

„ ſocie-

„ societatem, quam sancti inibant, contribuendo, quod egentibus mitteretur Jerusalem: sed satis constat, id ne in his quidem locis pro distributione accipi. Hæc potissima eorum tela erant, quibus axiomatis nostri veritatem nihil commoverunt. Multò imbecilliùs pugnatum est contra Axioma quintum, *quod missam negat esse sacrificium*, & *affirmat esse blasphemiam*, quia apertè adeò illa cum omni Scriptura pugnat, ut nullus illi queat prætextus excogitari. Nihilo feliciùs & reliqua impugnata sunt, quæ prioribus scilicet nituntur. Id legent & agnoscent ex *Actis*, quicunque possunt cognoscere verum. Neque morabuntur, quod modo quidem Evangelii hostes jactant, facile nobis fuisse vincere antagonistas tam inermes. Primùm illi nihil minus quàm inermes se agnoscunt. Deinde si inermes fuerunt, stupa, non arma erunt, quicquid primi illi θεομάχοι, Eccius, Faber, aliique hujus monetæ, hactenus contra nos scripserunt: nam nihil eorum, quæ isti in magnifica eorum disputatione Badensi, & aliàs hactenus produxerunt, illi prætererierunt. Adhæc satis fortiter, hoc est, clamosè & impudenter, horum tela torserunt: plerique enim Eccium Badæ audierant. Postremò cur non venerunt armatiores? In tempore Eccius & alii, etiam ii, qui circa Eucharistiam dissentiunt, ad hanc disputationem vocati sunt. Sed quid facerent in luce sutores mendaciorum? Ubi Scripturis, & non vires agitur, sciunt isti nihil sibi victoriæ sperandum. Pietatis causam, præter *Berchtoldum* Bernatium Ecclesiasten, præcipuè defenderunt *Hulderychus Zwinglius* qui sic Tigurinam Ecclesiam per Evangelion & genuit & educavit Domino, ut plurimum sanè illi debeant, quotquot sunt Ecclesiæ per omnem ditionem Helvetiorum. Quanquam & alias non parum sanctis scriptis juverit & *Joannes Oecolampadius* pastor Ecclesiæ Basiliensis, qui & ipse de omnibus Christianis sacratissimis lucubrationibus perquàm egregiè meritus est. Quod enim *Capito* & *ego* contulimus præcipuè contra *Tregarium* & *Alexium*, cujus memini, fuit: quanquam illi, quos dixi, citra nostram operam & his satisfacere potuissent. Ne asymboli essemus, videbatur fratribus, & nos aliquas defendendæ pietatis partes agere. „

At-

Atque hæc quidem de celeberrimo illo Conventu Bernensi, qui cum d. 26. Januarii finem accepisset è vestigio Reformationis negotium majori cum successu per universam quà patet ditionem Bernensem processit (a); Neque enim Bernæ tantum, sed & in finitimis locis, Missæ, aræ atque statuæ ubique remotæ, quin imò, totus Papatus abrogatus est: Quidquid superstitionis contra verbum Dei invectum erat (b), simul tollendum in urbe & agro

(a) Hunc processum, quanquam non sine intermixto atræ loliginis succo, nobis accurarè satis delineat apud RAINOLDUM in Annalib. ad h. a. n. 21. pag. 523. Jo. COCHLÆUS hunc in modum: „ Bernenses, „ prosecuti sunt disputationem suam, disputantes à die 7. usque ad 26. „ Januarii: postea judicarunt decem articalos rectè probatos, & in scri„ pturis fundatos esse. Mox igitur novam instituunt reformationem, in „ qua præceperunt primo ut ab omnibus subditis suis approbentur decem „ articuli: deinde, ut subditi ipsorum nulli è quatuor episcopis amplius „ obediant in rebus ecclesiasticis, non in rebus matrimonialibus, non in „ excommunicationibus & absolutionibus, non in perceptione Chrismatis, „ non in oblationibus, decimisque, & frugum primitiis &c. Deinde ab„ solverunt à juramentis episcopo præstitis decanos, camerarios, pastores, „ concionatores, & quoslibet Ecclesiæ ministros. Postea cum ipsi in urbe „ sua jam demoliti essent altaria atque imagines ubique in templis suis, „ Missasque penitus abolevissent, præceperunt subditis, ut per omne ter„ ritorium suum idem facerent. Deinde abrogarunt omnes Missas, & ex„ sequias, anniversariasque memorias defunctorum, fraternitates viven„ tium, dedicationes templorum, habitus monachorum & monialium, „ usum sacrarum vestium, dies jejuniorum, festa sanctorum, & quid „ non? Permiserunt autem Sacerdotibus uxores, novas nuptias monachis, „ sacrilegos monialibus. In fine tamen, ut fidei suæ incertitudinem, „ conscientiæque palpitationem ac metum proderent, adjecerunt sese ubi „ meliora docti fuerint, ea libenter amplexuros esse, & eam reformatio„ nem velle vel augere vel minuere. „

(a) *Casp.* MEGANDER Comment. in Ep. ad Ephes. p. 131. & ex eo SCULTET. ad h. a. Sunt verò lectu pariter ac meditatione dignissima, quæ circà hanc Reformationem peculiari tum Edicto per Magistratum Bernensem decreta sunt atque publicata, quæque ex Reip. Bernensis Archivo sunt allata à Doctiss. RUCHATO Tom. II. p. 209———215. itemque ea quæ delegatis Bernensium ad reformandam universam ditionem Bernensem sunt commendata pag. 216———219. Cum ex iis omnibus constet, quanta cum pietate, moderatione, prudentia atque humanitate Bernenses processerint in renovandis sacris atque repurganda à scoriis papalibus fidei doctrina, excutiendoque Antichristianismo.

agro suo amplissimo decernunt; rituum sacrorum leges libello parvo describunt; Monasteria & Cœnobia in scholas convertunt; reditibus Cœnobii *Interlacensis* (a), collegii *Zoffingensis*, Monasterii *Kunigsfeldensis*, Collegii denique *Irregularium Canonicorum Bernensis* in ludum literarium *Thunensem*, *Zoffingensem*, *Brugensem* & *Bernensem* translatis; Quid? quod statim quoque tres viri eximii publica auctoritate Tiguro fuerint accersiti, Seb. Hofmeisterus (b), Casp. Megander & Jo. Rellicanus, qui docendi munere in Academia quam fundabant fungerentur, cum ipsis viri linguarum periti deessent;

Neque verò externis signis dissimulabant Bernenses Christum ad se venisse; Nam *Disputatione feliciter peracta*, sunt hæc verba Capitonis (c), *condonarunt vitam duobus, qui contra jusjurandum pomœria ditionis ipsorum ceu seditiosi, & contemtores juris publici inrupissent. Deinde reliquis de terra sua proscriptis ad possessiones suas redeundi, dum velint jus fecerunt gravissimo hoc argumento usi; Ingredienti urbem nostram regi aut principi amico condonaremus meritos supplicium, modò ne quid mali publicè, ab iisdem in posterum timeatur. Et nunc Rex Regum, & animorum princeps filius Dei, qui & frater noster est, ad nos accessit, cur adventum ejus qui veniam adfert æternum exilium commeritis, ignoscendo in nos injuriis hominibus, non cohonestaremus? Id quod alius alii felicius, ut fit, subinde in familiaribus congressibus affirmabant nobis calculo nostro*

Z z *tam*

(a) Erat Cœnobium Carthusianorum inter Lacus *Thunensem* & *Brigantinum* situm, unde nomen *Interlacense*.

(b) De his ita ZWINGLIUS d. 19. Martii hujus anni 1528. scribebat ad *Nicolaum à Wattenwiel*, Nobilem Bernensem, in FUESSL. Epist. Reformat. n. XII. pag. 60. „ CASPAR veniet ad 25. diem Martii. Judicium eorum qui ad vos veniunt à nobis tale habeto, sed solus. SEBASTIANUS (Hofmeisterus) acutè judicat & vehemens est. CASPAR (Megander) autem diligens ac fidus. RELLICANUS, solidus „ ac simplex. Doctrinam sic partiuntur: Argutus est & insuperabilis „ SEBASTIANUS, sed simul doctus satis. CASPAR constans ac „ tractabilis: RELLICANUS ex veris utriusque linguæ fontibus plus „ hausit. „ Conf. RUCHAT. T. II. p. 241. 242.

(c) CAPITO in Hoseam pag. 270. apud SCULTET. in Annal. ad h. a.

tam piam ſententiam adjuvantibus. Imitati ſunt Saulem, qui devictis Ammonitis, iis qui majeſtatis læſæ rei eſſent, ignovit: Ne occidatur quiſpiam, inquit, hoc die, quia hodie fecit ſalutem Dominus in Iſraël.

Deinde mutata religione Bernates (a) Galliæ Regi fœdus renunciant, & mercenariam illam prohibent militiam, ea contenti pecunia, ſicut etiam Tigurini, quam pacis colendæ cauſa, ſingulis pagis Rex dependet annuam.

Poſtremò abolitæ religionis pontificiæ (b) diem & annum, aureis literis in columnam inſcribunt ut teſtimonium apud poſteros extaret ſempiternum.

At verò, cum Bernenſe illud Colloquium Germanica lingua factum eſſet, tum Gallicæ ditionis Bernenſium incolæ inter quos ſunt Aquilejenſes (c), Orbienſes, Granſonenſes & Moratienſes, parùm ex ea proficere, in eorum itaque gratiam *Latina* quoque inſtituebatur *Collatio*, inter Farellum (d) qui Reformatas partes, & Pariſienſem quendam Theologum Doctorem Sorboniſtam qui Pontificias ſuſtinebat, atque Opponentis perſonam agebat.

Sed, cum nec ea qua par erat gravitate illa diſputatio ſuſciperetur, nec niſi ludicra & contumelioſa proponeret ille Sorbonenſis Doctor (e), factum eſt ut ea tota in ſpongiam incumberet;

(a) SLEIDAN. lib. VI, fol. 95. a. conf. RUCHAT. T. II. p. 248. ſq.

(b) SLEIDAN. loc. cit. quanquam tamen ejus rei nec vola nec veſtigium deprehendatur vel in civitate Bernenſi, vel in reliquis rerum Bernenſium ſcriptoribus, notante RUCHATO Tom. II. p. 221. qui ſimul tamen obſervat, quam Moneta Bernenſis abinde quoque Reformationem paſſa fuerit, quippe cum loco *S. Vincentii*, cujus nomen & ſigna, tanquam urbis patroni antehac in nummis conſpiciebantur, repoſitum fuerit nomen, *Berchtoldi v. Zæring Ducis Fundatoris*. Quæ res uſque ad A. 1670. duravit, quando & Fundatoris nomen eſt abolitum, atque loco ejus Dei nomen eſt reſtitutum, cum inſcriptione. *Dominus Providebit.*

(c) Ceux d'*Aigle*, d'*Orbe*, de *Granſon* & de *Morat*.

(d) vid. STETTLER II. p. 4. & RUCHAT. Tom. II. pag. 203.

(e) Refertur is inter alia ſibi demonſtrandam ſumſiſſe eam propoſitionem: *Nos tenemur obedire diabolo*, atque adeò *multò magis præceptis hominum*; ita ut antecedens adſtruere voluerit ex Math. V. 25. illum enim Ἀντίδικον eſſe diabolum, cui obedire & conſentire teneamur &c. HOTT. Helv. K. G. p. 405.

ret; Et quanquam actorum Latinæ hujus Disputationis editio quoque in præfatione ad Acta Germanica editionis Bernensis promissa esset, eam tamen factam non esse constat, forte quod operæ pretium non esset, nec ejus publicatio veritatis Evangelicæ admodum interesset.

Reformatio tamen cum primis AQUILEJENSIS & vicinorum locorum, auctoritate Magistratus Bernensis, per ministerium G. Farelli, quanquam non sine gravibus animorum discidiis atque reluctantibus cum illic, tum alibi, multis, & suscepta tum est, & feliciter transacta (a):

§. CXIX. Exemplum quoque Bernensium eodem adhuc anno & insequentibus secuti sunt, *Constantienses*, *Genevenses*, *San-Gallenses*, *Glaronenses*, *Comitatus Toggenburgici* incolæ, *Arbenæ* item & *Alstetti* cives in valle Rheni, *Basileenses*, atque alii.

Certè CONSTANTIENSES variis contentionum fluctibus, hactenus agitati (b), abinde imagines & aras cum cerimoniis omnibus ipsaque (c) Missa aboleverunt.

Sed & GENEVENSES, quibuscum graves, interea dum hæc in Helvetia gerebantur, intercedebant, cum Sabaudo pariter atque etiam cum Episcopo suo simultates, circa Libertatem avitam, vicinorum Helvetiorum ac inprimis Bernensium tanta cum strenuitate opus promoventium, exemplo permoti, de restaurandis sacris mussitare tum ceperunt, & quædam tenuia licet ejus negotii conceperunt primordia:

Erant penes S. P. Q. Genevensem multa & egregia avitæ Libertatis pignora reliqua, etiam iis retrò seculis, quibus videbatur superstitioni, pro temporum infelicitate, nimis indultum. Episcopi certè, non nisi communibus (d) S. P. Q. suffragiis electi,

(a) Vid. RUCHAT. T. II. p. 222——230. qui late hos nobis tumultus, atque adversus Farellum suscitatas simultates ex actis authenticis delineat. conf. p. 231——240.

(b) conf. HOTTING. Helv. K. G. ad A. 1527. p. 380——384.

(c) vid. SLEIDAN. Lib. VI. fol. 95. a. conf. quæ §. CIV. p. 292. dicta sunt.

(d) v. *Frid.* SPANHEM. Geneva restituta in Miscellan. Sacræ antiquit. Lib. X. Opp. Tom. I. p. 1522.

electi, nec admissi, priusquam fidem suam, pro religiosa immunitatum civicarum conservatione, Consulibus (quos Syndicos vocant) jurisjurandi, quandoque etiam instrumentorum publicorum fide firmassent. Urbis custodia, consulare jus erat, non Episcopale. Dominandi vices, divisis inter diem & noctem operis, alternabantur Consules inter & Episcopum, cujus jus cum quolibet sole occidebat, quo condito merum & mixtum Imperium, Ademari Episcopi confessione, ad Consules redibat & Senatum. Populus quin etiam Genevensis suos sibi semper Magistratus liberrimis creabat suffragiis. Nec sine populi in porticus ædis cathedralis publico signo coacti consensu, Episcopo de rebus quicquam statuere licebat. A Senatu populoque decreta, rata erant Episcopo. Publicis sanctionibus Consularis æque ac Episcopalis auctoritas præscribebatur. Integrum quin etiam erat S. P. Q. Genevensi, quamvis inconsultis & reluctantibus Episcopis, in amica cum Principibus & Rebuspublicis fœdera coire, qualia & ante Reformationem cum Illustribus Bernensium & Friburgensium Rebuspublicis icta, qui certus Majestatis index.

Mutatos itaque in Helvetia vicina ritus, abrogatum sacrificium (a) Missaticum, & alias Religionis tunc latè dominantis appendices S. P. Q. Genevensis nec ignorabat, nec ignorare ob viciniam, fœdera, commercia poterat. Minus autem probabatur illa innovatio Genevensi civitati, quæ prisca superstitione Clero suo vehementer erat obnoxia, & majorum Sacris affixa. Reformationis nec necessitas, quantacunque etiam esset cleri & reliquorum corruptio, quandoquidem superstitione & flagitiosorum (b) hominum molesto pondere tota pæne fatiscebat urbs, nec natura, nec causæ compertæ erant. Ipsorumque Reformatorum, Lutheri ac Zwinglii nomen à Monachis inclementer habitum, imò gravissimis criminationibus proscissum publico laborabat odio, donec Bernensium multi hoc eodem anno 1528, qui à Reformatione adhuc calebant, Genevam delati animadversa flagitiosa Canonicorum vita, & superstitiosis plebis Genevensis obsequiis,

(a) SPANH. l. c. pag. 1526.

(b) v. Ejus rei exempla à SPANHEMIO commemorata l. c. p. 1522. 3. 4.

ſequiis, cœpere paſſim hominum illorum crimina iis quibuscum converſabantur ingerere, hoſpitibus ſuis, ubi divertebant, anxium ciborum delectum expectorare, & paulatim ſive ſuſpectos ſive exoſos etiam reddere illos, qui venerationem aliquam non probitate quidem & eruditione, charactere tamen Sacerdotali, & muneris quod adminiſtrabant ſanctitate mereri videbantur.

Hauſta illa & excepta avidè à compluribus, ſive illorum conſcientias aliquis veræ pietatis ſenſus tangeret, ſive multi præſentium odio, & novorum duntaxat cupidine tunc quidem ducerentur. Accedebat quod Epiſcopus *Petrus Balma* (a) nuper admodum infami raptu puellæ civis tempore quadrageſimali A. 1527. admiſſo gravem ſibi conflaverat invidiam, atque coitionem plebis eam ob cauſam tumultuantis, ægrè præda reſtituta repreſſerat: Increbuere itaque paſſim querelæ, & occultæ de Sacerdotum impoſturis & religionis vitio ſuſpiciones. Quid? quod tacitæ cujusdam cum Sabaudo colluſionis, qua Reipublicæ libertati inſidiabatur uterque, inſimularetur Epiſcopus (b):

At verò vix de Reformatione vel ſpes ſe diffundebat vel rumor, quin *Friburgenſes*, quos cum *Bernenſibus* arctiori cum Geneva vinculo conſtrictos obſervavimus, totis viribus contraire, *Bernenſes* autem omni modo eandem ſuadere. Ea res amplius dividendis animis inſerviebat, dum *Friburgenſes* Bernatum temeritatem carpebant & Majorum ſacra commendabant, *Bernenſes* verò, ne amplius à Sacerdotibus ſibi in devia abripi paterentur, inſtabant atque hortabantur: Inter cogitationum dubia itum eſt à quibusdam, ad *Franciscum Bonnivardum* Fani Victoris apud Genevenſes antiſtitem, hominem probæ & veteris notæ; Is de Reformatione hunc in modum piè prudenterque reſpondit. „Optandam quidem eſſe labis, quæ graſſaretur in Eccleſia mutationem, ſed talem quæ malum emendaret potius quam incruſtaret. Eccleſiam quidem & Ordinem Sacerdotalem reformatione „opus habere, ſed & illorum qui talia exigerent, vitam. Iisdem flagi-

(a) v. SCULTET. Annal. ad A. 1532. p. 382. RUCHAT. Tom. II. p. 277. SPANHEM. l. c.
(b) RUCHAT. l. c. p. 274. ſq.

„ flagitiis Sacerdotes, iisdem multos ex populo infames esse. „ A deformatis reformationem nec prudenter suaderi posse nec „ feliciter. Cleri non tam crimina exosa esse, quam ambitum, „ quo paribus multorum desideriis intercedant. Nec flagitiorum „ finem optari, sed flagitiosorum, non ut Urbi bene sit, sed ut „ iis qui soli sine æmulis nepotari velint. Cogitarent, Clero „ urbe ejecto, & Verbi Ministris in ejus locum suffectis, malè „ desideriis, malè vitiis, quibus obnoxii essent, consuli. (a) A „ Clero ob scelerum communionem multa tolerari, quæ à novi „ Evangelii præconibus minime tolerentur. Ab illo Pontificum „ mandata urgeri, Dei negligenter haberi, istis sola præcepta di- „ vina sacra esse, humana vilia. Expenderent itaque cum animo „ suo, an ad vitæ æque ac doctrinæ reformationem aspirarent. „

Gravis illa Oratio multorum animos non parum commovit. Accessere Anathemata (b) quædam ab Archiepiscopo Viennensi Metropolitano à perduellibus quibusdam, & pro illis, contra Genevenses impetrata, & viarum compitis affixa. His conspectis, Genevensium Oratores Bernam tunc forte missi, religione quadam ducti horrêre, Antistes idem, qui se illis comitem adjunxerat, subjicere, „ Si in perduelles præter jus & fas aliquid fue- „ rit statutum, Dei non hominum anathemata reformidanda esse, „ sin minus, bruta illa fore, & à *Bertholdo* Papa (sic HALLE- „ RUM Bernensem designabat) facilè solvenda. Hoc norint, „ nullum conscientiam tribunal nisi Dei agnoscere, nec vel Dia- „ bolum vel Papam nocere, nisi illis, à quibus timeantur, quip- „ pe quorum fulmina solo crepitu valeant non ictu. „

Atque hæc fuerunt prima Evangelii in Urbe *Genevensi*, quam Reformatio & liberam & celebrem reddidit, instaurati sive rudera sive rudimenta. Abhinc enim ingens illa Curiæ Romanæ & Cleri latè dominantis auctoritas non parùm apud multos labefactata, odium verò contra nomen Lutheranum & novi Evangelii præcones mitigata fuere.

Necdum tamen ad Reformationem planè itum est, sive quod paucorum tantùm animi sacro hoc igne calerent, sive vis major ob-

(a) SPANHEM. l. c. p. 1526.
(b) SPANHEM. l. c. p. 1527.

obstaret necdum beata illa hora illuxisset, fermento Pontificio expurgando divinitus destinata.

§. CXX. SAN-GALLENSES (a) biennio ante idola ex templo parochiali Laurentiano exturbaverant; In templo S. Magni, quod juris sibi aliquid Abbas in illud vindicaret, reliqua erant. Hoc vero anno Bernensium, Constantiensium, aliorum exemplo moti, S. Magni quoque templum purgant: cives fidei Pontificiæ in curiam vocatos, ut conciones Evangelicas audiant, monent: Monialibus ad S. Catharinam *Christophorum Schappelerum*, quod supra jam indicavimus, Concionatorem Evangelicum ut audiant, imperant. Senatu movent, qui Evangelio adversantur: decima denique Junii omnibus sacerdotibus missatico sacrificio interdicunt. M. *Adrianus* Concionator Abbatis San-Gallensis, qui multa contra Evangelicos publicè dixerat re melius pensitata, palinodiam ipso die Christi natali d. 25. Decembris canit, & Papisticos errores palàm detestatur.

BIENNENSES (b), exemplo Bernensium corroborati, non imagines solum ex ædibus sacris tollendas curant, sed & Ministerio sacro Doctores præficiunt Evangelicos (c), ab anabaptistico fermento suos purgant cœtus, & denique ipsam Bernensium Reformationem suscipiunt, atque de Bonis ecclesiasticis ita constituunt, ut quam multis exinde familiis commodum accederet, dum, quæ majores superstitiosè templorum claustris concluserant, ad legitimos iterum redirent posteros, sicque à tenebris in liberam cœli lucem transferrentur.

GLARONENSES itidem in sustollendis imaginibus eminuerunt (d) quandoquidem ex tribus Ecclesiis simul tum eæ *Fridolini*

(a) SCULTET. ex Historia Reformationis San-Gall. MSS. Dec. II. p. 143. conf. §. CXI. p. 326.

(b) Conf. §. CVI. p. 297, 298.

(c) v. Hist. Ref. Bienn. ap. FUESSL. Collect. T. II. p. 315, 316, 317.

(d) Ita ZWINGL. ad Conr. Somium d. 7. Martii 1528. scribebat, *Claronæ, is est octavus pagus Helvetiorum, tres Ecclesiæ sustulerunt Imagines, quotidie fit aliqua accessio* Zwingl. & Oecol. Ep. fol. 203. b. itemque Vadianus d. 19. Octobr. *Glarona nuper Templum suum ab Idolis repur-*

lini Brunneri suasu & hortatu, qui Berna redux idolorum vanitatem edocuerat, fuerunt sublatæ.

In comitatu quoque TOGGENBURGICO circà mensem Septembrem statuæ sunt disjectæ, itemque altaria, totusque Missaticus apparatus ex animis pariter atque ex templis exulavit. (a)

Idem factum ARBENÆ in Turgovia mense Novembri ex Urstisio notat Scultetus (b); Atque etiam ALSTETTI in valle Rheni, ubi non minus multo cum applausu Evangelium annunciabatur. (c)

In Urbe BASILEA cives nonnulli (d) idem sibi quod Bernatibus, licere existimabant. Ipso igitur festo die Paschatos, qui in XIII. Aprilis incidit, finita Missa in Martiniano & Augustiniano, templis, cives nonnulli, magistratu inscio, imagines & idola tollunt, qui eam ob causam postero die carceribus sunt inclusi: Concurrunt deinceps complures è civibus; senatum rogant, tribules suos missos faciat, Pontificiorum in Evangelicos contumelias non ferat, & malis ex utriusque de religione contendentium partis concionibus quotidie pullulantibus vel tandem occurrat. Decernit igitur Senatus ad XV. Aprilis in templis, Martiniano, Leonhardino, Augustiniano, Franciscano itemque in Nosocomio, imagines & idola per ministros à se nominatos & submissos demolienda, at in reliquis templis utriusque Urbis, ubi Missa adhuc vigeat, à nemine violanda esse, nisi qui fortunarum & vitæ periculum subire velit.

Circà idem tempus *Joh. Oecolampadius* cœlibatus pertæsus matrimonium iniit, qua de re ERASMUS (e) festivè pariter ac salse:

purgavit, & eximia quotidie magis & magis fundamenta jacit Christi colendi &c. Conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 419. & RUCHAT. T. II. p. 253——259.

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 427, 428.

(b) Cf. HOTT. l. c. p. 426. RUCHAT. Tom. II. p. 289. 290.

(c) HOTTING. l. c. p. 425. RUCHAT. T. II. p. 287, 288.

(d) SCULTET. ex Ep. Oecol. ad Zwingl. v. ZWINGL. & Oecol. Ep. pag. 184. & pag. 181. conf. RUCHAT. T. II. p. 259——262. it. HOTT. Helv. K. G. p. 420, 421.

(e) ERASM. Epist. ad Adrianum à Rivulo Ep. n. 951. pag. 1071.

ſalſe: „ *Nuper*, ſcribit, Oecolampadius duxit uxorem, puellam „ non inelegantem. Vult opinor affligere carnem. Quidam ap„ pellant Lutheranam Tragœdiam, mihi videtur eſſe Comœdia: „ ſemper enim in nuptias exeunt tumultus.„ Ipſe verò OECOLAMPADIUS ad Gul. Farellum de his nuptiis ita (a): „ Porro „ ſi ignoras, notum tibi eſto, Dominum mihi pro defuncta ma„ tre, ſororem uxorem dediſſe, ſatis Chriſtianam: pauperem qui„ dem ſed honeſto loco natam, viduamque, & expertam cru„ cem aliquot annis, quam vellem equidem natu majorem, ſed „ nihil juvenilis petulantiæ hactenus in ea apparuit. Tu ora Do„ minum, ut felix ac diuturnum ſit conjugium. „

Apud TIGURINOS nihil eorum omittebatur, quæ ad promovendum & ſtabiliendum Evangelii negotium facere poterant, id quod vel ex duabus Synodis Eccleſiaſticis quas hoc anno celebrarunt, quoniam de Eccleſiaſticorum doctrina & moribus Evangelio minimè dignis ad ipſos perlatæ erant querelæ (b), collucescit: In earum prima, in vitam & doctrinam Evangelicorum miniſtrorum inquirebatur, & ii quorum vel doctrina erat impura, vel vita doctrinæ minus conſona, corripiebantur; in altera, monachi & ſacrificuli examinabantur, & qui ad docendum idonei eccleſiis certis præficiebantur.

Petunt tum quoque Tigurini & Bernenſes amanter à pagis reliquis, ut ſi qui in communibus quas dicunt Præfecturis (c) gratiam Evangelicam deſiderent, illis fontes illius ne præcludantur, quæ res cum inviſa eſſet reliquis, parum abſuit, quin in graviſſimum bellum erupiſſet, niſi per interpoſitam Baſileenſium Scaphuſanorum & Abbatiscellenſium moderationem fuiſſet compoſita. Denique, cum quinque pagi Pontificii acerrimè puriori religioni adverſarentur, & domi quoque nonnulli emendationi doctrinæ non admodum faverent, Senatu & tribubus movendos cenſent, quotquot Eccleſiæ Reformatæ vel tacitis votis ſe oppone-

(a) vid. ZWINGL. & *Oecol.* Ep. fol. 184. b.

(b) HOTTING. Helv. K. G. pag. 423, 424. cf. SCULTET. ad h. a.

(c) HOTTING. Helv. K. G. p. 424, 425.

ponerent, facto decreto, „ ne inposterum nisi qui Reformatæ „ fidei confessionem dederint (a) in Senatum vel majorem vel „ minorem reciperentur, ut verò etiam qui in Senatu erant nec „ his adstipularentur, Senatu exesse juberentur. „

RHÆTI (b) quoque Bernensium & aliorum exemplo audentiores facti, nec missas nec sacrificulos curabant amplius: Ideò Episcopus Curiensis *Paulus Zieglerus*, sede sua deserta, aliò se recipit.

Neque tamen ita pleno omnia fluxerunt alveo ut non multa quoque quæ rationes Reformatorum turbarent, intercederent; Certè adversarii ad suum ingenium & vetus artificium redeuntes cum extus tum intus nihil non moverunt, quod ad obscurandum orientis doctrinæ solem facere putabant: *Haslenses* (c) *Brienceneses*, *Underseenses*, adversus Bernenses, magistratum proprium, insurgere, atque arma capessere, Evangeliique cursum remorari, nisi in procinctu Bernensium fuisset exercitus, quo conspecto præscriptas sibi pacis conditiones acceperunt.

Curiensibus insidiabatur *Joh. Jacobus*, Marchio Musæ, cum quo colludebant, *Zieglerus* (d) Episcopus Curiensis, & Theodorus *Schlegelius* Abbas S. Lucii ibidem. Erat Marchioni frater Angelus, qui postea Papa creatus Pius V. nominari voluit. Hunc Marchio in Episcopatum Curiensem intrudere unicè satagebat, Zieglero Episcopo fugitivo pensione annua numeratâ. Consilium rei expediendæ suggerit homicida dœmon. Marchio filiam elocat Wolfg. Theodoro ab Hohenemps. Nuptiarum solennitas prætexitur, qua *Curiam Rhætorum* sponsa numeroso exercitu deducenda, à sponso excipienda, hacque occasione Evangelici opprimendi sint. Res, volente Domino, detegitur: Abbas S. Lucii capitur, quæstionibus subjicitur (e), aperit omnia, & morte sua plurimorum piorum vitam conservat. §. CXXI.

(a) HOTTING. ex Bullingero, Helv. K. G. p. 424.

(b) SCULTET. Annal. ad h. a. p. 148. conf. ANHORN. Palingen. Rhæt. p. 42.

(c) HOTTING. Helv. K. G. p. 433.

(d) vid. supra §. CVII. pag. 302, 303.

(e) Scultet. Annal. Dec. II. p. 149, 150. conf. HOTTING. H. K. G. p. 443, 444. qui adversus *Tschudium* atque *Bucelinum* Rhætorum causam ex *Anhornio*, *Sprechero* & *Bullingero* defendit.

§. CXXI. Sed quomodo BASILEENSI Reformationi A. 1529. tandem corona fuerit imposita pervidendum est: Annis scilicet abhinc aliquot, Basileæ magnum fuerat (a) religionis causa dissidium, & senatus quidem decrevit tandem, ut eadem esset per totam urbem doctrina, utque de Missis, quæ locis adhuc aliquot supererant, certo die palàm habita disputatione per suffragia decerneretur quid in eo fieri oporteret. Pontificii autem nihilo secius urgebant suum institutum, & aliquantò etiam acerbius pro concione notabant adversarios. Et quoniam hoc illis erat impunè, plerique sic accipiebant, quasi primores illud non improbarent. Itáque delecti sunt è civibus, qui senatui denuò supplicarent, & pacti memoriam renovarent. Hi post multam actionem petebant, ut ii senatores, quorum hortatu Pontificii sic docerent, quoniam ea res non solùm ad decreti facti contemptum, sed ad turbam atque seditionem etiam pertineret, loco submoverentur. Quum id Senatus omninò recusaret, cives, hujus anni mensis Februarii die octavo, in æde Franciscanorum conveniunt, & re deliberata, rursus idem à senatu, sed non tàm demisse, quàm antea, petunt: simul publica civitatis loca sibi capiunt & occupant, sine armis tamen. Sub ejus diei vesperam, Senatus „ placere sibi respondet, ut ii, quos loco removeri postulent, deinceps „ quum de religione deliberabitur, non adsint, in cæteris verò „ locum & ordinem suum retineant. „ Eo dato responso, quum appareret paucos aliquot usurpare sibi summam rei, magis offensi fuerunt animi civium: quamobrem palàm testificantur, velle sibi capere consilium deinceps, non quidem religionis, verùm sui juris vindicandi causa. Mox armati turres atque portas occupant, & idonea loca præsidiis firmant, & excubias agunt, non secus atque in castris, quum ab hoste vicino periculum est, fieri solet. Postridie, senatus deliberandi spatium petit, & ad eos, qui nuper fuerant intercessores, causam rejicit. Cives illud non recusant, sed ut rei sint interea privati, suóque sumptu litem prosequantur, volunt: ipsi verò, qui Reipublicæ causam & posteritatis agant, sumptu publico. Senatus etiam alia quædam leviora illis largitur, quò sic offensionem mitigaret. Hoc ipso die, nonnulli

(a) SLEIDAN. lib. VI. fol. 99. & 100.

nulli cives, quibus erat mandatum ut per urbem circumirent, ac rebus omnibus providerent, in templum primarium aſcendunt. Ex iis quidam, haſta ſua ſtatuam alicujus Divi revellit, ſic ut in terram delapſa, confringeretur: hac autem occaſione in plures deinde manus injicitur: interventu verò ſacrificorum, qui id ægrè ferebant, illi ne mandati fines præterirent, nullam movent ampliorem rixam; & abeunt. Quum ejus rei nuntius eſſet ad cives in forum delatus, & plenior multò, quàm res ipſa ferebat, ad templum è veſtigio mittuntur armati tercentum, ut illis opem ferrent: nam eſſe in anguſtiis atque periculo dicebantur. Ubi ventum eſt eò, jam illi diſceſſerant. Ne verò fruſtrà illuc itum eſſet, idola ſeu ſtatuas ibi repertas demoliuntur, & progreſſi reliquis in templis idem faciunt. Ibi tum è Senatu quidam accurrunt, ſedandi motus cauſa. Cives autem ad illos, „ Quod vos totum jam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos, inquiunt, una perficiemus hora, ne propter idola ſit ullum poſthac inter nos diſſidium. „ Sic adeò Senatus eis omnia permittit, & loco moti fuerunt Senatores XII, abſque ignominia tamen. In his erant *Henricus Meltingerus*, tum Conſul, *Lucius Zieglerus*, tribuum præfectus. Decretum etiam eſt factum, „ ut tàm in urbe „ quàm foris per ipſorum fines aboleatur Miſſa cum idolis omnibus. „ Adhæc, ut in iis rebus deliberandis quæ ad gloriam Dei pertinent & ad Reipublicæ commodum, Senatus in poſterum adhibeat tribules numero ad ducentos ſexaginta, quorum utatur conſilio. „ Iis factis decretis, læti domum revertuntur cives, & in ſtatuas tantùm omnis deſiit iracundia. Tertia die, qui tum erat *cinerum dies*, ut Pontificii vocant, ſtatuæ ligneæ diſtributæ fuerunt in homines tenuiores, ut iis ad ignem uterentur: quum autem illi ſuper dividunda præda rixarentur, ac pugnis etiam rem agerent, placuit exurendas eſſe. Novem verò componuntur ſtrues ante primariam ædem, & inflammatæ cremantur. Ita nimirum caſus tulit, ut quo die Pontificii ſolent frontibus hominum invergere *cinerem*, quo ſeſe *pulverem atque cinerem* eſſe recordentur, ille ipſe dies, propter idola in cinerem redacta civitati fuerit lætus atque jucundus. Februarii die XII, tribules illi, quos diximus, acta ſenatus comprobant. Altera die, per ſin-

ſingulas tribus denuo juratur, & amice diſceditur. Tigurini, Bernates, Solodurii, quum de turba eſſet ad ipſos perlatum, ilico legatos mittunt interceſſores. Quum autem hi venirent, jam ſedata res erat. (a) Atque hæc quidem ex fidiſſima SLEIDANI relatione, quibuscum ex amuſſi conſentiunt, quæ Urſtiſius in Chronico Baſileenſi (b) annotavit.

* Neque verò etiam multum ab his, quoad rei ſummam differunt quæ ERASMUS de his turbis in Ep. ad *Bil. Pirckheimerum* (c) prodidit, quippe quæ tantò minus contemni poterunt ab ipſis quoque Pontificiis, quod is alienum prorſus ab hac Reformatione gereret animum, eundémque non ſine ſingulari verborum acrimonia teſtaretur in eadem hac Epiſtola: Is verò ita: „ Dum „ promiscua fæx plebis armata ac diſpoſitis machinis verſaretur „ in foro, nemo non timebat ſibi, cui domi eſſet quod nolit „ perire. Aliquandiu res videbatur ſpectare ad arma. Melior „ pars favebat Eccleſiaſtico negocio, ſed numero minor: nam „ altera multos habebat admixtos exteros, multos decoctores, „ multos palam infames. Hanc Tragædiam orſi ſunt ſub ipſam „ brumam, ne cui promtum eſſet vel fugere, vel accerſere ſup- „ petias. Eccleſiaſtica pars, ubi videret contra Senatus edictum, „ contraque jusjurandum fieri conventicula, induit arma, mox „ idem fecit altera, operas etiam educens in forum ac bombar- „ das. Auctoritate Senatus factum eſt, ut pars Eccleſiaſtica deponeret arma: quod ægre fecit & altera, ſed ad tempus: Nam „ quum decretum eſſet ſævire in divos ac divas, condenſant ſeſe „ in foro, diſpoſitis tormentis æneis, & aliquot noctibus illic

 „ ſub

(a) Erit opinor Lectoribus gratum, hanc Eccleſiæ Baſileenſis Reformationem ex ipſomet OECOLAMPADIO reſcire, Viro utique Sancto, & Eccleſiæ illius Apoſtolo celeberrimo; Ejus itaque ad Capitonem Epiſtolam d. XXIII. Februarii 1529. datam inter documenta huic volumini ſubjecta No. XXV. redegimus, prouti eam nobis in Annalib. Dec. II. ſuppeditaverat *Abr.* SCULTETUS: Sed & alteram OECOLAMPADII. d. VI. Martii ad eundem Capitonem ſcriptam ex ejus, quod apud nos eſt autographo, adjecimus No. XXVI. quod ea non minus ut ab interitu & oblivione liberaretur eſſet digna.

(b) URSTIS. Chron. Baſil. Lib. VII. cap. 19. & ſqq.

(c) vid. ERASM. Epiſt. Num. 1048. pag. 1188, 1189.

„ sub dio agebant, extructa pyra ingenti, magno omnium metu: „ in nullius tamen ædes irruperunt, neque cujusquam corpus „ attigerunt, nisi quod Consul, mihi proximus vicinus, vir facundus, & de Republica crebrò meritus, noctu scapha subduxit sese, periturus ni id fecisset. Profugerunt & alii complures metu, qui tamen ex auctoritate Senatus revocati sunt, „ si vellent jure civium vivere: è Senatu verò submoti sunt; „ quotquot faverent pristinæ religioni, ne qua esset illic suffragiorum dissensio. Hactenus tamen Senatus moderatus est tumultum, ut per fabros & artifices tollerentur è templis, quæ „ tolli placuisset. Tantis autem ludibriis usi sunt in simulacra „ divorum atque etiam crucifixi, ut mirum sit, nullum illic editum miraculum (a), quum olim tam multa soleant edere vel „ leviter offensi divi. Statuarum nihil relictum est nec in templis nec in vestibulis, nec in porticibus, nec in Monasteriis.„

„ Quidquid erat pictarum imaginum calcea incrustura oblitum „ est; quod erat capax ignis in rogum conjectum est, quod secus frustulatim comminutum. Nec pretium nec ars impetravit, ut cuiquam omninò parceretur. Mox in totum abrogata „ Missa, ut nec privatim domi fas esset sacrificare, nec in finitimis pagis audire sacrum. Ubi summus ille metus ademtus „ est, ac propemodum spes esset, fore, ut in nullius facultates „ aut caput sæviretur, ad hanc clementiam adhortante Oecolampadio, quotidie tamen ex synodis illorum nova prodibant „ plebiscita, cœpi de migrando cogitare. „

§. CXXII. Hac renovatione facta, Basilea relicta *Friburgum* (a) concesserunt *Ludovicus* BERUS unà cum universo collegio Canonicorum, quamplurimi quoque Academici, atque Viri literati, veteri superstitioni inhærentes. Porrò

(a) Hic ad ingenium suum redire videtur ERASMUS, qui & in Ep. ad Maximilianum à Burgundia. n. 1069. p. 1223. *Quum legamus* scribit, *Divum Franciscum in rabiem egisse, qui ridebat quinque vulnera, quum alios divos narrent horrendis exemplis ultos multorum irreligiosas voces, hic mihi subiit mirari neminem è tam multis fuisse qui tantæ stragis auctores ulcisceretur.*

(b) Est id celebre in Brisgoia oppidum, quod Ferdinando parebat Regi ac Duci Austriaco, unde ERASMUS in Ep. ad Pirckheimerum: loc. cit. *Tandem vertimus solum*, scribit, *ex Rauracis facti Brisgoi:* &c.

Porrò *Henricus Loriti* GLAREANUS, & denique ERASMUS Roterodamus, qui navim conscensurus, Bonifacio Amerbachio aliisque comitibus hoc valedixit tetrasticho: (a)

Jam Basilea vale, qua non urbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium.
Hinc precor omnia læta tibi: simul illud, Erasmo
Hospes uti ne unquam tristior adveniat:

Neque verò ulla vis Erasmum, nec ullus de vi intentanda metus eum urgebat, quin potius ineptus ille timor, ne is cum Reformatoribus, quorum causam is justam agnoscebat (b), modum autem

(a) vid. ERASM. Ep. n. 1066. p. 1218.

(b) Dubitare nos ea de re non sinit, ipsa ERASMI Epistola ad *Joh. Botzhemum*, Friburgo d. 13. Augusti 1529. scripta, ubi inter alia hunc in modum: „ Nec mediocrem his turbis ansam dedere quidam, qui „ præter modum tendentes funiculum, rumpere maluerunt, quam laxando servare. *Pontifici Romano* tanquam totius ecclesiæ principi, ut plurimum est potestatis, ita plurimum debetur honoris: sed qui hujus vi„ res in immensum extulerunt, funiculum hunc si non ruperunt, certe „ lacerarunt. *Condonationes pontificias*, dum intra modum consisterent, „ olim reverenter accipiebat populus: cæterum ubi redemptores ac mo„ nachi quæstus sui gratia incredibili pompa eas invehunt, immodicè præ„ dicant, avarissime exercent, dum sine fine omnia templa cruce & scri„ nio rubente plena sunt, dum singulis columnis affixa sunt insignia pon„ tificis cum triplici corona, dum quosdam etiam adigunt ad eas emen„ das, quod in Hispania propemodum fieri dicitur, minimo minus rupe„ runt & hunc funiculum. Ita dum *Divorum invocationem* cultumque „ vel ad superstitionem deflectunt, vel ultra modum attollunt, & hic „ funiculus prope ruptus est. Res erat elegans *imaginum* ac *statuarum* „ apparatus, vel ad ornatum, vel ad eorum memoriam, quorum exem„ plis accendi poteramus ad vitæ pietatem: cæterum dum indecoris pictu„ ris implentur undique templa, dum harum superstitione penè ad idolo„ latriam delabimur, rumpendo & huic funiculo dedimus occasionem. „ Et vetus exemplum est & pium officium, laudare Deum *hymnis* & „ *canticis* spiritualibus, sed dum in templis auditur musica conviviis ac „ nuptiis aptior quam cultui divino, dum affectato vocum boatu sacræ vo„ ces obscurantur, imò dum hominum interdum inanes næniæ pro divi„ nis canuntur, denique dum in templis nihil aliud quàm cantillatur, „ cœpit & hic periclitari funiculus. *Missa* vero quid esse potest sacratius?

„ Cæ-

autem agendi improbabat, collusisse videretur; Neque autem ipse id dissimulat, quin potius hunc se in modum ad Bilibaldum Pirckheimerum explicat. (a) „ Cœpi de migrando cogitare, sed dissi-
„ mulanter...... Primum omnium immitto clam nummos, an-
„ nulos, & vasa argentea, quæ potissimùm invitant prædonem.
„ Aliquanto post palàm onero duo plaustra scriniis & lectis: hoc
„ facto nunciatur mihi *Oecolampadium*, & Ecclesiastas infensos
„ esse, idque duabus de causis, quas (b)... intelliges plusquam
„ frivolas. Ego tamen reputans mecum, quis esset rerum status,
„ scripto placavi *Oecolampadium*, simulque ad colloquium evo-
„ co. Colloquuti sumus diu, sed absque contentione. Obtulit
„ ille sinceram benevolentiam, quam ego non recusavi, modo
„ pa-

„ Cæterum dum sordidi & indocti sacrifici, non alio animo discunt treis
„ fortasse missas, nec aliter exercent, quàm sutor calceolariam, dum pa-
„ lam impie vivunt, qui subinde accedunt ad mensam domini, dum non
„ ea religione peragitur hoc mysterium qua decebat, dum rem tam sacram
„ faciunt publicam nundinationem, tantum non ruperunt & hunc funi-
„ culum. Jam arcana *Confessione* quid salubrius? Et hanc dum nimis
„ astringunt, nimisque reddunt anxiam, dum sub hujus prætextu venan-
„ tur pecuniam simplicium, dum insidiantur pudicitiæ puellarum, alia-
„ que non commemoranda flagitia committunt, dum hanc in remedium
„ animarum repertam, vertunt in suam tyrannidem, nónne magnam
„ rumpendi funiculi dederunt occasionem? Ita dum *constitutionum* hu-
„ manarum nullus est modus neque finis, dum has ad quæstum ac ty-
„ rannidem suam multi vel instituunt vel detorquent institutas, & hic
„ funiculus venit in periculum. Sic fortassis & *Sacerdotes* dum nec stu-
„ dent gerere vitam honore dignam, & honorem exigunt immodicum,
„ apud multos venerunt in contemptum. Itidem *Monachi* dum non am-
„ biunt hominum favorem vitæ morumque synceritate, sed opibus, nu-
„ mero, conspiratione, aliisque malis artibus freti, quos dolo fallere non
„ possunt, vi student opprimere: dum palliis suis tantum tribuunt, ut de-
„ pellere morbos, ut fortunatas reddere domos, ut à cacodæmonibus
„ tueri possint, quid aliud profecerunt, nisi ut prius pro diis habiti, nunc
„ vix habeantur pro bonis viris? „

(a) vid. ERASM. Epist. n. 1048. p. 1189. conf. Epist. cit. n. 1066. p. 1218.

(b) Has causas expositas videmus in exemplo codicillorum *Erasmi* ad *Johannem Oecolampadium*, quorum mentio fit in hac Epistola, & quos exhibet editio Epistolarum recentior Lugdunensis n. 1067. p. 1221.

„ pateretur me in quibusdam dogmatibus ab ipso diffidere. Tan-
„ dem cœpit dissuadere, ne relinquerem Basileam. Respondi,
„ me à mihi gratissima civitate multis nominibus invitum dis-
„ cedere, *sed me diutius invidiam perferre non posse*, *viderer enim*
„ *probare quicquid hic publicè fit*. Quum urgeret, respondi, eam
„ operam frustra sumi, quum tota supellex esset *Friburgi*; in-
„ stabat, ut saltem abirem rediturus. *Friburgi*, inquam, mensi-
„ bus aliquot commorabor illinc profecturus quo me Deus evo-
„ caverit. Sic datis utrinque dextris discessum est. Hunc sermo-
„ nem communicavit, ut suspicor, Tribuno plebis (a), qui
„ semper fuit hujus negotii coryphæus, vir prudens, sedatique
„ ingenii. Egit cum Beato (*Rhenano*, scil.) ne discedam, multis
„ argumentis. Mihi nemo verbum fecit. Si dixissem, me offen-
„ sum abire, promisissent satisfactionem, si ob id, quod non pro-
„ barem ea, quæ illic instituerentur, vocassent me ad elenchum,
„ eoque allegavi *iram Principum* & *invidiam Theologorum*. Alioqui
„ exceperam voces aliquot feroculas & minaces eorum qui plu-
„ rimum valerent in hac factione. Et acciderant quædam præ-
„ ludia. Itaque non arbitratus sum esse consultum in ea civitate
„ vivere, in qua nullus esset tam abjectus quin posset me lædere.
„ Nec enim consentaneum est, magistratum ac plebem ex animo
„ favere ei, qui dictis ac scriptis ab ipsorum dogmatibus dissen-
„ tiret. „

Verùm de hoc virorum quorundam doctorum discessu, & quo pacto tamen curatum fuerit, nequid inde detrimenti caperet Academia Basileensis, quippe ad quam *Sebastianus Munsterus* ut Hebraicam & *Simon Grynæus* ut Græcam profiteretur linguam, Heidelberga fuerunt vocati, hunc in modum OECOLAMPADIUS ad Vadianum. (b) „ Quis status Ecclesiæ no-
„ stræ, partim fama nuncia, partim Bersii collegæ literis opinor
„ tibi nequaquam incognitum. Dolet fortasse Erasmum, & quos-
„ dam è doctioribus qui nominis sui claritudine patriam amplius

Bbb „ illu-

(a) Is erat vir gravissimus *Jacobus* MEYERUS, ad Consulare qui deinceps evectus est fastigium.

(b) v. Ep. Zwingl. & Oecolamp. Lib. IV. fol. 198. b. Est autem hæc d. 29. Aprilis 1529. scripta.

„ illustrare putantur, hinc migrasse. At, quum hi nulla exacti „ tyrannide, nulla profligati violentia, nulla irati inhumanitate, „ nullis affecti contumeliis, alibi agere in rem suam fore censent, „ quid faciendum? semper boni consulenda ineluctabilis necessi- „ tas, imò cum gaudio amplexanda felicitatis quantulacunque „ occasio; Satius enim fuerit, expertem factionum, aliquandiu „ disertorum virorum frequentia destitui civitatem, quam cum „ uberiore illorum proventu, intestinis laborare dissidiis, variis- „ que religionibus distrahi. Valere igitur illos sinimus. Interim „ tamen dabitur opera, ut etiam id incommodi resarciatur, & „ gymnasium instauretur etiam aliquanto felicius: nempe, ut „ advocentur viri, si non æque clari, non tamen minus utili- „ tatis publicæ studiosi. „

Enimverò, cum magna deinceps fuerit *Simonis* GRYNÆI Viri Ενδοξότατε apud Basileenses auctoritas, tum quo pacto is nutu atque suasu Oecolampadii Heidelberga fuerit evocatus, ut quoque cum Sebastiano Munstero Basileam concesserit, ibique usque ad A. 1541. docuerit, atque virorum doctorum adauxerit numerum, pervidendum est: Erat *Sim. Grynæus* inde ab A. 1523. Professor Græcæ Linguæ in Academia Heidelbergensi, atque uti illi cum Reformatoribus & præcipuè cum Phil. Melanchtone intercedebat familiaritas, ita quod à Jo. Fabri insidiis quæ ipsi, dum Spirensia celebrabantur comitia, intentabantur, si non ab angelo monitore, saltem per singularem providentiam divinam fuerit præservatus, jam à nobis in hoc Opere (a) est indicatum. Hunc tanquam Virum Doctum, & Evangelio addictum, unà cum *Seb. Munstero*, cujus eruditio atque in literatura Hebraica aliisque disciplinis præcipuè historicis peritia singularis, erant notissima, ut quoque Germanorum *Esdras* ac *Strabo* is appellaretur, eodem hoc anno sibi Collegam expetebat in illa doctorum virorum penuria, quæ Basileenses, facta illa reformatione, premebat & amplius minari videbatur, Oecolampadius, atque eum in finem prid. Kal. April. A. 1529. ea de re ipsum comiter monebat, eumque non modò de favore ac benevolentia Senatus Basileensis informat, sed & disertis verbis, de *Jacobi* MEYE-

(a) Vid. §. LXXXVII. pag. 226, 227.

MEYERI (a) Viri multis nominibus illustris, tum Tribuni plebis, deinceps Consulis Basileensium Magnifici, singulari erga ipsum studio, certiorem reddit, scribendo. (b) „ Tribunus ple-
„ bis, nunc primariæ in hac urbe auctoritatis, ante annum
„ cum legatum civitatis nostræ apud Principem vestrum ageret,
„ morum tuorum suavitate, sermonis comitate, ac boni nominis
„ fragrantia, adeò bene erga te affici cœpit, ut nihil non, quod
„ honeste poterit, tuo nomine in tui gratiam facturus sit. Te
„ enim (ut pios omnes) amat ac observat, etiam desiderat, eo-
„ que conscio, tibi scribo & per fratres Argentinenses scribi cu-
„ ravi, beatos nos existimans, si te collegam habituri simus. „
Huic invitationi *Grynæus* paucis diebus post, ita respondit, ut equidem proclivem suum in Basileenses animum indicaret, simul verò etiam difficultatem non unam moveret, atque singulare prorsus modestiæ atque humilitatis Christianæ exemplum præberet; Unde inter alia, *Intelligis* (c), scribebat, *ingenium*, *intelligis animi voluntatem & consilium. Jam illud est, quod mirifice mihi ad vos migraturo obstabit: Excitandum de novo studium, magna novæ scholæ expectatio, gravis eorum qui urbe vel pulsi sunt, vel sponte vestro consilio offensi discesserunt, invidia, omnia in me incumbent. Facit etiam periculosa inter ipsos Helvetios dissensio: quæ quidem omnia eadem illa animi constantia ferenda esse, qua tuam fers conditionem, intelligo, si ulla in me istas ad res idonea sit facultas. Experior quotidie meas vires, minus quotidie (sic me deus amet) reperio, quam sperabam ipse, quam tribuant amici. Animo concutior, quoties ad prælegendum accessi:* Quando denique tamen rem totam

 arbi-

(a) *Jacobi* MEYERI Consulis Basileensis, *Johannis* OECOLAMPADII & *Simonis* GRYNÆI, tanta fuerunt in rempublicam civilem, literariam & ecclesiasticam Basileensem merita, tantaque simul apud omnes existimatio, ut quoque cum hi Triumviri infelici fato A. 1541. peste extincti occumberent, atque eorum exuviæ proximæ sibi invicem conderentur, deinceps tribus illis saxis, sub quibus jacent, hæc inscripta fuerint

So ehr, gut, Kunst, hulffend in noth
Wär keiner von diesen dreyen tod.

conf. *Biblioth. Brem.* Tom. IV. p. 903, 904.

(b) v. Zwingl. & Oecol. Ep. Lib. IV. fol. 179. a.

(c) v. Zwingl. & Oecol. Ep. l. c. fol. 180. a.

arbitrio atque consilio Oecolampadii permittit, quippe à quo se nunquam reflexurum quin potius id se in omnibus secuturum spondet: Tum verò OECOLAMPADIUS ipsi robur addere animumque, & eundem ad suos pellicere omnibus modis studebat, data ad ipsum gravissima lectuque dignissima (a) epistola in qua eam quoque præcipue, quam de migratione Virorum doctorum summoverat dubitationem Grynæus, plane sustollit: „ Deinde non „ gravet, quod quidam hinc migraverint, nisi fallor, brevi pœ„ nitudine ducentur non parva, nos illis carere poterimus. *Marius* „ & *Pelargus*, autores malorum & tumultuum, ut aperti hostes „ Evangelii absunt, de quibus vindicavit me Dominus, cui ultio„ nem permisi. *Glareanus* etiam ipse maledicentiæ morbo ob„ noxius, absens quam præsens utilior erit. Quod si & alii abs„ cedant malevoli, tanto commodius habebit corpus, si ulcera „ purulentiam omnem excreverint. Nemo hinc vi exactus est, „ sed quoniam Christum hic regnare dolent, alibi degere malunt. „ Abiturus est & Erasmus, id facturus nimirum in gratiam Princi„ pum, quibus devinctus est, sed non perpetuo aberit, ut opinor. „

§. CXXIII. Atque ita uterque Sebastianus MUNSTERUS & Simon GRYNÆUS studiorum ac laborum sedem in Universitatem Basileensem transtulerunt, cui Grynæus usque ad A. 1541. Munsterus usque ad A. 1552. magna cum nominis celebritate nec minore cum fructu præfuerunt; Dum intereà *Paulus Constantinus* PHRYGIO (b) primus ad ædem Petrinam

(a) v. ZWINGL. & Ocol. Ep. l. c. fol. 181. b. Quum verò in his primorum nostrorum Reformatorum Epistolis, memorabilis plane illorum pietas, morum innocentia, animi sinceritas, modestia, propriæ voluntatis in Deum resignatio, erga Deum fiducia, in afflictionibus patientia, aliæque virtutes Christianæ emicent, quas ut in exemplum sibi ponant posteri, vovendum & omni nisu contendendum esset, non inopportunum arbitrati sumus, has ipsas ex rarissimo Zwinglii & Oecolampadii Epistolarum Volumine, Lectoribus nostris communicare, atque inter Documenta huic Volumini subjuncta No. XXVII. referre.

(b) OECOL. Ep. ad Zwingl. 28. Mart. ap. Hotting. H. K. G. p. 450. Is est *Paulus* PHRYGIO, cujus deinceps quoque in constituenda Ecclesia *Tubingensi*, atque in reformando Ducatu *Wirtembergico* sub auspiciis *Huldrici* Ducis, non exiguæ fuerunt partes. vid. ADAMI. Vit. Theologor. fol. 46.

nam Evangelicus Paſtor deſignabatur, eaque omnia quæ ad expurgandas ſordes Pontificias, atque ad reſtaurandam cum doctrinæ puritatem, tum diſciplinæ ſanctitatem facere poterant, conſtituebantur; Quem in finem & ſub ipſis Kalendis Aprilis Eccleſiæ Baſileenſis *Ordinatio* (a) per Senatum Majorem & Minorem eſt publicata, & deinceps typis impreſſa, qua de cultu cum verbi tum ſacramentorum divino juxta verbi divini præſcriptum inſtituendo præcipiebatur; & quomodo quæ adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum adtinent eſſent dirigenda, porrò de Vitiis ex Eccleſia eliminandis, & quam multa alia, quæ, quin per manum *Johannis* OECOLAMPADII fuerint perfecta, nullum eſt dubium, cujus in his uti prudentia & ſinceritas, ita animi moderatio ſingularis laudari ſatis non poſſunt, ut unum alterumque ex Epiſtolis ejus depromtum ſpecimen evincit: Sic enim inter alia ad Conradum Somium (b): „ Negotium excommunicationis, ut apud nos procedat, ſcire cupis. Bene fidito, „ res ſalvæ ſunt. Nullius cœpti minus pœnitet, nullum majores fructus pollicetur. En decimus quisque vel primo admonitus, non eſt quin humilietur & gratias agat. Catabaptiſtis „ fere nihil refugii ſupereſt. Eccleſia iterum in aliqua auctoritate „ haberi incipit. Offendicula paulatim extirpantur. Videmur „ quibusdam plus nimium indulſiſſe infirmioribus. At hoc multo ſatius, quam vel ſeveritate auſteriore omnem disciplinam „ Eccleſiaſticam in tyrannidem convertere, vel claves Eccleſiæ „ prorſus prodere. Spiritum verbi divini, jubentis ſemel atque „ iterum corripi fratrem, ſequi multò conſultius, quam rigidum „ verborum tenorem amplecti: &c. „ Atque alio tempore idem ad Erasmum Ritterum Eccleſiaſten Scaphuſanum (c): „ Quod „ ad ceremonias Cœnæ Dominicæ pertinet, viſum eſt quibusdam, ut te commonefacerem, ut relictis in totum papiſticis „ (quæ ſemper priſtinam ſuperſtitionem ac impietatem fovent) „ communes cum nobis obſervares, non ita tumultuarias, ut frigidum

(a) SCULTET. Annal. Dec. II. p. 190. conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 451.
(b) v. Zwingl. & Oecol. Ep. fol. 205. b.
(c) Zwingl. & Oecol. Epiſt. fol. 129. b.

„ gidum auditorem vel spectantem dimittant, neque ita curiosas, „ ut conscientiis periculosæ sint. . . . Optarem quidem, si Ecclesiis omnibus integrum foret, ceremoniis iisdem cunctos uti: „ sed nemo hoc persuaserit hac tempestate, neque admodum „ utile esset. Denuò enim hebetiores libertatem Christianam pro„ stituerent, novumque Papatum instituerent. Viderit itaque „ unusquisque ut plebi suæ maximè utilia proferat, ne deterio„ rem relinquat, quam receperit. Imò, si fieri potest, nihil offen„ diculorum patiatur. Plurimum sane nobis est negotii quod nec „ somniculosos nec meticulosos requirit. Sunt quibus Ecclesiæ „ nostræ (*Basileensis*) mos magis probatur propter exhortationes „ & admonitiones præcedentes: quem ex libello nostrarum cere„ moniarum (a) cognoscere potes, pauca enim mutamus adhuc in „ his. Pro suggestu legimus omnia usque ad verba cœnæ, quæ „ ante altare vel mensam recitantur, mox facta oratione & con„ vocatione sequitur communio. Interim dum communio fit, can„ tat plebs psalmodias vernaculas. Finita autem communione di„ mittitur cum quadam exhortatiuncula. *Nihil ita mihi curæ est*, „ *quam ut plebs teneat rationem mysterii, charitatem protestetur*, „ *& fidei unitatem cum Ecclesia Catholica, seipsam probet, si publi*„ *cis criminibus obnoxia abstineat, peccata sua confiteatur, & ver*„ *bis Evangelicis absolutam se cognoscat, maximè autem memor sit* „ *passionis Dominicæ, & ex ejus recordatione fraterni obsequii fiat* „ *avidior, & sic demum gratias agat*. (b) „ Denique ad Gulielmum Farellum, Aquilejis Christum annunciantem, is ita. (c) „ Quod Moses præcipit, (&) septimo die jubet quiescere, non „ usque adeo ad nos; nisi quod charitas docet, aliquam operis & „ jumentis quietem concedere, & ut commodius vacetur Deo. „ Multa enim sunt quæ impediunt. „

Hæc

(a) Est ea, quod modo dicebamus, Ordinatio Ecclesiastica typis excusa, 1529. 4. sub tit. *Ordnung so eine Ebrsame Stadt Basel den ersten tag Aprilis in ihrer Stad und Landschaft furbin zu halten erkant* &c. *als man zehlt* 1529. v. v. d. HARDT Autogr. Luth. T. III. p. 175.

(b) Neque verò etiam ægrotis, qui petebant, Oecolampadii suasu, S. Cœna denegabatur v. ADAMI Vit. Theolog. fol. 27.

(c) Zwingl. & Oecol. Epistol. 204. 4.

Hæc enim omnia atque ejus generis similia alia, neminem quenquam de Oecolampadii virtute atque moderatione dubitare sinent, quam in toto Reformationis Basileensis processu ita demonstravit, ut huic uni post Deum, quod adeò feliciter illæ omnes sopitæ sint turbæ, quodque in Evangelii incrementum gravissimæ illæ dissensiones cesserint, & prudentissimis ejus mitissimisque consiliis acceptum sit ferendum.

Sunt verò etiam qui tum temporis conscriptam referant ab Oecolampadio celebrem illam *Confessionem* Doctrinæ Basileensis, quæ non minus ac Saxonica quæ proprio nomine solet appellari Augustana, itemque Tetrapolitana (id est, quatuor civitatum Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ & Lindaviæ) & Tigurina Zwinglii in Comitiis Augustanis juxta ipsos sit exhibita, (a) tametsi Anno demum ejus seculi *tricesimo quarto*, post Oecolampadii scilicet mortem, per Oswaldum Myconium est edita, atque deinceps plus una vice typis impressa;

Sed antequam Basileensem Reformationem faciamus missam, unicum illud Parergum non possumus non commemorare, exemplum scilicet *Petri Kesseleri*, Presbyteri Basileensis. Is enim referente in Theatro Vitæ Humanæ Th. ZWINGERO (b) uxorem tum quoque duxisse dicitur mendicam, sed quæ ita inhumaniter ipsum deinceps tractavit, ut sæpius abinde inter amicos fuerit professus, se pejus nunquam collocasse eleemosynam, quam eam quam suæ uxori dederat, cum eam ex mendicitate in matrimonium extraheret.

§. CXXIV.

(a) Nititur hæc relatio auctoritate potissimùm Venerandi Viri Theologi Basileensis *Theodori* ZWINGERI in Exegesi Eucharistica quam lingua vernacula edidit Basil. A. 1655. 4. ubi pag. 73. & 74. Quem in ea, Jo. Jac. HOTTINGERUS Theologus Tigurinus in Helv. K. G. pag. 522. & pag. 683. sequitur: Fatemur tamen gravissimos Comitiorum Augustanorum 1530. celebratorum Scriptores, Cœlestinum, Chytræum, reliquos, ejus rei nil meminisse, quippe qui tres solummodo tunc exhibitas fuisse Confessiones disertis verbis adstruunt, Saxonicam Melanchtonis, Tigurinam Zwinglii, & Tetrapolitanam Buceri, conf. Disp. nostr. secular. *in confess. August. memoriam* §. XV. p. 557. quæ inserta est *Dissertationibus Academicis* Lib. III. pag. 542—582.

(b) ZWING. Theatr. Vit. Hum. T. III. p. 3332.

§. CXXIV. Ad Bernensium, Tigurinorum, & Basileensium preces & exemplum tum quoque se conformare SCAPHUSIANI, qui eodem hoc anno Reformationi suæ ultimam admoverunt manum; Neque enim solummodo quidam mutantur ritus papistici, sed &, ipsa prorsus circa finem Septembris (a) Missa, magno Pontificiorum cordolio aboletur, omnesque magno cum civium applausu, statuæ & imagines auctoritate publica dejiciuntur, inter quas & ingens quædam reperta fuit, nescio quot pedes longa, quam ordinario nomine magnum Scaphusianorum Numen *(den grossen Herr Gott von Schaffhausen)* nominarunt, quippe quæ flammis est exusta: Propter hæc autem Scaphusianorum virilia & magno cum animi ardore in veritatis Evangelicæ restitutionem & Verbi Divini tutelam suscepta consilia, tantis lætitiis tum incessere Tigurini, ut quoque singularem ad Scaphusanos publicè conscribere Epistolam (b) Gratulatoriam non neglexerint.

Sed &, ipsi TIGURINI mense Januario (c) hujus anni jam peculiari edicto caverant, ne cives ad Missam alibi audiendam excurrerent; deinde novis quoque mandatis, impios, profanos & diabolicos Bacchanaliorum ritus illos, quibus homines sexum mentiti, personis tecti, turpia quæque patrare consueverant, & prætextu placentularum apud vicinos esus, convivia temulenta & saltationes ad intempestam noctem protraxerunt.

SAN-GALLENSES huc usque pepercerant idolis in summa æde *(im Munster)* idque ideò, ne Abbatem emendatione rituum & doctrinæ in templo Laurentiano jam antè offensum magis exacerbarent. Hoc autem anno, vigesimâ tertiâ Februarii, re in Senatu magno benè priùs deliberatâ, frustrà deprecante Decano Monasterii, omnia altaria numero triginta tria demoliuntur, idola destruunt, destructis plaustra quadraginta complent, extra

(a) BULLING. Hist. Ref. II. pag. 19. HOTTING. Helv. K. G. pag. 455, 456. RUCHAT. Tom. II. p. 431——435.

(b) STETTL. II. 23. *Reform. Schaffh.* à pag. 173. citante HOTTINGERO l. c.

(c) SCULTET. Annal. Dec. II. p. 190, 191. & HOTTING. l. c. pag. 454.

tra urbem flammis omnia exurunt. Septima Martii, Evangelici primam concionem, ad quam tria hominum millia confluxerunt, in summo templo habuerunt (a), verba faciente *Dominico Zillio*, quando loco Missæ viri fœminæ juvenes senes Psalmum quinquagesimum primum decantarunt: Sed & fraudem sacrificulorum toties in reformationis negotio detectam in Reformatione San-Gallensi deprehensam silentio tegere nefas est; Ostensa scilicet non ita pridem in eodem templo crux fuerat ingentis magnitudinis argentea inaurata, cui inclusæ dicebantur plurimæ sanctorum reliquiæ, quæ fama id apud populum superstitioni litantem effecerat, ut eam singulari præ reliquis veneratione colerent; At verò, cum Joach. Vadianus Consul (b) & qui cum eo, sollicitè in has reliquias inquirerent, nec eas tamen invenirent, quam non reliquiis sanctorum, uti nugabantur, sed farragine pannosa & linteamentorum frustulis, omnique impuritate alia, crux tota referta esset, deprehendebatur. Erat quoque ibidem cornu deauratum, in quo dicebatur lapillus ex sacro sepulcro (c) magna religione ac cura asservari, quod cum in præsentia Legati Glaronensis esset apertum, testiduneam cochleam intus invenerunt: Ea fraus ita legati animum dicitur affecisse, ut is ex Pontificio acerrimo, repente factus fuerit reformationis assertor strenuus. Consignavit autem tum quoque *Christ.* SCHAPPELERUS quadraginta duo themata (d) contra Pontificiorum errores eaque disputanda in oppido S. Galli proposuit. In his Satisfactiones omnes humanæ cum votis monachalibus, tanquam doctrinæ hominum, prorsus rejiciebantur. Cœnobia non esse, quod imperite fuerat creditum, Domus Dei, (*Gottes heuser*,) sed erroris atque tenebrarum receptacula, asserebatur; porro, intra quingentos annos ultrà quinquaginta sectas per varios illos Ordines exortas fuisse: Ea quæ maximam præ se ferebant spe-

 ciem,

(a) SCULT. dec. II. p. 192. ex Hist. San-Gall. MSS. RUCHAT. T. II. pag. 384. HOTTING. Helv. K. G. pag. 458, 459.
(b) RUCHAT. l. c. pag. 386.
(c) RUCHAT. ibid.
(d) Horum breve nobis argumentum ex Bullingero suppeditat HOTTINGERUS l. c. pag. 466, 467.

ciem, monachorum opera, esse Verbo Dei maximam partem adversa, inprimis illud perditissimum, quodque argento venale erat, Missæ Sacrificium, Cantilenas illas inanes esse, & clamores in Ecclesiis importunos &sim.

BERNENSES, quorum Reformatio (a) plurimum toti regioni circumjacenti profuit, hoc anno, non doctrinæ tantum, sed & moribus reformandis exemplo laudatissimo impenderunt operam, eumque in finem die Martis post festum Resurrectionis Christi, adversus ebrietatem & nominis divini in juramentis temerariis abusum, Edictum publicarunt, cujus exordium ita se habet: „ Cum unaquæque Potestas superior à Deo sit constituta, „ ut bonum tueatur, puniat verò malum, tum nobis id ante „ omnia convenit, christiano magistratui & supremis populi „ christiani ductoribus, ad amplificandam Dei gloriam, ad pro- „ pagandam morum honestatem, porrò ad correctionem primò „ quidem nostri ipsorum, dein verò etiam subditorum nostrorum „ &c. quin imo necessitas id efflagitat, ut adversus blasphemos „ &c. „ Ne jam varia alia commemoremus edicta à S. P. Q. Bernensi tum vel ad refrænandam superstitionem, vel ad compescendam violentiam, vel ad promovendam pacem & concordiam mutuam, vel ad correctionem vitiorum (b), vel ad stabiliendam disciplinam ecclesiasticam cum in urbe tum in agro, facientia, quæ longum esset recensere.

Apud GLARONENSES turbæ quæ inde ab aliquo tempore animos tenuerant divisos hoc anno cum prius essent sopitæ (c), deinceps ad religionis negotium prudentia quadam moderandum processum est, atque unanimi ferè consilio definitum; *primò*, ne quis in locis ubi Missa & Imagines retentæ erant, eas loco moveret (d), ne tamen etiam in aliis, in quibus abrogatæ erant, quis

(a) conf. §. CXVIII. p. 391, 362.

(b) RUCHAT. l. c. pag. 376. sq. qui usque ad pag. 381. varia ejus generis edicta à Bernensibus tum publicata recenset, eorumque breve nobis argumentum exhibet.

(c) HOTTING. Helv. K. G. pag. 454. ex V. Tschudii Hist. Glaron. MSS. conf. RUCHAT. l. c. p. 382, 383.

(d) Quod hæc fuerint consilia potissimum Valentini Tschudii, atque alio-

quis eas restitueret, ita tamen, ut si quis ægrotans sibi more Pontificiorum Sacramentum eucharistiæ exposceret, id ipsi non denegaretur; *secundò*, ne quis concionatorum quicquam nisi Verbum Dei proferret, id est, nil quicquam proferret, quod non ex ipso Dei Verbo posset adstrui ac comprobari (a), ut verò illi qui contrà facerent, punirentur, æque ac ii, qui reliquos iniquè accusarent, quasi mendacia proferrent; *tertiò* ut concionatores Evangelici liberum haberent per totam regionem cursum, atque ut neutri alteris propter religionem facesserent molestiam; *quartò*, ut festa tamen sequentia observarentur; diei Dominicæ, duodecim Apostolorum, Beatæ Virginis, corporis Christi, Johannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, S. Fridolini Glaronensium patroni & S. Hilarii.

§. CXXV. Quum Pontificii pagi in Tigurinorum & Bernensium perniciem conjurassent, seque mutuo fœdere, quod à pristina religione decedere nollent, obstrinxissent, Tigurini & Bernenses huic malo præsentius remedium invenire nequibant, quam ut mutuum quoque inter se fœdus erigerent (b), ad religionis Evangelicæ veræque doctrinæ defensionem, in quod reciperentur deinceps quotquot abinde ex Helvetiis Evangelio adstipularentur, salva interea manente auctoritate Fœderis Pagorum Helvetiæ communis, atque ut hæc Confœderatio (c) nullo modo ci-

 vili

aliorum cum ipso facientium, patet ex hujus epistola ad Zwinglium d. 15. Martii 1530. data quam FUSSL. in Ep. Reformator. n. XIV. p. 63. edidit, ubi inter alia de se ita: *In hac doctorum dissensione omnia patienter ferre hortabar, ut sedatis turbis æquo examini in unitate spiritus singula pensitarentur. Prosunt interdum remoræ currui in declivi loco admotæ, ut eò commodius subsidat. Nostra conditio id quoque exigit, ut efferata ingenia quadam tardatione mitescant.*

(a) Ad hæc itaque tempora spectare videtur illa quam §. CXVII. pag. 350. adduximus, *Frid. Brunneri* Epistola de progressu reformationis apud Glaronenses.

(b) HOTTING. Helv. K. G. pag. 432, 433.

(c) Fœdus hoc sub nomine *Burgrecht*, nobis describitur in Actis publicis hanc causam concernentibus vid. Hotting. l. c. & Descript. Ref. Bienn. apud Fuessl. in collect. docum. T. II. pag. 319. ubi præcipuum hujus

vili consociationi esset infesta, quippe quæ tantum faceret ad sui ipsius & doctrinæ Evangelicæ defensionem; Hoc itaque Fœdus cum A. 1528. sancitum esset, tunc *San-Gallenses* jam eodem anno eidem accedere (a), atque anno sequenti 1529. mense Januario *Biennenses*, mense Februario *Mulhusani*, mense Martio *Basileenses*, porrò etiam *Argentoratenses* eodem hoc anno (b): Biennenses igitur, cùm accrescente inter eos indies magisque Reformationis negotio in hoc Fœdus reciperentur, tum singulari tamen ratione cautum est, „ salvum manere debere Jus Episcopi tanquam Do-„ mini ipsorum civilis, neque adeò hoc Fœdus pertinere nisi ad „ Religionem. „

Enimvero, quum eadem ferme apud BIENNENSES, quæ etiam apud Basileenses luderetur fabula, atque Procerum civitatis animi essent divisi, plurimique ex ipsis Evangelio non faverent, alii autem illi essent addictiores, factum est, ut populus proprio nutu à magistratu sibi Reformationem ulteriorem expeteret, eandemque urgeret; Magistratus ab ea re plurimam partem alienus, prætereaque auctoritate Episcopi Basileensis & ejus ministrorum adjutus in hac causa tergiversari, atque etiam *Georgium Chalybeolum* (vulgò Stähelin) qui tum apud eos verbum annunciabat (c), ad dicendam causam arcessere, eundemque ne pristinæ quam vocabant fidei adversaretur neve novam instillaret doctrinam hortari; Tum verò Chalybeolus doctrinam suam defendere, eo cum successu, ut tandem liber ipsi in concionando progressus plurimorum consensu non impediretur; Cives autem Bernensium consilio & legatione instructi Papatum rejicere, ac ne amplius Pontificiorum odio & Episcopalium persecutioni subessent,

hujus confœderationis argumentum ita describitur: *Dass wo einer Stad des wahren glaubens wegen etwas begegnete, die andere sie nach bestem vermogen schützen, und schirmen solte, und dieses burgrecht solte bestehen, und von keiner parthey aufsgesaget werden, es sey der anderen lieb, es soll auch alwegen zu 5 Jahren um beschworen werden.*

(a) HOTT. l. c. p. 433. RUCHAT. l. c. p. 387.

(b) HOTTING. p. 478, 479. conf. quæ de Argentoratensium accessione in hoc Opere notavimus §. LXXXV. p. 219.

(c) v. *Miscell. Tigur.* Tom. II. pag. 687.

essent, in illud fœdus transire (a) sicque reformationis causam in civitate sua stabilire satagebant: Cæterum & FARELLUM (b) hoc anno a *Biennensibus* expetitum eos accessisse, refertur, & Evangelii negotium consilio & opera promovisse.

HERISOVIA (Herrisau) in ditione Abbatiscellana (c) pertinaciter hactenus Evangelio restiterat, inflammata à Josepho quodam Forero sacrificulo. Hoc tamen anno idola dejecerunt cives nonnulli, & à Constantiensibus *Ambrosium Blaurerum* disertissimum concionatorem impetrarunt, qui d. 30. Maji primam eo loci concionem habuit:

EPISCOPI CELLÆ (Bisschofs zell) (d) quinta Februarii super religionis negotio deliberatur; Vocantur sacrificuli, iisque mandatur, ut scripturis sanctis perlectis doceant, *an Missa & idola Deo probentur?* Respondent illi Senatui: „ Nec Missam nec „ idola scripturæ auctoritate posse defendi. „ Abrogatur igitur Missa, ejiciuntur idola, Evangelium purè ex Dei verbo docetur. Fuit autem *Ambrosius Blaurerus* (e) ad hanc quoque reformationem promovendam, eximium in manu Dei instrumentum.

VESENENSES quoque & SCHENENSES in Rhætia (f), qui Switios & Glaronenses Dominos agnoscunt, opera & suasu *Balthasaris Trachseli*, Curati Artensis, (qui cum propter ductam uxorem se in hæc loca recipere deberet, multas veritati lucrifecisse creditur animas) emendationem doctrinæ & rituum hoc anno admittunt, sed minis Switiorum territi, haud ita multo post ad pristina sacra redierunt.

DIESENHOFENSES (g) quoque circa medium mensis Martii Missam abolere & Imagines sunt aggressi.

(a) conf. §. CVI. p. 298. §. CXX. p. 367.
(b) v. SPANHEM. Geneva restit. Opp. Tom. II. p. 1529. & HOTTING. l. c. p. 499.
(c) SCULTET. Annal. dec. II. p. 192. ex Hist. San-Gall. MSS.
(d) SCULTET. l. c.
(e) HOTTING. Helv. K. G. p. 460.
(f) SCULTET. l. c. ex Stumpf. lib. X. conf. RUCHAT. pag. 396, 397. it. p. 400, 401.
(g) SCULTET. l. c. p. 193.

FRAUENFELDA (a) urbs Turgoviæ capitalis tum quoque cultui renunciavit idololatrico, cum ſimul harum terrarum incolæ legatos Tigurum (b) mitterent, ad indicandum quam reformata ſacra eſſent amplexi, atque orandum ut vellent ipſis idoneos ſubmittere verbi miniſtros.

MELLINGENSES à Bernenſibus confortati, ſpretis pagorum reliquorum minis, d. 27. Martii, idola non ſolùm ac imagines removerunt, ſed & easdem in coemiterio publico flammis tradiderunt, atque eos, qui priſtinæ ſuperſtitioni renunciare nolebant ſacerdotes dimiſerunt; Eſt autem plena Zeli atque virtutis Chriſtianæ Epiſtola, quam iidem tum de ſuo hoc negotio dederunt ad Bernenſes. (c)

Sed & Cœnobium WETTINGENSE (d) in comitatu Badenſi, cujus abbas tum Georgius Mellerus Badenſis erat, totum, exceptis duobus tantùm fratribus, in reformationem conſenſit atque d. 23. Auguſti Miſſam Imagines & reliqua Sacra papiſtica abolevit, cum Tigurinis & Bernenſibus conſociationem iniit, Scholam ad inſtar ſcholæ Cappellenſis erexit, quamvis vel ita tamen nec imagines combuſſerint nec reliquerint ipſum monaſterium, in quo permanentes, tempus concionando, verbumque Dei annunciando, & Pſalmos lingua vernacula decinendo aliisque exercitiis ſacris tranſigebant.

Quæ res Johannem Oecolampadium incitabat, ut eximiam hanc ad fratres ejus Cœnobii d. 25. Auguſti daret Epiſtolam (e):
„ Gratia & Pax in Chriſto. Venerandi atque dilecti in Chriſto
„ Patres ac fratres; Dici nequit, ubi apud nos rumor crebrior
„ increbuit, hoc tandem reipſa vos eſſe profeſſos, quod hacte-
„ nus in ſpeciem facere habiti eſtis, quanta piorum & fidelium
„ omnium audita eſt gratulatio: quantæque Deo dictæ ſunt gra-
„ tiæ, qui vos filios lucis eſſe hac tam inſigni veſtra converſione
„ de-

(a) SCULTET. l. c.
(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 467.
(c) RUCHAT. l. c. p. 393. *L'on peut voir dans Stettler leur lettre toute entiere, qui eſt pleine de courage & de zele.*
(d) HOTTING. Helv. K. G. p. 473.
(e) ZWINGL. & Oecol. Ep. L. IV. fol. 197. a.

„ declaravit. Offenduntur quibus onerosa est veritas. Speciosi „ operis, quod nimirum approbant angeli in cœlis, nulla vos „ pænitudine duci oportebit unquam. Hoc certe non fuerit ma- „ num ab aratro abstrahere ac respicere, ut calumniari quidam „ possunt. Et quid est tam altum, quod maligni non calumni- „ antur? quid tam pium, quod non carpunt? Etiamsi hodie „ Christus secundum carnem ageret in terris, non careret ob- „ trectatoribus. Quis igitur satis adversus illos munitus erit? „ Sed non despondemus animos. Mundum vicit Christus, den- „ tes peccatorum confregit: facile à vobis quoque contemnen- „ tur. Equidem dum pristinam vitam vestram cogito, animad- „ verto eam non ad ipsissimam Christi regulam, quæ in chari- „ tate, in innocentia vitæ, & fide in Deum consistit, sed ad „ humanas compositam constitutiones, quæ externis simulatio- „ nibus Deo nos odiosos reddunt, si quidem illis fidatur, vera- „ que negligatur pietas, & vobis vana opinione ludificando im- „ ponunt, quanto satis ad justitiam videtur impune injustos, & „ magis haberi quàm esse justos. Quid enim aliud est simulata „ castitas, commentitia paupertas, extorta obedientia? Quanto „ satius est hasce virtutes per Christum sic amplecti, ut coram „ judice securi compareamus? Sanctius utique conjugium, sor- „ dido cælibatu. Securius est sic possidere ut pauperes Christi „ juves, quàm egere ut eosdem aggraves. Christianius est liber- „ tate spiritus non destitui, quàm serviliter conscientias in servi- „ tutem redigi. Bene igitur fidite in Domino: cui hoc unum „ debemus, ut credentes in Christum innocenter vivamus, cha- „ ritatem in conscientia non ficta servantes. Quò nunc vos mi- „ rabili gratia vocavit. Pergite igitur, & vocantem in gloriam „ Evangelii sui audite, ne tam carnis, quàm spiritus libertatem „ sequuti esse videamini. Sed videant homines vestra bona ope- „ ra, odium inquam hypocriseos, amorem fratrum, misericor- „ diam, decentem Præpositorum observationem, puritatem vi- „ tæ, constantiam in aspernandis hujus mundi periculis, ingen- „ tem futuræ vitæ spem: & sic glorificent patrem vestrum in „ cœlis, qui vos tueatur. Ei sit gloria in secula Amen. *Basileæ* „ 25. Augusti. „

Quod

Quod ad SOLODURIENSES, in medio harum revolutionum semper apud eos fuerant, qui Evangelio favebant (a); Quanquam enim jam A. 1523. pæne in herba quoque suppressa fuisset Messis Evangelica (b), quando monachi cujusdam instinctu, magistratus, clam civibus decrevit, „ se ad exemplum Lu- „ cernensium, Doctrinam hanc, quæ dicebatur Lutherana, ever- „ surum esse „ atque in hujus decreti effectum, Melch. Macrinum tum Ludi-Magistrum, Philippum Grossium Tugiensem, Ecclesiasten, & quatuor alios urbe ejecit, & alios quosdam propter Κρεοφαγιαν diebus nefastis, in exilium pepulit: Tamen ea tum ita prorsus extingui non poterat, ut non indies quoque de novo quædam propullularent herbascentis segetis germina, quæ saturam polliceri videbantur messem. Id saltem certum est, fuisse apud eos, post Disputationem Bernensem, viros quosdam optimates, qui Evangelii luce collustrati sibi Verbi ministrum expetebant, quem in finem ad Jo. Oecolampadium cum scripsissent, is hanc rem singulari scripta epistola præcipuè Wolfg. F. Capitoni (c) Theologo tum Argentoratensi commendavit, ubi inter alia: „ Sunt ejus civitatis viri quidam optima- „ tes qui Apostolum optant, curaturique sunt ut audiri apud ip- „ sos tutò possit, & sic quamprimum Satanæ tollatur impietas. „ Res hæc negligenda non est &c. Messis multa & operarii „ pauci. „ Cæterùm ingens ibi tum quoque propter animorum dissensionem suscitata turba fuit, cujus tamen exitus Evangelii causam promovit, ut quoque primò, duo Solodurensibus (d) fuerint concessi Pastores Evangelici, cui sub finem anni hujus accessit tertius, *Otherus*, vir præclari nominis & cujus jam alia in Ecclesiam Solodurensem erant merita.

BREMOGARTI (e) (qui locus tum octo pagis, jam verò inde ab A. 1712. duobus Tigurino & Bernensi, & ex parte octa-

va

(a) Conf. §. XCII. pag. 248.
(b) HOTTING. Helv. K. G. pag. 126.
(c) Hanc Epistolam Oecolampadii cum in autographo haberemus eam retulimus inter Docum. huic volumini subjecta No. XXVI. p. 142, 143.
(d) HOTTING. Helv. K. G. p. 477.
(e) SCULTET. l. c. p. 192, 193.

va Glaronensi paret) Decanum Ecclesiæ agebat *Henricus* BULLINGERUS Henrici Tigurini Pater (a): Is post viginti trium annorum ministerium, ad veritatem Evangelicam, cujus jam antea sæpe scintillas senserat, conversus, sub initium mensis Februarii hujus anni publico sermone (b) professus est, „ se per „ annos 23. equidem auditores suos docuisse, ea quæ vera crediderat: sed cum in cœcitate sua versatus fuisset, se quoque non „ nisi meras tenebras illis exhibere potuisse; se itaque Ejus rei „ jam apud Deum petere veniam, atque imposterum, divina adjuvante gratia, puram salutis viam ex solis Sacris literis hauriendam illis monstrare velle, eosque ad solum Jesum Christum „ manuducere. „ Ea res quod insueta videretur plurimis nec ferenda cumprimis Pontificiis, per *Honeggerum* Prætorem Quinque pagicis denunciabatur, qui ne quid res papistica detrimenti caperet providerent, dum interea jam doctrinæ puriori faventes multi ad Tigurinos, qui ipsis subvenirent rem referunt: Enimverò parùm abfuit, quin seditio illa inter cives exorta in mutuam cædem degenerasset, nisi post multas & acerrimas contentiones opera Tigurinorum legatorum eò tandem plurimorum vota fuissent directa, „ Missam & reliquam inventionum humanarum „ farraginem abrogari debere, Imagines autem abolendas, atque „ certo cuidam loco includendas; Advocandum esse (Henricus „ enim Pater loco cedere debuerat (c)) novum Pastorem Evangeli- „ cum &c. Ea vota cum Bernensibus (d) innotuissent, hi statim per missos legatos, Bremogartenses in hoc studio corroborare, ad

 con-

(a) De eo jam quædam observavimus in *Introduct.* §. LVIII. p. 125.

(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 457. RUCHAT. l. c. p. 394.

(c) *Henr.* BULLING. Fil. in diario suo ad A. 1529. hæc annotavit: *Parens noster è patria propter confessam veritatem ejectus est. Dixerat pro concione publica, hactenus se Ecclesiam Bremgartensium Papistica seduxisse doctrina, peccasse autem se hac in re ignorantem: nunc verò paratum esse illos in doctrina Christi erudire, si ferant. Verùm tumultuantes officio dejectum civitate pepulerunt. Ipse verò Tigurum venit & negotium Senatui exposuit, qui multa pro Evangelico negotio egit. Tandem effectum est, ut Gervasium Scholasticum, virum pium & doctum deligerent in Pastorem cives.* v. Miscell. Tigur. Tom. I. Fascic. II. p. 22, 23.

(d) RUCHAT. l. c. ex instruct. Bernens. 286.

concordiam fraternam excitare atque ut firmiter Evangelio, ab iis adeò laudabiliter recepto inhærerent hortari, non desistebant.

Sic itaque rebus conversis *Gervasius Schulerus* qui tum in Alsatia in Ecclesia Bischwilensi non procul ab Argentorato ministerio fungebatur, ipsis in Pastorem missus est; Ita tamen ut ipsius Ecclesiæ Bremgartensis nutu *Henricus* BULLINGERUS filius (a), ludimagister hactenus Capellensis, sæpiusculè quoque in Ecclesia patria concionatus fuerit, donec is eodem hoc anno d. 5. Augusti ordinarius Bremgartensium Pastor & Schuleri collega constitueretur.

§. CXXVI. Sed duas hoc anno celebratas inter Evangelicos commemorare juvat Synodos, quarum altera TOGGENBURGI, altera FRAUENFELDÆ urbe Turgoviæ celebrata est.

In civitate enim TOGGENBURGENSI d. XIII. Februarii hujus anni (die Saturni ante *Invocavit*, quo modo prima dominica dicitur quadragesimæ, à cantione ex Ps. XC.) Synodus quædam coacta fuit Nationalis, in qua Senatus universus omnesque Ministri Verbi divini congregati, quindecim articulis, ea quæ ad ecclesiæ regimen spectare poterant, definiverunt: Erant inter hæc; „ Quotiescunque ecclesia (b) eucharistiæ Sacramen-„ tum expeteret, toties à ministris id esse administrandum. Cum-„ primis verò, atque ad minimum, illud in tribus festis majoribus „ anniversariis administrari debere. Quemvis Pastorem auditori-„ bus suis quotidianam inculcare debere peccatorum apud Deum „ confessionem ac pœnitentiam. Licere verò etiam unicuivis, „ conscientiæ vinculo qui constringeretur privatim adire consul-„ tandi gratia Pastorem, qui eum ex Dei verbo unicè informet. „ Nemini concionatori licere, res novas moliri, aut quicquam „ novi, quod non prius vel usu venisset vel communicatum fuisset „ reliquis fratribus, constituere &sim. „

Non

(a) Verba BULLINGERI l. c. p. 23. hæc sunt: „ d. XVI. Maji in „ frequentissima Ecclesia (erat enim festum Pentecostes) primum prædi-„ cavi Christum patriæ meæ. Nec in vanum. Postera enim die eruerunt „ aras, & exusserunt simulacra, legesque promulgarunt contra blasphe-„ mos, adulteros, ebrios &c. „ cf. HOTTING. Helv. K. G. p. 458.

(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 460. RUCHAT. l. c. p. 398.

Non minus tamen celebris est ea quæ d. vel x. vel xII. Decembris hujus anni FRAUENFELDÆ (a) coacta est Synodus itidem nationalis, cui præter ministros *Turgoviæ* omnes, & Zwinglius & Jo. Zwickius Constantiensis, aliique plurimi ad numerum quingentorum magno Ecclesiarum Helveticarum bono interfuerunt; Sunt enim in ea varia doctrinæ pariter atque disciplinæ capita in ordinem redacta atque definita, simul verò etiam cum Anabaptistis disputatum est, & varii Ecclesiæ ministri propter doctrinæ defectum à ministerio sunt remoti:

Eodem hoc anno fœdus cum Ferdinando Rege pangebant Quinquepagici, acerrimi Evangelii hostes (b), cujus rei indignitate commoti, Tigurini & Bernates copias suas in illos educunt: Et Tigurini quidem edito scripto causam cur ita faciant, exponunt & multas illorum recensent injurias, in quibus etiam, hæc erat, „ quod ipsorum cives nonnullos (c), quum pecu-„ niam sibi debitam reposcerent, Switenses verberibus affecissent, „ quod Unterwaldii ipsorum atque etiam Bernæ & Basileæ & „ Argentinæ civitatis insignia suspendissent ad patibulum, quod „ fœdus hoc cum Ferdinando fecissent, ut Religionem oppri-„ merent, in quo pactum esse dicunt, *ut quicquid ipsorum agri* „ *cis Rhenum*, *auxilio Ferdinandi caperetur*, *id illis omne cede-*„ *ret.* Qua quidem ex re facile est, (inquiunt) videre, hoc „ ipsorum esse consilii, ut externis copiis adjuti, nos è finibus „ nostris ejiciant. In quo sane, non modò jus naturæ sed & ipsa „ pacta violant, quando videlicet in nostram perniciem, cum „ illo conjurant hoste, quo non alium habet nostra natio vel „ antiquiorem vel infestiorem, in quo debellando tot nunc an-„ nis, inde à primordio nostri fœderis, tanta consensione vires „ & robur omne simul communicavimus. „

(a) v. SCULTET. dec. II. p. 194. it. HOTTING. Helv. K. G. p. 479, 480.

(b) vid. SLEIDAN. fol. 102. b. conf. RUCHAT. l. c. p. 399. sq.

(c) Accedebat, quod apud Lucernenses *Murnerus* varios libellos famosos adversus Tigurinos & Bernenses impunè emisisset. cf. RUCHAT. pag. 402.

Fuit tamen, productis utrinque copiis (a), & positis castris, interventu finitimorum, *Glaronensium*, *Basileensium*, *Solodurensium* & *Scaphusanorum*, *Argentinæ* item civitatis, tum quoque composita res, ne in nervum erumperet, & discessum est ab armis, pactumque inter alia (b), „ ne religionis causa bellum inter ipsos „ esset, utque deinceps à maledictis abstineretur, constituta gra- „ vi pœna. Quando simul Acta confœderationis inter Ferdinan- „ dum & Quinquepagicos discindebantur atque irrita declara- „ bantur. „

Est ea PAX d. xxvi. Junii inter utramvis partem sancita AROVIÆ atque septendecim articulis comprehensa, multis modis Evangelio proficua, tantoque notabilior, quod quæcunque abinde locum habuerunt inter Reformatos & Pontificios sive Conventiones sive Pacis formulæ, semper ad hanc *Pacem Religionis* inter Helvetios utriusque partis omnium primam *Aroviensem* provocaverint; Interea tamen compertum est neutram partem alteri satis fidisse, aut ea pace fuisse contentam; Pontificiis molestum (c) erat, quod tantum concedere debuissent Reformatis, quos internecino prosequebantur odio, omnemque captabant occasionem, hostilem, quem in ipsa pace nunquam deposuerant prodendi animum. Zwinglius verò etiam, cui non ignota erant hostium Evangelii consilia animusque, non minus ægrè ferebat, quod sui negligentius aliquantisper in hac causa versati essent, nimium concedendo reliquis, eosque adeò molliter tractando; quippe qui judicabat „ Reformatos sua fortuna melius usuros si plane subegissent reli- „ quos eosque sibi subjecissent, veritus, ne veteres injurias reno- „ varent, Spiritumque brevi resumerent: „ Neque fefellit virum perspicacem præceptum judicium, id quod tristissimus deinceps even-

(a) Zwinglius ea occasione notum illud inter Helvetios canticum confecisse dicitur: *Herr nun heb den wagen selb.* HOTTING. l. c. p. 470.

(b) Ipsam Tractatus pacis tum inter litigantes Pontificios & Reformatos conclusæ formulam ejusque articulos nobis ex originali Germanica in Gallicam linguam conversos, suppeditat doctiss. Ruchatus inter Documenta Tomo II. subjecta n. VI. p. 528——546. Brevem hujus conspectum habemus apud HOTTINGERUM Helv. K. G. p. 471, 472.

(c) RUCHAT. T. II. p. 428. sq.

eventus docuit. Certè Quinquepagici cum arma ponerent, simul arctissimo fœdere (a) in tuitionem ac defensionem pristinæ religionis coierunt, atque jurejurando semet invicem adegerunt in vindictam de iis sumendam, qui novæ religioni studerent vel ei promovendæ operam navarent. Quid? quod mense Novembri jam clandestino quoque consilio Ordines Pontificii Prætorem Tugiensem mitterent ad Carolum V. Imperatorem eum instigantes ad Bellum in Pagos Reformatos suscipiendum suaque ipsi offerentes auxilia (b); dum interea Ecclesiastici multis modis adversus ipsos quoque Principes, uti ipsis videbatur, negligentiores plebem concitarent, ac in eos, quod non ea, qua ipsis æquum videbatur, vigilantia dicam an violentia rem aggrederentur, aut Reformatos omnes internecioni addicerent, debacchabantur, illud solenne ingeminantes: *Pabst*, *Keyser* (c) *und König sey ein bub wie der andere.*

§. CXXVII. Cæterùm, quod Zwinglius hoc anno causam Eucharisticam in Colloquio Marburgensi auctoritate Philippi Hassorum Principis instituto vindicaverit, quodque tum inter Lutherum & Zwinglium, primarios in hac causa contendentes, consentientibus reliquis, quædam fuerit sancita Concordia (d), non ea tamen constans aut diuturna, id ad Historiam spectat litis sacramentariæ singulari opera illustrandam. Redux verò Marburgo ZWINGLIUS A. 1530. novum edidit ad Illustrissimum Cattorum Principem Philippum libellum, sub titulo (e) *Anamnematis de Providentia Dei* &c. De quo ut paucis agamus operæ censemus pretium, inprimis cum duriora quædam ejus libelli effata, quæque alia meliori ratione excusari non possunt, quam qua etiam

 Lu-

(a) HOTTING. Helv. K. G. p. 472. ex Bulling. Ref. MSS.

(b) RUCHAT. ex MSS. l. c. p. 429.

(c) RUCHAT. l. c.

(d) Conf. que in hoc Opere §. LXXXIV. p. 213. seq. jam tradidimus.

(e) Titulus ille procul dubio alludit ad Concionem de Providentia Dei Marburgi, præsente Principe, habitam; Cùm enim deinceps eam scripto sibi tradi petiisset Princeps, Zwinglius ejus memoriam hoc libello refricat, atque aliquanto etiam uberius illud argumentum exponit.

Lutheri effata in diatriba *de Servo arbitrio* duriora excusantur ab ejus asseclis, ansam multis suppeditaverint, atrociter insectandi Zwinglium, nostramque doctrinam cavillandi, quasi Deum faceremus auctorem mali, eumque vitiis nostris inscriberemus: *Primò* igitur dicimus, quod, si qua in verborum duritie à recto aberravit (quod diffiteri nolumus) Zwinglius, id saltem à Lutheri asseclis exprobrari nobis omnium minimè debuisset, quippe cum Lutherus nihilo mansuetioribus in eodem hoc negotio usus fuerit verborum formulis, quas tamen in ejus vel in asseclarum ejus opprobrium ingeminandas ipsis esse, iniquum judicamus. *Secundò*, nemini totum libellum perlegenti potest esse obscurum, Zwinglium distinguere semper, (jurène an injuria id fiat, non inquirimus,) *actionem* creaturarum rationalium, & *actionis formam*; *Actionem* totam, qualiscunque ea sit, & dependere & dirigi, quin imò effici sciscit à Deo (a) rerum omnium auctore, gubernatore atque causa unica. *Formam* verò actionis, per quam ea legalem sese prodit vel illegalem, ita soli homini adscribi debere inculcat, ut nequidem ulli legi Deum (b) posse esse subjectum, nedum, ut facere pos-

(a) Sic enim verba sonant pag. 57. b. editionis primæ quæ Tiguri 1530. 8. prodit: „ Omnia quæ circum hominem fiunt, sive ad corpus, sive „ pertineant ad animam, à Deo sunt tanquam vera & sola causa, ut nec „ peccati *opus* ab alio sit quam à Deo, quantumvis illi *non sit peccatum*. „ Huc spectant etiam illa quæ pag. 37. a. leguntur: „ Numen ipsum auc„ tor est ejus, quod *nobis* est injustitia, *ipsi* verò nullatenus est. „ Quæ effata, convenienter illi quam diximus observationi, exponi debent, atque conferri cum iis quæ p. 39. a. occurrunt prorsus egregia; „ Justus in„ justos redimit, ut redemtus agnoscat, unum ac solum justum esse „ Deum, & videat quanta res sit peccatum, & injustitia, tanta videlicet, „ quanti eam expiari oportuit. At cum Dei filio sit nostra injustitia re„ demta, constat, *nihil tam esse contrarium Deo quam peccare*; & è di„ verso nihil tam gratum esse, atque justitiæ & innocentiæ studium. „

(b) vid. pag. 32. a. *Ex quo colligitur; Quod quæ nobis leges sunt, Deo lex non sunt: quis enim legem ei ferret, qui summus est, aut quis eum doceat, qui lux est? Illi ergo natura & ingenium sunt quæ nobis lex sunt.* & p. 42. a. *Nam cum lex homini est data, semper peccat, cum contra legem facit, quantumvis nec sit nec vivat nec operetur nisi in Deo & ex Deo & per Deum. Sed quod Deus operatur per hominem homini vitio vertitur non*

possit malum (*), affirmet. *Tertiò*, Zwinglium in ea fuisse hæresi patet, quod causæ secundæ non ritè vocentur causæ, quodque adeò, id quod est, à solo Deo esse dici debeat; à quocunque demum proximè proveniat, quippe cum Deus sit una ac sola rerum universarum vera causa. (a). Et *Quartò*, quod exinde consequitur, statuit is, contingentia veri nominis & quæ dicuntur fortuita in rerum natura non esse, quippe quæ & ipsa prævisa sunt & præstituta. (b) *Quintò* monet, nobis non licere arcanas providentiæ divinæ rationes ruspari (c), quin sobriè potius parcè & castè

non etiam Deo. Hic enim sub lege est, ille liber legis spiritus & mens. Cumque divinam providentiam dicimus hoc aut istud crimen fecisse quod hic aut alius patravit, jam impropriè *loquimur, quantum enim Deus facit non est peccatum, quia non est contrà legem..... Unum igitur atque idem facinus puta adulterium aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris ac impulsoris, opus est, crimen non est, quantum autem hominis est, crimen est ac scelus.*

(*) Sic. p. 73. b. „ Summa potentia non est (Deus) nisi omnia possit, „ quantum ad *legitimum posse* adtinet, nam *malum facere* aut seipsum „ deponere, aut in se converti hostiliter, aut sibi ipsi contrarium esse „ posse, impotentia *est non potentia.* „

(a) p. 16. b. *Ex Deo igitur tanquam fonte, ac si fas est sic loqui materia universa existunt, vivunt & operantur: Imò in ipso, qui præsens ubique est, & juxta ipsum, qui omnium esse existere ac vivere est, omnia sunt.*

(b) Aurea sunt verba p. 18. b. „ Quibus discimus, ea quoque quæ „ fortuita sive contingentia vocamus, non esse fortuita aut temeraria, sed „ Numinis jussu & dispositione cuncta geri. Cujus mens non vilescit „ rerum humilium cura, sed patefit illius bonitas & perfectio, cum nihil „ dedignatur eorum quæ facit, & tam absolutè sapiens ac potens est, ut „ citra laborem & ratiocinium cuncta videns vigilans & diligens operetur. „ conf. pag. 24. a.

(c) *O profunditatem Sapientiæ liberalitatisque Dei. O contra imperitos ac rudes rerum nos miseros, qui nondum hoc didicimus, quod dum sic quærimus, cur hac conditione hominem creaverit Deus, carnis suggestione id fiat, quæ non jam animum, cui pondus ac remora est imposita, pro suis tum factis tum consiliis exigit, sed Deum quoque rerum gestarum rationem postulare audet, Cur fecisti me sic? cum nullius artis aut scientiæ fontes quisquam mortalium sic noverit, ut quicquid ad illam pertineat non ignoret.* vid. pag. 28. b.

& castè totam hanc doctrinam esse proponendam, ne occasionem imperiti hinc arripiant mysteria religionis Christianæ proscindendi. (a) Atque hæc quidem hactenus, cum alioquin facilè concedamus, durius aliquantisper in hoc libello Zwinglium, fuisse locutum, atque etiam, quidni enim id apertè diceremus, eum tam in capite *de salute infantum*, quam in capite *de salute gentilium*, à recto tramite aberravisse, quippe qui etiam disertis verbis & ex professo (b) diffitetur „ id universale esse, quod qui „ fidem non habet damnetur „ censet enim, „ eum tantùm in- „ telligi qui fidei rationem exponi audivit, & in perfidia perstat „ ac moritur, atque eum forte inter miseros abjici debere; „ quandoquidem inde illud deducit: „ Nihil enim vetat, quò mi- „ nus inter gentes quoque Deus sibi deligat, qui sese reverean- „ tur, qui observent, & post fata illi jungantur, Libera enim „ est electio ejus. „ Sed hæc monuisse verbo, sufficiat. Insunt enim alioquin quædam etiam huic libello prorsus eximia (c), quæ-

(a) Ea saltem ratione ZWINGLIUS ipse jam inter alia respondebat in Epist. lib. I. pag. 29. apud HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. IV. pag. 304. „ Sed heus tu, castè ista ad populum & rarius etiam: Ut „ enim pauci sunt verè pii, sic pauci ad altitudinem hujus intelligentiæ „ perveniunt! „

Vix enim ipse Zwinglii tractatus prodierat, quin phraseologia ejus de auctore peccati quosdam ita offenderet, ut sinceris etiam æstimatoribus ejus aqua subinde hæreret: Certè *Johannes Cousardus* Gandavensis, jam tum quoque singulari epistola Zwinglium ea de re monuit, quam Epistolam Historiæ suæ l. c. p. 299. sq. inseruit HOTTINGERUS. Quæ verò deinceps à *Phil.* NICOLAI & aliis Lutheranorum Doctoribus, quasdam incommodas Zwinglii phrases præter omnem decentiam exagitantes sunt allata, ea nequidem ut refellantur, nedum ut recenseantur sunt digna. Nos nullò modo diffitemur, Zwinglio, Luthero, quin imò etiam Augustino, in hac materia abstrusissima aliquando quædam excidisse, quæ officiunt teneris auribus, nisi commoda interpretatione leniantur; conf. MOLIN. Anatome Arminianismi cap. III. §. 22. pag. 14. & MASSON Anatom. Univ. triumph. cap. XXXIV. fol. 493, 494.

(b) vid. pag. 55. & 56.

(c) Huc referimus ea quæ de communione Eucharistica habet pag. 48. a. b. itemque de Termino vitæ pag. 59. a. & de nomine Sacramentariorum p. 50. b. *Ii jure Vocantur Sacramentarii qui Sacramentis tribuunt quod*

quæque quod illuminatos cumprimis in veritate habuerit sensus Reformator noster, nullo pacto propter hæc illave minus commodè dicta, aut propter sententias quasdam à vero aberrantes, adeo procaciter traducendus, evincunt; inter quæ emicat illud quod de Fide is profert (a) hunc in modum. „ Quum ergo Fi-„ des ea lux & securitas animi sit, qua scit se agnoscere unum „ illum ac verum Deum, unum illum salutem suam & copiæ „ cornu esse; Eundem quoque tam divitem esse, ut omnia pos-„ sit & habeat; Deinde, tam benignum ac liberalem, ut volens „ det & dare gaudeat. In hoc enim tradidit Filium suum nobis, „ ut opum illius fieremus participes. Cum inquam Fides ea lux „ & pastus animi sit, confieri aliud non potest, quam fidem „ justo, hoc est, ad hunc modum fidenti ac securo de bonitate „ & hæreditate Dei, vitam esse ac robur, quo se devotum tue-„ tur ab omni adversitate. At ea vis non est ab ipso homine ... sed „ à solo Deo. „ Ne alia ejus generis commemoremus.

§. CXXVIII. WALDENSES (b) in Provincia Gallica supra ducentos annos vixerant, è Pedemontio, unde earum origo arcessi debet, in Provinciam Galliæ (*la Provence*) profecti, ubi

Eee magno

quod non habent, & à simplici in Unum Deum fiducia, ad signorum virtutem magnificis quidem sed fictis & ementitis promissionibus abducunt.... illud hominum genus quod Symbolis tribuit ea, quæ solius divinæ virtutis sunt, & Spiritus Sancti immediate operantis in animis nostris, quod vel symbola vel verbum externum tantum annunciant & significant.

(a) pag. 52. b. Enimverò, hic illud quoque diffiteri non possumus, lusum non semel committi à Zwinglio in vocabulo *Fidei*, quod interdum ab ipso strictè sumitur pro fiducia in solius Christi merito posita: uti fic v. g. in lib. de vera & falsa religione. „ Tunc primum liber es à pec-„ cato, quum se mens inconcussè credit morti Christi, quum in ea ac-„ quiescit „ alibi verò extenditur ad illam quoque *generalem in Deum fiduciam* denotandam, quæ *ex naturæ lumine* etiam iis potest obtingere qui mysteria salutis ignorant; Errat autem vir eximius, in eo, quod utramvis fidem judicat esse salutarem!

(b) Hanc genuinam Waldensium ex Pedemontio originem erudito tractatu illustravit *Petrus* ALLIXIUS, Vir Summus, sub titulo *Animadversionum quarundam ad Historiam Ecclesiasticam, antiquarum Ecclesiarum Pedemontii*, lingua Anglicana editarum Londin. 1690. 5.

magno labore terram ſterilem fœcundam reddiderunt. In exigua cognitionis luce, inſigni pietate Deum coluerunt (a), nullis parcentes ſumtibus, ſive libri Scripturæ parandi, ſive optimo ingenio homines inſtituendi, ſive ad longè diſſita loca aliqui mittendi eſſent.

Hi, cum intellexiſſent, Eccleſias in Germania & Helvetia non paucas eſſe Reformatas, hoc anno duos Paſtores (quos *Barbas* vocant) Georgium Maurelum Delphinatem, & Petrum Latomum Burgundum miſerunt Bernam, Baſileam, Argentinam, ubi cum Theologis de doctrina conferrent, cum Bertholdo Hallero *Bernæ*, cum Jo. Oecolampadio *Baſileæ*, cum Bucero & Capitone *Argentinæ*.

BASILEAM cum veniſſent, ſalutato Oecolampadio, ſtatum Eccleſiæ ſuæ expoſuerunt, & quibus de rebus ab eo vellent erudiri, indicarunt. Oratione nervoſiſſima & ſimplici pietate conſpicua, quam ob rei memoriam operæ pretium judicavimus his Annalibus noſtris inſerere, verba licet non parum à Romana cum eloquentia tum elegantia abhorreant:

„ Salve mi Domine benedicte Oecolampadi. Quia multis referentibus ad noſtras aures percrebuit, qui omnia poteſt, affeciſſe te benedictione Spiritus ſui; ut facilè ex fructibus cognoſcitur; Ideò à longinqua regione animo vehementer exſultante ad te venimus, ſperantes atque multum confidentes, prædictum Spiritum per te nos illuminare, enucleareque multa, quæ noſtræ ignorantiæ ac pigritiæ culpâ ſunt nobis ambigua, etiamque admodum tecta, & hoc, ut valdè, timeo, in gravem noſtri, &, quam tam inſufficientes docemus, plebis perniciem.

„ Quandoquidem, ut rem ſemel capias, ſumus qualeſcunque doctores cujuſdam plebis indigæ & puſillæ: quæ jam plusquam *quadringentis annis* imò ut frequenter noſtrates narrant, à *tempore Apoſtolorum*, non tamen, ut facilè judicarunt quique

„ pii,

(a) Hæc omnia ex Actis Martyrum enarravit SCULTETUS in Annal. dec. II. p. 294. & ſeq. qui & ex reliquiis Bibliothecæ Oecolampadianæ, cum Sermonem Waldenſium a p. 295——306. tum ſcriptam Oecolampadii ad eos Epiſtolam Reſponſoriam p. 306——315. Annalibus ſuis inſeruit atque æternitati conſecravit.

„ pii, citra Christi ingentem favorem, inter spinas sævissimas
„ commorata est, crebroque iisdem spinis puncta atque cruciata,
„ prædicto favore liberata est. Quare ut nobis consulas, debi-
„ lesque nos consolides (frater enim a fratre adjutus est sicut tur-
„ ris fortis) audi, si cordi est, *ritum*, & qualemcunque *ordinem*,
„ quem inter nos ministros habemus.

„ In primis quotquot sunt recipiendi inter nos, cùm adhuc
„ sunt apud suos, rogant genibus curvis non ob alium finem,
„ quàm ut præ se ferant humilitatem, quosque inveniunt ex no-
„ stratibus receptis, ut se si libeat, in ministerium admittant;
„ pro seque, ut digni tanto officio fiant, intercedant apud Deum.
„ Et cùm in unum convenimus, annunciantur prædictorum ro-
„ gationes omnibus fratribus audientibus. Et sic prædictis, si
„ habuerint bonum testimonium, omnium fratrum consilio datur
„ docendi locus. Verùm omnes nostri recipiendi emanant ferè
„ à bestiarum custodiâ aut ab agriculturâ: ætatisque viginti
„ quinque, & plerunque triginta annorum, & prorsus literarum
„ expertes. Et inter nos trium, aut ad summum quatuor anno-
„ rum, tantùm duobus aut tribus mensibus hybernis probantur,
„ si congruis præstent moribus. Et etiam his mensibus docen-
„ tur literas conjungere & legere: & memoriæ mandare omnia
„ Matthæi & Joannis, omniumque epistolarum, quæ dicuntur
„ Canonicæ, capitula, & bonam partem Pauli. Et posthæc du-
„ cuntur prædicti recipiendi ad quendam locum, ubi nonullæ
„ nostræ mulierculæ, quas dicimus sorores, agunt vitam in vir-
„ ginitate. Et in hoc loco prædicti demorantur annum, & non-
„ nunquam duos, incumbentes præsertim, ut verum fatear, ope-
„ ribus terrenis. Consumpto autem hoc tempore, Eucharistiæ
„ sacramento, impositioneque manuum, discipuli prædicti susci-
„ piuntur in Presbyterii & prædicationis officium: & hoc modo
„ instructi ac edocti ad evangelizandum bini emittuntur. Verùm
„ tamen talis mos observatur, ut omninò qui priùs susceptus
„ fuerit, sequentem semper honore, dignitate & administratione
„ præcedat, eique magister constituatur. Non audet enim se-
„ quens sine præcedentis licentiâ, aliquid, quantumcunque mini-
„ mum, ut verbi gratiâ, bibere aquam, contrectare. Non ta-

„ men credimus esse peccatum, si secùs dictus sequens faceret: „ sed quia omnia honestè & secundum ordinem facienda, ad hunc „ finem prædicta facimus. Inter nos nemo ducit uxorem: tamen, ut verum fatear, (tecum enim cum multâ fiduciâ omnia „ loquor) non semper castè nobiscum agitur. Alimenta & quibus tegamur admodum sufficienter, gratis, locoque eleemosynarum nobis à plebeculâ quam docemus, administrantur. Diverso manuum artificio ad plebis obsequium, & ut evitetur ocium, utimur: sed, ut quod est dicam, plus sat occupati hoc „ artificio, scripturas nescimus.

„ Assueto more quotidianis matutinis & vespertinis temporibus, & ante & post prandium, anteque & post cœnam, & „ ad horam meridianam, & nonnunquam nocte cùm à somno „ excitamur, & post dictam concionem congregatâ plebe, genibus flexis per quartæ horæ spacium aut circa, in humiliatione à nobis orationes fiunt. At cùm manducare volumus „ aut bibere, semper ferè Oratio Dominica dicitur. Verùm „ quidem orationes hujusmodi non facimus superstitione aliquâ „ aut fide inani, sive alicujus temporis respectu, sed solo Dei „ honore & animæ utilitate moti. Omnia nostra temporalia, „ quæ satis affluenter solis eleemosynis prædictæ, ut dixi, plebeculæ, ad victum nostrum sunt abundantia, communia inter nos ministros habemus. A viventibus plebanis, & frequenter in articulo mortis versantibus, affluentes pecuniæ, & „ multæ aliæ res nobis exhibentur: quod accipere à morientibus „ mihi nunquam fuit cordi. In hoc tamen & in multis aliis tuam „ posco rationem.

„ Singulis annis semel omnes ministri acervamur in unum: ut „ generali consilio agenda nostra contractemus, & de loco in „ locum bini commutamur. Non enim plus quàm duos aut tres „ annos in uno loco commoramur: nisi fortè senes, quibus datur aliquando in uno loco commorari ad vitam. Præterea omnes, quæ nobis à plebecula sunt donatæ pecuniæ, traduntur „ in prædicto consilio generali in commune: quæ colliguntur „ à majoribus nostris. Et ex illis pars distribuitur iter facturis, „ prout illis necessarium videtur: & pars nonnunquam dictæ pe-

„ cuniæ

„ cuniæ egenis erogatur. Et priusquam ſejungamur â dicto con-
„ ſilio, omnes invicem noſtrorum erratorum veniam petimus.
„ Cùm quis in carnalitatis peccatum labitur, à noſtro conſortio
„ foràs expellitur, ab officioque prædicationis prohibetur: illi-
„ que ordinamus, in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo. In hoc
„ quoque multum poſco conſilium tuum. Hæc inter nos mini-
„ ſtros: quæ tamen poſt in hanc patriam adventum meum, ut
„ cognovi & edoctus ſum, maximè tui ſpiritus limâ indigent.

„ Ad hæc, Credimus Deum trinum & unum: humanitatemque
„ Chriſti creaturam: & ſic Patre inferiorem, & per ipſam Pa-
„ trem voluiſſe redimere generationem humanam: Chriſtum verò
„ Deum verum & hominem.

„ Credimus etiam Sacramenta ſacræ rei tantummodò eſſe ſig-
„ na, aut inviſibilis gratiæ viſibilem formam: bonumque eſſe,
„ hujusmodi ſignis & formâ nonnunquam, ſi poſſit fieri, fideles
„ uti: hos tamen citra hujusmodi ſigna & formam poſſe fieri ſal-
„ vos tenentes. In hoc, ut audio, erravimus, credentes plura,
„ quàm duo Sacramenta.

„ Nullum interceſſorem eſſe apud Patrem omnipotentem,
„ quàm Chriſtum, procul dubio tenemus: virginem Mariam
„ verò fuiſſe ſanctam, humilem & gratiâ plenam pro ſe, & ſic
„ reliquos ſanctos, & in cœlis expectare ſuorum corporum glori-
„ ficationem in reſurrectione mortuorum.

„ Poſt hanc vitam, patriam cæleſtem, & infernum, eſſe tan-
„ tùm, firmiter credimus: radicitùs Purgatorium ab Antichriſto
„ fictum abnegantes.

„ Confeſſionem peccatorum auricularem, non habentes ullum
„ ad tempus reſpectum, utilem ducimus: modò hoc fine fiat, ut
„ infirmis & ignorantibus, requirentibus conſilium, conſolatio-
„ nem & adjutorium ſacræ ſcripturæ ordine exhibeat.

„ Charitatem ſic ordinamus, ut ſupra omnia, etiam animam
„ propriam, Deum unusquisque diligat: poſt quem ſupra cætera
„ omnia animam propriam: poſt hanc verò animam proximi ma-
„ gis, quàm propium corpus: poſt hanc verò proprium corpus
„ magis, quàm proximi: poſt hoc proximi corpus magis, quàm
„ res proprias unusquisque amet, docemus.

„ Omnia ab hominibus inventa: ut omnium ſanctorum feſta, „ vigiliæ, aqua, quam dicunt, benedicta, nonnullis diebus „ parcere à carnibus, & hujusmodi: & præſertim Miſſas, ſem- „ per pro nefanda abominatione coram Deo duximus.

„ Plebeculam noſtram ſemel ſingulis annis, quia per diverſos „ vicos habitat, adimus: ipſamque perſonam in confeſſione clan- „ deſtinè audimus. Admonemusque conjugatos, ut invicem „ debito proprio honeſtè, & tantùm ad medicinam, & non ad „ voluptatis ſocietatem utantur: & tempore menſtrui & puer- „ perii, & cum jam inſtant partus, à dicto debito ſe cuſtodiant: „ & quantum poſſunt, ne ſint in hujusmodi & reliquis ſuæ fami- „ liæ ſcandalo, caveant. Et denique in dicta confeſſione admo- „ nemus omnes ſecundum ſuam qualitatem & capacitatem, ut „ pro viribus ſe abſtineant à peccatis, declarantes prout poſſimus „ doctrinam peccati à peccato. Cùm quis infirmatur, adimus il- „ lum vocati, admonitionibus & orationibus conſolaturi: & non- „ nunquam adimus infirmatos invocati, ſcientes eorum indi- „ gentiam, ut eis ſpiritualiter & corporaliter ſubveniamus. Cùm „ concionamur, ſumus duo ſimul ſedentes: Senior priùs loquitur, „ & poſtea alter. Et quia magiſtratum ſive poteſtatem tempo- „ ralem non ex noſtratibus habemus, ſed neceſſariò plebecula „ noſtra, velit, nolit, ditioni infidelium ſubmittitur: hortamur „ noſtros, ut ex ſeipſis duos aut tres probos viros, quibus invi- „ cem concordentur, ſeligant. Noſtris autem admonitionibus „ & doctrinis pertinacitate & obſtinatione obedire nolentes, ex- „ communicamus à praſi populi & ab verbi auditione, ut con- „ fundantur; dicentes, non debere dari ſanctum canibus, & ante „ porcos margaritas poni. Sunt enim plerique apud nos, quibus „ cùm datur acceſſus ad verbi auditionem, floccipendunt excom- „ municationem. Sacramentorum ſigna plebeculæ noſtræ non „ nos, ſed Antichriſti membra adminiſtrant. Veruntamen nos „ eis quid ſignificent Sacramenta ſpiritualiter, quantum in nobis „ eſt, reſeramus: & ne ullo modo ceremoniis Antichriſtianis „ confidant, orentque, ne illis imputetur peccatum, quòd ad „ abominationes Antichriſti audiendas & videndas ire coguntur; „ & ut hujusmodi abominatio velociter confundatur, & veritas „ habeat locum, verbumque Dei currat.

„ Præ-

„ Præterea, plebeculæ nostræ ne omninò juret, vetamus: neque „ ullo modo ducat choreas: omneque genus ludi, præterquam „ arcus aut alicujus armaturæ: neque ullis cantilenis inanibus & „ lascivis delectetur: neque ullo vestitu, colore diverso, super- „ fluo, scutulato, aut delicato, sive conscisso utatur.

„ Plebecula nostra in bona parte simplex, rustica, & in agri- „ cultura suo pane vescens: multumque, in locis, ob crebras per- „ secutiones, dispersa: magnoque spacio sejuncta. Nam ab unius „ extremitate ad aliam intersunt plusquam octingenta milliaria; „ subditaque ubique ditioni, sacerdotibus infidelium. Tamen Dei „ gratiâ ex ea non effluit aliquis aut aliqua unquam: aut rarò qui „ suspendatur, ditioneque prædictâ emandetur, aut lupanaria „ sectetur.

„ Quæ subduntur, nobis multum sunt ambigua atque tecta.

„ *Primò*, an inter verbi Dei ministros debeant ordinari dignitatum „ gradus: ut puta: Episcopatus, Presbyterii & Diaconatus. Vi- „ dentur enim ab Apostolo Timotheo & Tito præcipi, & Chri- „ stus caput ordinasse super Apostolos Petrum: interque ipsos „ Apostolos fuisse nonnullos, qui dicebantur columnæ. His ta- „ men gradibus inter nos non utimur. Et, an dictorum ministro- „ rum sit judicare?

„ *Secundo*, an à Deo ordinatum, potestates sive magistratus de- „ bere homicidas, latrones, & hujusmodi malefactores morte „ punire, an aliâ viâ, viventes & in amaritudine pœnitentes „ reddantur meliores. Dicunt enim nonnulli, potestatem ad hu- „ jusmodi punitiones, & non mortis timorem, gerere gladium: „ & Deum nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.

„ *Tertiò*, an leges civiles & hujusmodi ab hominibus inventæ, „ quibus circa temporalia mundus regitur, valeant secundum „ Deum: quia scribitur: leges populorum vanæ sunt.

„ *Quartò*, an liceat nobis plebeculæ nostræ consulere, ut interfi- „ ciant falsos fratres proditores, qui inter dictam plebeculam sæ- „ piculè pullulant: cùm in hujusmodi non habeamus ullo modo, „ quâ puniantur tales proditores, ditionem temporalem. Exo- „ riuntur enim, ut rem sanè intelligas, inter dictam plebeculam „ falsi fratres: qui clàm accedunt ad Antichristi membra: ut

„ puta,

„ puta, monachos, Episcopos, ditionem temporalem, & hujus-
„ modi dicentes, Quantum vultis nobis dare? & in manus vestras
„ Waldensium doctores trademus: scimus enim ubi lateant: (non
„ quidem ubique palàm apparere audemus.) Et sic inter eos con-
„ ventione factâ, prædicta membra tempore nocturno veniunt
„ cum manu armata ad nos capiendum, sæpè nemine sciente:
„ quo fit, ut ex hoc plebeculæ nostræ gravis exoriatur persecu-
„ tio, & nos miseri plerunque uramur, & nonnunquam multi ex
„ plebecula, aut alioqui ingens prædictis membris exhibeatur
„ pecunia.

„ *Quintò*, an liceat, illum cujus sua necessaria injustè retinen-
„ tur, nulloque ea modo habere potest, à retinente quantum re-
„ tinet, si fieri possit, ipso nesciente sumere: & an ullo modo
„ fidelibus liceat, propter litem definiendam, infideles judices
„ adire: quia illis per Paulum videtur prohibitum.

„ *Sextò*, an hæreditas parvulorum, morientium sine testamen-
„ to, suis matribus justè succedat: cùm scriptum sit: Si mor-
„ tuus fuerit homo absque filio, hæreditas transibit in filiam ejus:
„ & si non fuerit filia, transibit dicta hæreditas in fratres morien-
„ tis: & si non fuerint fratres, dabitis hæreditatem patruis mo-
„ rientis: & si non fuerint patrui, qui magis proximus est, hæ-
„ reditabit. In quo loco, ut apparet, excluditur mater: & Apo-
„ stolus inquit: Nec enim debent filii parentibus thesaurizare,
„ sed parentes filiis. Præterea posset contingere pro parvo tem-
„ pore ingens hæreditas, quæ postea, rursus nubentibus, transi-
„ ret in filios secundi mariti.

„ *Septimò*, an usura sit, quidquid, ut dicitur, additur sorti:
„ & an omnis mercacia, quâ aliquid, ut inquit Chrysostomus,
„ citra laborem lucrifit, sit peccatum, &, an omne juramentum
„ sub peccati mortalis pœna sit prohibitum: dicente Christo:
„ Omninò nolite jurare: sed sermo vester sit Est, est: Non,
„ non: quidquid autem his abundantius est, à malo est.

„ *Octavò*, an hæc doctrina, peccatorum scilicet, originalis,
„ venialis, & mortalis; & hæc ignorantiæ invincibilis, ne-
„ glectæ, & crassæ, valeat?

„ *Nonò*, an pro mortuis plorare sit licitum? quia alicubi
„ sanc-

„ ſanctos pro ipſis ploraſſe, & alicubi prohibitum eſſe legi-
„ tur.

„ *Decimò*, an omnes parvuli cujuscunque gentis, qui non ſunt „ rationis capaces, fiant Dei gratiâ & Chriſti paſſionis merito „ ſalvi: quia ſcriptum eſt: Sinite parvulos venire ad me, quo- „ niam talium eſt regnum cælorum. Et econtrà, an omnes ratio- „ nis capaces, non habentes Chriſti fidem, ſint reprobi: quia „ ſcriptum; eſſe impoſſibile, ſine fide placere Deo: & qui non „ credit Filio, non viſurum vitam: ſed Dei iram manſuram ſu- „ per eum.

„ *Undecimò*, an mulieres juvenes, requirentes & volentes vi- „ tam in virginitate agere, ſint in religionem introducendæ: & „ an matrimonia poſſint licitè contrahi in omnibus gradibus inter „ conſanguineos, extra illos, qui ſcribuntur decimo octavo Le- „ vitici.

„ Inſuper nihil eſt, quod magis nos imbecilles conturbet, no- „ ſtrâ tamen, ut cognoſco, ignorantiâ, quàm quod audivi & apud „ LUTHERUM legi de libero arbitrio & Dei prædeſtinatione. „ Credebamus enim omnibus aliquid virtutis naturaliter inditum „ eſſe à Deo, cui tamen plus & cui minus: ſicut experientiâ „ patet, hominem differre ab homine: & ſicut videtur innuere „ parabola de talentis: & ſicut etiam experientiâ videmus, her- „ bis, plantis, lapidibus, cæteriſque omnibus rebus ineſſe na- „ turaliter virtutem propriam à Deo inditam, quâ ad multa poſ- „ ſunt. Sic credebamus homines prædictâ inditâ virtute poſſe „ aliquid, eam tamen præſertim ſtimulante & excitante Deo: ut „ ipſe inquit: Egro ſto ad oſtium & pulſo: & nolentem aperire „ illâ virtute inditâ & ſtimulatâ, tandem accepturum ſecundum „ opera ſua. Alioqui, ſi ſic non eſt, non video, quomodo tot „ præcepta affirmativa & negativa, ſicut diſputat Eraſmus, in- „ telligi debeant.

„ De prædeſtinatione autem credebamus, omnipotentem infi- „ nitè ante cæli & terræ creationem præſciviſſe, quotquot ſalvi „ & reprobi fieri debebant: omnem tamen hominem feciſſe ad „ vitam æternam: reprobos quidem fieri ſuâ culpâ: id eſt, quia „ noluerunt obedire & ſervare mandata. At, ſi omnia neceſſitate

„ contingunt, ut Lutherus dicit: & qui ſunt prædeſtinati ad „ vitam, non poſſunt fieri reprobi; nec e contrà: quia præ- „ deſtinatio divina non fruſtratur: quorſum tot ſcripturæ, & „ prædicatores, & medici corporales? Nihil enim propter „ hæc minus aut plus fiet: quia neceſſariò contingunt om- „ nia.

„ Indicabis inſuper, ſi cordi ſit, quæ ſint ceremonialia & ju- „ dicialia præcepta, & quomodo cognoſcantur; & an penitùs „ per Chriſti adventum exoleverint: & an ſenſus allegorici ſint „ admittendi, & ſi ad plebem docendam ſint utiles: & qui ſa- „ cræ Scripturæ in utroque Teſtamento ſint veri libri, ut dicunt, „ Canonici, etiam quæ ad horum declarationem eſſent nobis, ad „ noſtramque & plebis utilitatem volumina emenda: & qualis „ modus tenendus ſit plebeculam docendo?

„ In omnibus enim ſperamus, confidimus, & peroptamus per „ te ab Spiritu ſancto dirigi, moderari, & illuminari: quoniam „ noſtrarum, quemadmodum harum tuatum ovium, te oppidò in „ paſtorem percupimus. Unus enim paſtor, & unum ovile. Et ſicut „ vas electionis ſe omnium debitorem cognoſcebat: ſic te verè il- „ lius imitatorem exiſtimamus: quippe ſicut hîc, ſic illic cauſa Dei „ agitur. Et ſicut apud illum non eſt perſonarum acceptio: ſic „ nec apud te, qui verè es illius vicarius, eſt ovium Chriſti re- „ ſpectus. O utinam inter nos firmâ eſſemus unitate conjuncti! „ & nos omnia tuo tuique ſimilium conſilio, quemadmodum ve- „ hementer indigemus, tractaremus. In omnibus tamen vobiſ- „ cum convenimus: & à tempore Apoſtolorum ſemper de fide, „ ſicut vos, ſentientes concordavimus; in hoc ſolo differentes, „ quòd culpâ noſtrâ, ingeniique noſtri pigritiâ, Scripturas tam „ rectè, quàm vos, neutiquam intelligimus. Ideò ad te diri- „ gendi, erudiendi, ædificandi & docendi venimus. Omnibus „ Deus idem. „

OECOLAMPADIUS ad hæc d. XIII. Octobris egregiam ſcripto dedit Reſponſionem, digniſſimam quæ hic itidem legatur. (a)

„ Gra-

(a) v. Epiſt. ZWING. & OECOL. Lib. I. fol. 2. & ſq. & SCULTET. dec. II. pag. 306. ſeqq.

„ Gratiam à Deo Patre per Dominum Jesum Christum in Spi-
„ ritu sancto. Amen. Non sine magnâ in Christum voluptate ac-
„ cepimus à Georgio Maurelo, fidelissimo vestræ salutis cura-
„ tore, quæ vestræ religionis fides, quique ritus: agimusque
„ gratias optimo Patri nostro, qui ad tantam vos lucem vocavit his
„ seculis, quibus totum fermè orbem tenebræ crassissimæ occu-
„ pant, Antichristo supra modum prævalescente. Agnoscimus
„ utique & in vobis Christum: proinde ut fratres amamus: &
„ utinam reipsâ animi nostri studium erga vos declarare possemus.
„ Quid non, tametsi arduum, facere parati essemus? Nunc est,
„ quod fraterno Zelo vobis proponendum censemus: id precamur
„ intelligatis non imperioso supercilio scribi, sed commiseratione
„ amicâ insinuari.

„ Eximiâ quidem veritatis cognitione præ multis donavit,
„ & spirituali benedixit vos benedictione, Pater Domini Jesu.
„ Sed siquidem grati esse non cessaveritis, adhuc est, & am-
„ plioribus vos thesauris locupletare & perfectos reddere pot-
„ est, ut adolescatis & vos in mensuram ætatis Christi. Ut
„ enim multa in vobis probamus: ita etiam multa sunt, quæ
„ emendata vellemus. Scitis, corde credi ad justitiam, ore au-
„ tem confessionem fieri ad salutem: eos autem, qui Christum
„ confiteri coram mundo erubuerint, olim, & à patre illius non
„ agnoscendos fore. Quoniam Deus noster veritas est: eos qui
„ sibi serviunt, in veritate, absque omni simulationis fuco ser-
„ vire sibi vult: Zelotypus est, nec patitur, ut cum Antichristo
„ sui jugum trahant. Nulla illi cum Belial & tenebris partici-
„ patio.

„ Audimus autem, quòd metu persecutionum fidem vestram
„ ita dissimuletis, & occultam habeatis, ut etiam communicetis
„ cum infidelibus, & accedatis ad abominabiles illorum Missas,
„ in quibus mortem & passionem CHRISTI blasphemari didici-
„ stis. Nam dum illi gloriantur suis sacrificiis satisfacturos se
„ pro peccatis vivorum & mortuorum: quid reliquum, quàm
„ quòd Christus non satisfecit unico sacrificio; & quòd Christus
„ non est Jesus & Servator, sed frustrà quodammodo pro nobis
„ passus est? Jam si illius conspurcatæ mensæ participes sumus:

„ & unum corpus cum impiis effici nos proteſtamur, licet amaro „ animo. Dumque Amen ad preces illorum ſubjungimus, an non „ Chriſtum negamus? Quas non oportebat mortes præeligere? „ quod non ſupplicium potiùs ferre? imò, in quam profundam „ inferni abyſſum non intrare: quàm contra conſcientiam atteſtari, „ quod impii blaſphemant? Infirmitatem veſtram ſcio: ſed for„ tiores eſſe decet eos, qui ſe Chriſti ſanguine redemtos cogno„ runt. Magis metuendus eſt, qui animam cum corpore in ge„ hennam mittere poteſt. Quid ita ſoliciti ſumus pro anima no„ ſtra? eritne illa pretioſior Chriſto? erimusne hujus vitæ ille„ cebris contenti, & ad æterna gaudia non properabimus? Co„ ronæ proſtant, & nos ab illis vultum avertemus? Quis veram „ fidem noſtram credet, ſi in perſecutionis actu deficiat? Augeat „ Dominus fidem veſtram, oramus. Nos ſane mori mallemus, „ quàm hac tentatione vinci.

„ Igitur hortamur Fratres, ut diligentiùs rem exquiratis. „ Etenim ſi licet ſub Antichriſto fidem occultare, licebit etiam „ cum Turca, licebit etiam cum Diocletiano ad aras Jovis vel „ Veneris adorare: & fortaſſis minori periculo. Licuiſſet igi„ tur & Tobiæ, adorare vitulum in Bethel. Quæ igitur ſpes „ noſtra in Domino? Vereor autem, quòd ſi Dominum non „ ut oportet honoraverimus, etiam omnem aliam vitam no„ ſtram ſimulationis fermento aſpergi, tepidosque evomendos „ totos à Domino. Quomodo gloriabimur in cruce Domini, „ ſi tribulationis metu Dominum non glorificabimus? Non „ licet, ô Fratres, ab aratro reſpicere, non licet audire vo„ cem maleſuadæ uxoris, carnis inquam, quæ quamvis multa „ ferat, naufragium tamen in portu admittit.

„ Sanè dogmata veſtræ fraternitatis olim cognovimus, ex his „ quæ ante multos annos *Vladislao* Ungariæ regi reſponſa: quæ „ in his, quæ ad Chriſtum attinent, planè catholica, & à nobis „ quoque recepta. Creditis enim nobiſcum unum Deum Pa„ trem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Creditis Filium Dei „ ante ſecula, in temporis plenitudine, Spiritu ſancto con„ ceptum: è Maria virgine fratrem noſtrum factum: pro pec„ catis noſtris mortuum: in corpore ſuo reſurrexiſſe, & in cæ-

„ los

„ los ascendisse, sedentemque ad dexteram Patris rediturum ju-
„ dicem seculis. Creditis & Spiritum sanctum Apostolis missum,
„ cujus virtute illi Ecclesiam congregarunt: in qua & peccato-
„ rum remissio est. Creditis denique & vitam fidelibus, & mor-
„ tem impiis futuram æternam. In hac fide benè consentimus.
„ De sacris etiam symbolis consona credimus.

„ Decet autem, ut per ea in sanctam Ecclesiam congrege-
„ mur, cum Ecclesiâ malignantium portionem non habeamus.
„ A Papistis baptisatos non rebaptisamus, ut Catabaptistæ: ab-
„ sit; Sed Synaxim illorum refugimus. Etiam nos præter Chri-
„ stum nescimus intercessorem. Humanas inventiones, quibus
„ conscientiæ illaqueantur, quæve libertati spiritûs præjudicant,
„ ut verè Antichristianas, abominamur. Magistratum secularem
„ audimus in his, quæ contra Deum non sunt: honoramus etiam:
„ etiam esse Christianum posse credimus. Juramentum, si exigat,
„ non negamus; non obstante eo, quod apud Matthæum legi-
„ mus. Nihil enim ibi prohibuit Christus, quod per se non est
„ peccatum: prohibuit malam conscientiam, avaritiam, iram,
„ & vindictæ cupiditatem, mendacium omne, & perjurium.
„ Dicere enim insensatum fratrem (ut Paulus fecit, & omnes
„ Prophetæ, dum acriter invecti sunt in peccatores) non est con-
„ tra mentem Evangelii: sic nec jurare in judicio, cum veritate
„ & justitia, ut apud Hieremiam est. Juravit enim Deus ipse,
„ & Abraham, & Paulus: nec reprehensibiles sunt. Similiter
„ non ita austeri sumus, ut omnes mutuantes, & aliquid inde re-
„ cipientes, usurarios dicamus. Christus enim avaritiam mentis
„ damnat, quam nos non videmus. Alia præcepta omnia per le-
„ gem charitatis interpretari nos vult.

„ Item judices & magistratus seculares animadvertere in fla-
„ gitiosos, & defendere patriam, viduasque ac pupillos gla-
„ dio, non arbitramur legi divinæ contrarium. Hoc enim non
„ agunt suo nomine, sed vicarii Dei sunt: & ab illo gladium,
„ non à seipsis acceperunt. Contrà, qui seipsos gladio defen-
„ dunt ultionis aviditate, inque propria causa, nequaquam jux-
„ ta Evangelium agunt: quod jubet, ut in patientia possidea-
„ mus animas nostras, & porrigamus dexteram percutienti si-

 „ nistram,

„ nostram. Ad hæc, civiles leges, quæ fidei & charitati non „ obstant, nequaquam aspernandas dicimus: illis enim pro ju- „ dicialibus Mosaicis uti possumus. Judicialia non dicimus ab- „ olita, quantum ad mentem legislatoris attinet. Mens autem „ legislatoris est, servari justitiam, & honestatem publicam, „ quæ servatur in nationibus quibusdam meliùs per leges Cæsa- „ reas, quàm Mosaicas. Moses enim magis habuit rationem suæ „ gentis. Sicut ceremonialia quantum ad umbram abolita sunt: „ ita ut corpus habeamus, Christum scilicet; & quam ille do- „ cuit, justitiam fidei. Porrò nondum cognovimus, quomodo „ Christianus etiam fidelem coràm infideli judice convenire queat. „ Paulus certè vult, ne fratrem coràm infideli judice accusemus, „ vel litigemus. Rectè faciunt fideles, si suas causas inter se com- „ ponant.

„ Quod ad ministros Verbi attinet, probamus, quòd non quos- „ vis assumitis, sed adultos, probatæque vitæ viros. Sed, pace „ vestrâ, monuerimus. Videntur illi nonnunquam laboribus ma- „ nuum, plus quàm res postulat, esse addicti: & horas, quas „ lectioni collocare debebant, artificiis impendere. Et sanctum „ est laborare manibus, sanctius verò ministrare Verbo. Nole- „ bant Apostoli ministrare mensis, ne quid verbi Dei ministerio „ decederet. Paulus præcipit Tito: *Intende lectioni:* Nobis non „ est tentandus Deus, quasi citra studium suo Spiritu mirificè, „ sicut Apostolos, erudire nos debeat. Quamvis ad superfluas & „ philosophicas mundanasque disciplinas non hortamur: sat labo- „ ris habebunt in utroque Testamento.

„ Deinde neque hoc videtur ex mente Apostolorum, ut singu- „ lis trienniis mutetis ministros Verbi in alia loca. Discrimen „ enim est inter Apostolos & pastores. Apostoli mittuntur: „ Episcopi & pastores cum suis ovibus manere debent. Ita con- „ stituit Apostolus presbyteros oppidatim: quamvis pro Aposto- „ lis visitatores utilissimè constituantur. Porrò quòd illis prohi- „ bentur conjugia, non arbitramur esse ex spiritu Christi, ne- „ que enim donum illud summum, & Angelica vita, in carne „ plurimis concessum est. Unde fit, ut multorum conscientiæ „ malè habeant, & gravissima oriantur offendicula. Ne tanti fa-

„ cia-

„ ciamus, Fratres, æſtimationem ſanctimoniæ cum tanto periculo. Eſt & in conjugio continentia, quæ multum Deo placet. Fuerunt & Prophetæ & Apoſtoli conjugati & nihilominus in miniſterio verbi diligentiſſimi. Conjugium non perdit ſacerdotes, ſed ignavia, amor ventris, ac metus crucis.

„ Idipſum etiam ſentimus de virginibus cœnobitis, quæ nonnunquam quia uruntur, in peſſimas tentationes incidunt: quibus eſſet ſatius nubere, non obſtante ſtulto & infideli voto; quod nec ligat, nec à Deo approbatur. Etenim ubi in illis irrepit tanta hypocriſis, periclitatur ſimul tota ipſorum religio, amareſcitque omne quod antea dulce in Chriſto: & durum fit, quod antea leve erat jugum. Nos ſanè virginitatem maximi facimus, ſed fictam, Deo abominabilem ſcimus. Abſit autem, ut propter temporalia bona, tanta ſalutis commoditas omittatur. Utilius fuerit, pauperes & continentes in matrimonio, quàm divites in fœdo cœlibatu eſſe. Poterint nihilominus bona miniſtrorum omnia eſſe communia, communiter ali liberi & uxores, & ſui quibusque injungi labores. Demùm, in miniſtris Verbi etiamſi deſint dignitatum tituli & gradus, qui Papiſticam pompam & faſtum olent: nihil periculi: ſint modò qui præſint, & qui miniſtrent: ſint viſitatores, qui aliàs Epiſcopi: ſint Eccleſiaſtæ qui aliàs prædicatores, & miniſtri Verbi: ſint alii, qui adhuc erudiuntur, diſcipuli.

„ Quis autem modus in docenda plebe ſervandus ſit, noſtrum non eſt præſcribere regulam: modò ea, quæ ad fidem & charitatem faciunt, doceantur: item cum humilitate & patientiâ crucis commendentur: apocrypha vitentur: contentioſæ etiam & curioſæ quæſtiones, ex quibus rixæ & odia ac faſtus. Unus ſcopus ſit, gloriam Chriſti magnificè prædicare, & viam innocentem inſtituere: vitiaque & inprimis hypocriſin & ſuperbiam internam, quæ dat hæreſes, & multos prodit, profligare.

„ In Canonicis Scripturis annumeramus, quinque libros Moſis, Joſuæ, Judicum, Ruth, quatuor libros Regum, duos Paralipomenon, unum Eſdræ, unum Neëmiæ: & hi quidem hiſtorici ſunt. Job, Pſalterium, Parabolas, Cantica & Eccleſiaſten Salomonis: Eſaiam, Hieremiam, Ezechiëlem, Daniëlem: &

„ duo-

„ duodecim Prophetas juniores, Hoſeam, Joëlem, Amos, Abdiam, Jonam, Micheam, Naum, Abakuk, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, ut Scripturas à Spiritu ſancto inſpiratas habemus. Judith, Tobiam, Eccleſiaſticum, Baruch, duos ultimos Eſdræ, tres libros Machabæorum, duo capita ultima Daniëlis, non contemnimus: ſed non divinam cum cæteris illis autoritatem damus. In novo Teſtamento quatuor Evangelia cum Actis Apoſtolorum, & quatuordecim epiſtolis Pauli, & ſeptem catholicis, unà cum Apocalypſi recipimus: tametſi Apocalypſin, cum epiſtolâ Jacobi & Judæ, & ultimâ Petri, ac duabus poſterioribus Joannis, non cum cæteris conferamus. (a)

„ Allegorias, quæ fundatæ ſunt in Scriptura, & quæ ſtant cum analogia fidei, nec Scripturæ dignitatem extenuant, exoſculamur, ſed non arbitramur ita pro cujusvis ſomniatione effutiendas.

„ Omnem eam doctrinam, quæ gratiam Chriſti magnifacit, libentiùs amplexamur. Liberum arbitrium, quatenus gratiæ repugnat, non approbamus: neque propterea neceſſitatem peccandi inducimus. Qui enim peccant, ſponte & voluntariè peccant. Originale peccatum ſuam rationem habet. Neque propterea, quia tot præcepta ponuntur, major noſtra virtus eſt: ſed magna vis Spiritus, per quem operamur voluntatem Dei: & magna noſtra ignavia, propter quam indigni cenſemur. Eſt quidem fati ratio apud Deum, quod immutabile, etiamſi omnia vobis mutabilia appareant. At non oportet vos ad arcana Dei attendere, ſed ad Verbum ejus, cui fidem habere „ de-

(a) Videtur OECOLAMPADIUS in ea fuiſſe hæreſi, in qua plures ex Reformatoribus noſtris fuiſſe novimus, qui varias Canonicorum librorum claſſes ſibi effingebant, ita ut claſſis primæ libri majoris, ſecundæ minoris ſint pretii & auctoritatis, &c. Quæ licet, ex vero non ſint, non erat tamen, cur doctiſſ. LOESCHERUS hanc quoque in CAROLOSTADIO, qui tres ſibi librorum ſacrorum claſſes efformabat, ſententiam ſigillatim ſugillaret in *Hiſtoria Motuum* P. I. d. p. 14. cum ipſe LUTHERUS itidem in Præfatione editionis I. & II. Verſionis Novi teſtamenti Germanicæ diſtinguat, inter *libros* N. T. *majoris & minoris pretii*, quin imò, Epiſtolam Jacobi diſertè *ſtramineam eſſe Epiſtolam* pronunciet.

„ debemus, per quod & salvabimur. Prædestinationem negare „ non possumus: falli eam non posse, certissimum est. Sed quid? „ nunquid injustus est Deus? nunquid propterea non est verax? „ Igitur humiliemur nos sub majestate ejus: illâ enim superbo- „ rum cervices deprimit: misericordia autem subvenit contritis „ corde, & auxilium à solo Deo requirentibus, non à carne & „ arbitrio suo, ut in omnibus gloria sit Dei. Cæterùm quid ad „ nos contentio Erasmi & Lutheri? Perditio nostra ex nobis est: „ Salus tantummodo in Domino Deo nostro.

„ Igitur, Fratres mei, quoniam tantum talentum à Domino „ accepistis, pergite, & ne respicite: sed gloriam Dei, vi- „ vendo justè, sobriè & piè prædicate: nec vincat caro in suam „ perditionem, sed vincatur in suam gloriam. Nam si illam hîc „ pro Christo perdiderimus, inveniemus eam in resurrectione „ justorum in æternam vitam, quæ nobis omnibus gratiâ Christi „ concedatur. Admonitionem hanc fraternam oro ne despiciatis: „ nolui enim aliquid loqui vel scribere, quod improbaturum pu- „ tem Christum. Cætera narrabit Georgius Maurelus, verè no- „ bis in Christo dilectus & observandus. Orate Deum pro no- „ bis & Ecclesia nostra: nam & nos memores vestri erimus in „ Domino. Basil. 13. Octobris, Anno 1530. „

Hæc igitur per Waldensium legatos Basileæ acta sunt; Sed misisse eos tum quoque legatos referuntur, qui cum *Farello* apud Neocomenses versanti conferrent (a); Hi cum reditum in patriam pararent, miseris modis à Pontificiis itinera quoque infestantibus sunt vexati, cum quidam in carcerem conjicerentur, & Martinus Goninus Grationopoli Delphinatus metropoli sacco intrusus submergeretur: Georgius vero solus (b) Merindolium est reversus, cum libris ac mandatis, quæ ab Ecclesiis Germanorum afferebat; Reversus omnia legationis suæ capita exposuit, eisque declaravit publicè, in quot & quantis erroribus versarentur, in quos veteres ipsorum ministri eos conjecissent.

Ggg Popu-

(a) RUCHAT. T. III. pag. 269, 270.
(b) Ita SCULTETUS rem refert l. c. p. 315. RUCHATUS verò duos illos Petrum Latomum & Georgium Maurellum utrosque reversos affirmat l. c. p. 270.

Populus his auditis tanto ſtudio Eccleſiæ emendandæ commotus fuit: ut ex ſociis, quos in Apulia & Calabria habebant, natu grandiores, & uſu rerum peritiores acciverint, ut cum his de emendatione Eccleſiæ conſilium caperent. Quod cùm reſcivisſent, Præſes Provinciæ, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi; non deſtitêre Valdenſes omnis generis tormentis vexare & affligere:

De his Valdenſium legatis OECOLAMPADIUS XVII. Octobris hujus anni ad Bucerum ſcribit in hanc ſententiam: *Venient ad te Valdenſes illi viri nimirùm perquàm pii, audituri & tuum in quibusdam conſilium. Oſtendent, quid illis reſponderim. Tu ne multis confabulationibus horas perdas, leges ſcripta mea: & vel illis probatiora dato, vel aliquâ commendatiunculâ approbato: ut ſic à te in pace dimiſſi, ſua corrigere incipiant. Tu pro humanitate tuâ illos tractabis. Quod ſi nunc tibi præ negociis non eſt integrum, injunges id provinciæ Capitoni.*

Tum verò & Waldenſes dicuntur (a) Miniſtros quosdam exteros, ad Synodum in *Angrunia* valle inſtituendam, conſenſus ineundi cauſa, invitaſſe; Cui rei cum deſtinarentur *G. Farellus* & *Antonius Salnerius* Moranenſis Delphinas, hi eò ſe contuliſſe, atque ſoluta Synodo reduces Genevam appuliſſe referuntur. Atque hæc quidem velut per tranſennam de Waldenſibus.

§. CXXIX. TIGURINI hoc anno 1530. (quod ſuperiori anno jam Bernenſes fecerant) reformandis quoque moribus intenti erant, cumque in finem d. XXVI. Martii Edictum (b) publicabant quo populum ad frequentem Verbi Divini auſcultationem exhortabantur, ſimul verò etiam ludos publicos, aliaque ejus generis profana moribus Evangelicis adverſa ſuis interdicebant; Atque, cum in Synodo Provinciali, Magiſtratui fuiſſet indicatum, quam verbi divini miniſtrorum ſalaria, nimium quantum per illam ſuperſtitioſarum donationum abolitionem eſſent imminuta, id fronte ſerena non ſolummodo acceptum eſt à magiſtratu, ſed &, ut illi querelæ ſubveniretur opportunè proviſum eſt.

Sed & WILENSIS civitatis (quæ Abbatis San-Gallenſis erat metropolis) incolæ, Evangelio tum adhærebant, per miniſterium

(a) vid. SPANHEM. Genev. Reſtit. Operum Tom. II. p. 1529.
(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 522. RUCHAT. T. III. p. 60, 61.

rium *Conradi Schrefogelii* veritatem edocti, dum interea de reformationis modo cum Tigurinis inibant consilia, quando circa initium mensis Martii & Missa & reliquæ cerimoniæ Papisticæ abolebantur, nisi quod vovendum fuisset, ut Hujus æque ac Ecclesiæ *Bremogartensis* & *Mellingensis*, *Cæsaris sellensis* (in comitatu Badensi ad Rhenum (a)) & aliarum in Evangelii professione zelus fuisset constantior, utque non brevi post ad sordes Papisticas reditum fecissent.

GLARONENSIBUS autem hoc anno major eaque serenior Evangelii lux affulsit, eo cum effectu salutari, ut in Conventu regionis generali, cum Ecclesiastæ fuissent interrogati, num Ecclesiæ Romanæ cerimonias ex Scriptura comprobare vellent? hi palam responderent, „ se cum perspicerent eas adeò jam haberi „ neglectim iis defendendis immorari amplius non velle (b): „ Tum verò Pontificii unius anni moram sibi deposcere, siquidem Imperator Germanis fidem fecisset se interea temporis Concilium Nationale convocaturum, in quo hæ lites componerentur: At verò surdis narrabatur fabula; Et haud ita multo post, feria scilicet secunda Paschatis, maxima hominum multitudine confluente, altaria, idola, Missæ, & omnia his affinia abjiciebantur, ditioribus quibusdam & potentioribus in ista regione frustrà superstitionum Papisticarum patrocinium suscipientibus (c):

SOLODURIENSES quod adtinet, iis, quod superiori anno duo concessi fuerint Pastores Evangelici, jam visum est (d); Cum hi igitur ante omnia sibi *Berchtoldum Hallerum* expeterent, isque nutu Bernensium per aliquod tempus iis concederetur, nec tamen multum lucraretur, is tandem quoque loco cedere propter civium dissidia in ipsum insurgentia fuit coactus (e). Interea vero *Berna*, *Basilea*, *Friburgo*, *Biennâ*, missi ad componendos civium dissidentium animos legati disputatione publica rem transigendam decernunt, cui cum prius adversarentur, deinceps verò tamen post lon-

(a) SCULTET. ex Bulling. dec. II. p. 326.
(b) HOTTING. Helv. K. G. p. 523, 524.
(c) SCULTET. Dec. II. p. 325.
(d) v. §. CXXV. p. 392.
(e) RUCHAT. T. III. p. 158.

longam satis tergiversationem assentirentur Proceres, Evangelici ministri (a) hæc Senatui offerunt Themata, quorum simul in Synodo defensionem in se recipiebant. 1. „ Christus est unicum „ sacrificium pro peccatis nostris, idemque unicus noster advo- „ catus. Missa, invocatio aliorum mediatorum, & purgatorium „ est ipsissima Christi abnegatio. 2. Traditiones humanæ eate- „ nus obligant, quatenus verbo Dei innituntur. 3. Imagines, „ cum periculo adorationis in loco sacro positæ sunt removendæ. „ 4. Ex Sacra Scriptura demonstrari nequit, corpus Christi rea- „ liter in pane Eucharistico præsens esse. „ Hæc themata Senatus ubi cum Canonicis communicasset, hi forum excipientes scripto responderunt (b), cui suam tamen Apologiam (c) opposuerunt Evangelici. Senatus Pontificiis faventior quam Evangelicis, lectis utriusque partis libellis à priori sententia divortium faciens, ac in cunctatione præsidium quærens, distulit Disputationem in XVI. Octoris anni insequentis, dum intereà Bernenses civium Reformatorum causam suscipientes, plures una ad eos sed frustranco successu legationes decernunt, quibus ne id quidem (d) effici tum potuit, ut in ipsa urbe civibus libera permitteretur Evangelicæ doctrinæ annunciatio, nisi quod hanc libertatem reliquis tamen agri circumjacentis incolis non denegarent. (e)

SCAPHUSANI equidem superiori jam anno ultimam Reformationi admoverunt manum (f), ut tamen etiam eæ quæ restabant superstitionis veteris reliquiæ hoc anno plenius fuerint expur-

(a) HOTTING. Helv. H. G. pag. 530. SCULTET. ex Urstisio dec. II. pag. 325.

(b) Hujus responsi d. 4. Novembris exhibiti brevem summam nobis suggerit RUCHATUS l. c. p. 161. 165. conf. HOTTING. l. c. pag. 530, 531.

(c) Et hujus Apologiæ argumentum idem ille RUCHATUS l. c. p. 165——168. itemque HOTTINGERUS p. 531, 532. nobis exponunt.

(d) RUCHAT. l. c. p. 171, 172.

(e) HOTTING. p. 533. ex Haffnero II. 214. Erat enim maxima pars agri abolita superstitione à Reformatorum, Major & potior pars urbis à Pontificiorum partibus.

(f) vid. §. CXXIV. p. 384.

purgatæ (a); In *Rhegusia* (b), *Turgovia* (c), *Præfecturis* ita dictis *liberis* (d) non minus atque in provinciæ *Bernensis* parte Gallica, mirum in modum res Evangelii, lucem præferente potissimum *Gulielmo* FARELLO, procedebat.

Ejus enim opera & labore cum *Aquileja* Bernensis ditionis civitas fuisset reformata (e) & veritatis lux in vicinas quoque regiones ditionis potissimùm Bernensis, fuisset translata, devenit is fortunatis auspiciis A. 1529. NEOCOMUM (Neuf-chatel) atque ibi Evangelium tam prospero cum successu annunciavit (f), ut Neocomenses jam hoc anno 1530. Reformationem fuerint amplexi, totamque plane civitatem (g) reformarint; Neque verò hic tantùm subsistere Farellus, quin potius intereà temporis secedere quoque *Moratum* (h) Helveticæ Gentis fortitudine & victoria nobile municipium, atque ibi quod magna illic colligenda messis esset (i), Evangelium annunciare; Inde extrusus in agrum *Biennensem* divina providentia totum illum tractum ingenti successu Evangelii prædicatione implevit, eumque inter ludibria, verbera & contumelias innumeras, Diaboli & Cleri ingratiis Christo vindicavit: Accessere mox *Orba* & *Gransonium*, quicquid fremerent, atque in ejus & Evangelii perniciem molirentur sacrificuli; Erat enim ea Farelli in dicendo virtus, is animi fervor, atque infatigabilis in Evangelio promovendo zelus & constantia, ut sæpius

(a) HOTTING. l. c. p. 529. RUCHAT. p. 64.
(b) RUCHAT. p. 73. HOTTING. p. 528.
(c) RUCHAT. p. 74. sq. HOTTING. p. 527, 528.
(d) RUCHAT. p. 80. HOTTING. p. 529.
(e) vid. §. CX. p. 322. & §. CXVIII. p. 363.
(f) Ipsam Farelli ad Gul. du Moulin V. D. M. ea de re Epistolam d. 15. Decemb. 1529. datam exhibet ANCILLON, in vit. Farelli p. 208. & RUCHAT. T. III. p. 22, 23.
(g) conf. RUCHAT. Tom. III. pag. 21. seq. itemque pag. 175-186. qui per totum librum septimum incredibiles *Farelli* pro Evangelio labores exantlatos exponit, & qua ratione non obstante ubivis Pontificiorum odio, felicem tamen habuerit successum, enarrat.
(h) SPANHEM. Genev. restit. Oper. T. II. p. 1529. RUCHAT. l. c. à p. 24——37.
(i) Hac phrasi Bernenses *Farellum* ut *Moratum* concederet, invitabant. RUCHAT. l. c. p. 25.

quoque in concionando, quod *Pericli* contigisse refert Quintilianus, *non loqui videretur & orare, sed fulgurare ac tonare*; Quæ res omnes in stuporem dabat, cum viderent animum simul ac vocem ipsi ad strictos enses constare, adeò quidem ut & illi ex Clero, qui continuo campanarum clangore & aure bombycina lanugine oppleta, conciones ejus eludere diu fategerant, post modum patulas aures, & faventes animos ad Farelli auditorium adferrent.

§. CXXX. Unicum verò adhuc deerat, quod toti Reformationis Helveticæ negotio decus afferre atque splendorem conciliare potuisset, modò sensus omnibus fuisset idem. Quanquam enim, nimium illum circa Disciplinam Ecclesiasticam rigorem apud priscos Christianos adhibitum non probemus, quem etiam nobis in exemplum poni non posse sumus persuasissimi, sitque hic verissimum illud, Alia tempora alios mores postulant; Tamen id cognoscitur, atque in genere fatendum est, multum nocere religioni, si comitata non sit exacta disciplinæ observatione; Atque adeò *Disciplinam Ecclesiasticam* (a) debitè observatam, & suis limitibus circumscriptam multum facere ad decus & ornamentum civitatis Dei quæ est Ecclesia. Enimverò hoc eodem anno *Joh. Oecolampadii* auctoritate, res ea, ut scilicet qui publicum præberent vel præbuissent scandalum ab Ecclesia publicè quoque excommunicarentur, non parum quidem apud *Basileenses* (b) est promota, sed apud solos quoque propemodum Basileenses, cum in reliquis Helvetiorum, qui Reformationi addicti erant, pagis, ferme nihil ea de re, posteaquam in contentionem venerat, certi definiretur.

Certè, quæ *Aroviæ* tum in hanc causam celebrabatur Synodus, infecta re, nec definita aut ad liquidum perducta, ab invicem discessit. (c) Apud *Basileenses* equidem mense Novembri nova Theo-

(a) Per *disciplinam Ecclesiasticam* intelligimus rationem emendandi illos, qui vitæ morumque pravitate, se indignos esse demonstrant, qui pro veris Ecclesiæ membris habeantur; Id quod fit per admonitiones, increpationes, tandem per Excommunicationem.

(b) Extat Jo. OECOLAMPADII Oratio coram Senatu Basileensi A. 1530. habita de *reducenda excommunicatione Apostolica* in Epistolis *Zwinglii* & *Oecolampadii* Lib. I fol. 42. & seq.

(c) RUCHAT. p. 87, 88.

Theologorum ea de re instituebatur congregatio (a), sed ita, ut ne tum quidem satis cum Oecolampadio consentirent reliqui, dum interea (b) unicuivis Ecclesiæ liberum relinquebatur, prout libitum esset excommunicationem vel recipiendi vel rejiciendi. Neque etiam ea quæ apud *San-Gallenses* (c) tum cogebatur Synodus, eandem hanc causam, licet ea satis acriter quoque ab utravis parte disceptaretur, definivit; Quin imò illa severior Excommunicatio quæ Banni nomine venit ex Zwinglii & plurimorum qui Synodo San-Gallensi intererant consensu rejiciebatur, qui præsentem Ecclesiæ statum, cum Magistratus essent Reformati, atque Ecclesiæ fautores, magis assimilari debere affirmabant statui populi Israëlitici tempore Prophetarum qui sub Regibus erant fidelibus (d), quam statui Ecclesiæ primitivæ sub Apostolis, cum ecclesiæ adhuc dispersæ essent, nec tutum sub Imperatoribus Gentilium haberent habitaculum; Quanquam non desineret Zwinglius interea strenuè Magistratum omnem exhortari, ut impietatem omnem pœnis coërcere sicque ex cœtibus fidelium tollere vellet scandala:

Quidquid sit, Basileenses tamen, tantum Oecolampadii consiliis atque auctoritati deferebant, ut eopse anno d. xiv. Decembris publicum pro *Excommunicatione Ecclesiastica* decretum promulgarent, quo & à cœna & à communione ecclesiastica excludebantur, qui in manifestis peccatis volutabantur (e); Dum reliqui rigorosum ejusmodi Disciplinæ ecclesiasticæ exercitium unà cum Tigurinis atque Bernensibus respuebant, censentes rem in se quidem bonam, sed pessimo abusu Pontificio invisam, & eo tempore multis

(a) De ea OECOL. scribit ad J. Vadianum, se petiisse coram Legatis urbium in Comitiis „ ut ex singulis urbibus Basileam, quò & Argentinen-„ ses commodè convenire queant, potior ac magis idoneus concionator „ mitteretur, cum Legato Senatorio erudito, & illic de hoc (Excommuni-„ cationis) negotio conferretur, quò majore Concordia de his ac aliis in Ec-„ clesiis agatur & vivatur „, veluti is deinceps, Vadianum ut huic favere velit instituto, rogat. V. Ep. Zwingl. & Oecol. L. IV. fol. 189. a.

(b) RUCHAT. l. c. p. 88.

(c) RUCHAT. l. c. p. 90.

(d) RUCHAT. l. c. p. 93.

(e) Breve nobis hujus decreti argumentum suppeditat RUCHATUS Tom. III. p. 89, 90. conf. HOTTING. Helv. K. G. p. 526.

tis adeo videri execrabilem, ut ægrè ad Ecclesiam Evangelicam illo retento rigore transituri essent.

Accedebat, quod judicarent vix ac ne vix quidem in Helvetiorum Republica eam obtineri, vel obtentam retineri posse, quia ad excommunicationem majorem exercendam requirerentur tum Pastores inprimis cordati, qui præter Deum neminem metuunt, & nihil κατα προσκλισιν secundùm propensionem agunt, & parati sint pro Ecclesiæ salute vitam & sanguinem periclitari; tum populus, & in eodem imperantes æquè ac parentes, qui obedire & jugum istud pati velint & valeant; Verbo, *Ambrosii* & *Theodosii*, rari illi & velut nantes in gurgite vasto. Deinceps verebantur (a), ne apud eos quibus res isthæc committebatur, facilè dominandi studium subreperet, & odia privata atque affectus maligni vincerent, quæ res Antichristum pepererat. Addebant, quod olim res isthæc non consensu paucorum, sed in Conventibus Ecclesiasticis, sub conscientia & suffragiis fidelium suscipi consueverit, quod hodie in Republica libera cujus populus dissolutior & major pars corruptissima erat, factu difficillimum videbatur: Quid? quod, si absque partium studio & corvorum jure & columbarum injuria negotium isthoc procederet, & avari, lascivi, ebriosi, injusti, tyranni, fœneratores, Magistratus subditis iniqui, dominantibus obliqui & immorigeri, hanc aleam subire deberent, paucis impune futurum esse arbitrarentur. His subjiciebant, quod schismatis in rep. libera periculum subesset, cujus metu olim etiam *Cyprianus* coëpiscopos suos malos toleraverit, *Irenæus* Victorem admonuerit, temperaret sibi ab Excommunicatione Orientalium; & Augustinus diu cum Donatistis Manichæis & aliis conflictatus & in hoc prælio veteranus miles, passim zizaniorum tolerantiam suaserit; Denique in Scriptura, dicebant, pauca traditorum Satanæ, dubio traditionis illius sensu, occurrere exempla, nec reliqua pro excommunicatione majore allegata loca tam clara esse ac diserta, ut illam liquidò probent; uti verè in locis nonnullis assumptus ille rigor inauspicatò cesserat;

F I N I S.

LEM-

(a) Conf. ARET. Problem. Theol. Loc. CXII. Rationes illius cunctationis & verecundiæ in revocanda disciplina severiore ad Excommunicationem usque, haud pœnitendas cumulavit, quas ex eodem hic velut per saturam exhibemus.

LEMMATA PARAGRAPHORUM.

§. I. Maximiliani *I. mors.* Carolus *V. eligitur Imperator. Ejus frater* Ferdinandus *Austriacarum regionum hæres fit.*

§. II. Caroli *V. Character.*

§. III. *Leges* Capitulationis *Carolinæ.*

A. 1520.

§. IV. *Lutheri fautores Ph. à* Fleersheim. *Sylv. de* Schauenburg. *Ulr.* Huttenus, *Fr.* Sickingius. *Philippus comes* Solmensis. *Jo.* Botzhemius. *alii.*

§. V. *Lutheri ad Carolum V. et ad Leonem X. literæ. A.* 1520. *datæ recensentur, in quibus docetur, quam non* Lutherus, *sed emissarii Pontificis* Schismatis *in negotio Reformationis rei fuerint.*

§. VI. Leonis *X. Bulla in* Lutherum *prima.* Moguntinus *et* Merseburgensis *Lutherum hortantur, ne de Pontificis auctoritate disputet.* Lovanienses *et* Colonienses *Lutheri scripta damnant.* Lutherus *iis respondet, suamque causam egregie tuetur.*

§. VII. *Valentinus à* Teteleben *Friderici Saxonis Romæ causam agit. Ejus ad Fridericum literæ, ne faveat Luthero.* Friderici *responsum, quo de Pontificiis legatis conqueritur, atque ne Lutherum inauditum condemnent, monet.*

§. VIII. Leonis *X. Bulla in Lutherum in Germaniam affertur, ubi paucis locis publicè affixa, in aliis ne affigeretur cautum est.* Huttenus *in eam glossas edit interlineares.* Luth rus *in eam quoque scribit, atque hoc eodem anno* Papam esse Antichristum *profitetur, quin imò Bullam Pontificiam cum decretalibus rogo imponit.* Lutheri *imago variis in locis exusta, atque ejus libri in Indicem librorum prohibitorum abinde sunt relati.*

§. IX. Leonis *navi politici in causa*

causa Lutheri. Lutheri *liber de captivitate Babylonica recensetur. In eo de* epiſtola Jacobi *minus dignè judicat Lutherus.* Eraſmus, Zaſius, Capito, Fridericus *Saxo, Lutheri fervorem improbant.*

§. X. *Evangelii propagati ſpecimina apud* Venetos, Danos, *et* Uratislavienſes *in Sileſia.*

§. XI. *Prima Reformationis in* Friſia Orientali *lineamenta. Ab Ge.* Aportano, *Henrico* Brunio, *Helmero* Beninga *et aliis. Jac.* Canterus *Groninganus irreligioſus.* Edzardus *I. Reformatæ in Friſia doctrinæ fautor et aſſecla.*

A. 1521.

§. XII. *Joh.* Glapionis *conamina Fridericum Saxonem à Lutheri cauſa abſtrahendi irrita. Ejus cum Greg.* Pontano *commercium.*

§. XIII. Lutheri *ad Comitia Wormatienſia citatio.* Leo *X. ne Lutherus ibi cauſam diceret omnem movebat lapidem, ſed fruſtrà. Citatur Lutherus ad dicendam cauſam, atque nequicquam obſtrepentibus amicis* Wormatiam *ſe confert.*

§. XIV. *Jo.* Eckius *Officialis Trevirenſis examen ejus inſtituit, cui* Lutherus *breviter reſpondet.*

§. XV. *Examen illud renovatur, atque* Lutherus *diffuſius cauſam ſuam agit, reciprocatis inter* Eckium *et* Lutherum *rationibus.*

§. XVI. Carolus *V. fidem Luthero ſervat, non obſtantibus quibusdam, qui fidem ipſi ſervari non debere aſſerebant.* Ludovici *Palatini ſinceritas et æquanimitas laudatur.*

§. XVII. *Epiſcopus* Trevirenſis *privatim per Hieronymum* Væum *Jureconſultum Lutherum tentat, ut librum de captivitate Babylonica revocet, ſed irrito conatu.*

§. XVIII. Lutherus *cum invictum in veritate proderet animum Wormatia ſalvus dimittitur.* Fridericus *Saxo conſilium de eo occultando capit.*

§. XIX. *Dei providentia in conſervando Luthero laudatur.* Chriſtiani *III. Daniæ Regis jocus.*

§. XX. *De Actis* Wormatienſibus *libellus jocularis. Lutheri literæ ad Cæſarem et ad reliquos Ordines ex itinere. Arx* Wartburgenſis *Lutheri Pathmus. Lutheri tentationes variæ.* Lutheri *ſcripta in exilio.*

§. XXI. *Hier.* Aleander *decretum Wormatienſe condit. Ejus bre-*

breve argumentum.

§. XXII. Parisiensium *adversus Lutherum determinatio & conclusio. Tragoedia Parisiis lusa recensetur.*

§. XXIII. Alberti *Moguntini &* Lutheri *commercium epistolicum.* Capitonis *in hoc negotio moderatio. Melanchthonis ad Capitonem Epistola. Capitonis ad Lutherum & Philippum Epistola recensetur. Lutheri responsio.*

§. XXIV. *Lutheri* proscriptio. *Erasmi de ea judicium. Aliorum de ea judicium Lentè in exsecutione bullæ papalis & proscriptionis Wormatiensis est progressum.* Georgii Saxonis *infestus in veritatem animus.* Witebergensis *Reformatio per monachos Augustinianos. Lutheri liber* de abusu Missarum *recensetur, & quædam ex eo adversus Missam Pontificiam recensentur.* Friderici Saxonis *cura, ne turbulenta fieret reformatio Witebergensis.*

§. XXV. Zwiccavia *inter urbes Saxoniæ quæ Evangelio faverunt prima.* Friderici Myconii *laus in Evangelio, itemque* Nicolai Hausmanni. Henricus *Saxoniæ Dux Luthero favet.* Vinariensium *monachorum in* Lutherum *animus hostilis.*

§. XXVI. Erfurti *jubar Evangelium exoritur. Ejus urbis concionatores. Apud* Halberstadienses *Evangelium annunciari coepit.*

§. XXVII. *Apud* Hamburgenses *Evangelii jacta semina.* Wormatienses *nequicquam obstante edicto Cæsareo Evangelio favent.* Ulmensium *et* Argentoratensium *prima pro Evangelica veritate conamina.*

§. XXVIII. *In* Valle Joachimica, *itemque in* Pomerania *Evangelica doctrinæ primordia. Apud* Francofurtenses *Gulielmus* Nesenus *Evangelii purioris principia instillat.*

§. XXIX. Melanchthonis *adversus* Parisienses *scriptum.* B. Feltkirchius, *Justus* Jonas, *Jo.* Bugenhagius *A. B.* Carolostodius, *alii, uxorem ducunt.*

A. 1522.

§. XXX. Leone *mortuo* Hadrianus *ei substituitur Pontifex. Ejus in Reformationem studium, sed quod invitus supprimere debuit, uti varias* adversus Lutherum *conscripsit ad varios* epistolas.

§. XXXI. Lutheri *ex Pathmo erup-*

eruptio atque Witebergam *reversio. Ejus causa enarrantur varia. Reversus Lutherus improbat* Reformationem Witebergensem *se absente factam.*

§. XXXII Lutheri *liber adversus falso nominatum* Ordinem Episcoporum.

§. XXXIII. *Initium Reformationis in* Silesia *&* *apud* Uratislavienses. *Itemque in urbe* Lignicensi.

§. XXXIV. *Reformationis exordia in* Cimbria.

§. XXXV. *Annunciatio purioris Doctrinæ* Bremæ *facta per* Henricum Zutphaniensem *sed impedita per Canonicos, ut Henricus loco cedere debuerit, qui brevi pòst in* Dithmarsia *martyrii morte sublatus est.*

§. XXXVI. *De* Argentinensi *reformatione, invitis quam multis cumprimis ex Ordine Ecclesiastico, itemque urbibus vicinis, suscepta.*

§. XXXVII. *De* Norinberga, Ulma, Augusta Vindelicorum, Wila, Creilshemio, Cotbusio, Weissenburgo, Hala Suevorum, *& aliis urbibus, Evangelica Doctrina gustu imbutis.*

§. XXXVIII. Milteburgi *ad Moenum, Moguntinæ ditionis oppido, & in ipsa urbe* Moguntina *per* Capitonem *&* Hedionem *Doctrina Evangelica annunciabatur. De* Salisburgensibus *&* Paulo Sperato *ibi Evangelium prædicante. De* Valle Athesina *quæ per* Urb. Regium *est informata.*

§. XXXIX. *De Initiis doctrinæ purioris in urbe* Magdeburgensi. *Itemque in* Pomerania *& ejus urbibus, porrò in civitatibus quibusdam* Livonicis, *& in urbe* Dantiscana.

§. XL. *De* Isenacensi *&* Islebiensi *itemque* Arnstadiensi *urbibus, Evangelii semina recipientibus.*

§. XLI. *De scriptis* Lutheri *anni* 1522. *et* 1523. *atque inprimis de opere* Versionis Biblicæ *per certas partes suscepta et* 1534. *absoluta. Lutheri in eo opere socii & adjutores laudantur, ipsumque Opus dignis evehitur encomiis.*

A. 1523.

§. XLII. Francisci Cheregati *legati Pontificii propositio in* Noribergensibus *Imperii Comitiis facta, & Responsum* Ordinum Imperii *ipsi datum, de Reformationis &* Concilii *eam ob causam celebrandi necessitate.* Centum Gravamina *nationis Germanicæ ipsi exhibentur.*

§. XLIII.

§. XLIII. Lutheri *scriptum ad* Regimen Cæsareum *recensetur. Is in Epistola ad* Fridericum Saxoniæ *scribit, longè aliter in coelo quam Norsberga de negotio Evangelico fuisse conclusum.*

§. XLIV. Lutheri *liber de* Potestate seculari. *Ejusdem liber de instituendis* Ecclesiæ ministris; *itemque*, De Doctrinis hominum *vitandis. Porro de* abominatione Canonis missæ. *Ejus Paranesis ad* Ordinis Teutonici *equites. Invectiva in* Jo. Cochlæum. *De Reformatione* Witebergensi *quadam. Varii libelli pro Reformatione tum emissi commemorantur.*

§. XLV. *Ducatus* Bipontinus *primus fuit in Germania, qui Reformationem admisit. De* Joh. Schwebelio *Reformatore Bipontino. De Reformatione* Borussica *per* Joh. Brismannum *&* Jo. Amandum, *itemque* Paulum Speratum *&* Joh. Polyandrum. *Theses* Brismanni *qua fundamentum sistunt* Reformationis Borussicæ.

§. XLVI. *Primordia Reformationis in* Urbe Dantiscana, *ubi & strictim quadam de* Gymnasio Dantiscano *commemorantur.*

§. XLVII. *De* Livonia *Lutheri testimonium, & Lutheri ad Livonos epistola: de* Lignicensi *&* Goldbergensi *apud Silesios schola.* Hamburgensium *primi ministri Evangelici commemorantur.* Hala Suevorum *per* Isemannum *&* Brentium *reformata: Apud* Augustanos *J.* Speiserus *Evangelium docuit sed paulò post ad Pontificios regressus* Eslingensibus *Mich.* Stitelius *puriorem doctrinam à Luthero confortatus annunciabat.*

§. XLVIII. *De progressu Reformationis* Argentinensis *per* Bucerum, Hedionem *&* Capitonem. *De Conradi* Trægeri Paradoxis *Evangelio adversis, & quomodo ea sint refutata à nostris. De* Clerogamia Argentoratensi, *& turbis eapropter per episcopum suscitatis.*

§. XLIX. *De* Jacobo Straussio, *Doctore* Isenacensi *et ejus editis adversus Missam & Confessiones privatas libellis.*

§. L. Adriani *VI. P. R. mors &* Clementis *VII. surrogatio. Is* Laurentium Campegium *Cardinalem, legatum mittit in Germaniam.*

A. 1524.

§. LI. *Decretum* Noribergense

 A. 1524.

A. 1524. *factum in causa religionis. Quo nec Cæsar contentus, nec Legatus Pontificius, nec Lutherus.* Lutheri *scriptum adversus illud.* Legati Pontificii *conventus* Ratisbonensis, *pro classico debet haberi Schismatis inter Principes Imperii.* Cæsaris *edictum novum* Noribergensi *decreto adversum.*

§. LII. *Inter Episcopum & Senatum* Argentinensem *velitationes agitata in* Comitiis Noribergensibus.

§. LIII. *Reformationis progressus in variis* Germaniæ *partibus, cumprimis in urbe* Noribergensi, *per Dominicum* Sleupnerum, *Andr.* Osiandrum *& Thomam* Venatorium, *quibus postmodum accessit Wencesl.* Linccus, *De Reformatione* Franconica, *inprimis Burggraviatus Norimbergensis. De* Casimiri *Marchionis Brandenburgici &* Georgii *Fratris ejus in Evangelium & Evangelicos studiis. De Convocatione Ecclesiastica* Onolsbacensi, *& factis inde decretis.*

§. LIV. *Lutheri* Cantionale. *Lutherus* cucullum *abjecit. Melanchthon* summam Doctrinæ Christianæ *edit nuncupatam* Philippo Hassiæ *Landgravio, qua res prima* Hassiacæ Reformationis *fundamenta jecit.*

§. LV. Argentinensis *Urbs perfugium fratrum exulum. Jo.* Faber Stapulensis *et* Ger. Rufus *eo se recipiunt ex Gallia.* Seb. Meieri *Bernensis Revocatio errorum quos prius docuerat.*

§. LVI. *Reformatio* Megapolitana *sive* Mecklenburgensis *per Gerh.* Oemeken *nutu* Henrici *Ducis et* Magni *filii ejus.* Wismariæ *reformatio prima.*

§. LVII. Miricius, Widensee *et* Fritzhans *Reformatores* Magdeburgenses. *Ii disputationem Pontificiis offerunt. Hi verò eam renuunt*, Magdeburgensium *actio cum* Henrico Stoht à Sehaussen, *et articuli quos ipsi proposuerunt. De* Wolfg. Cyclope. Bremenses *ad se vocant* Jac. Præpositum *et* Joh. Timannum. Lubecenses *quidam Evangelico favent.*

§. LVIII. *Urbis* Lippiensis *reformatio.* Brunsvicensis *reformationis principia.* Eimbecca *urbs Evangelium recipit.* Henricus *Dux* Brunsvicensis *primò Evangelii fautor deinceps adversarius.* Cellensis *reformatio.*

§. LIX. *Ecclesiarum* Comitatus Hoyen-

Hoyensis *reformatio inchoata. In ditionem* Jeverensem *immissa Evangelii lux.* Annæbergensis *reformatio*; *itemque urbis* Cygnæensis *in Misnia.*

A. 1525.

§. LX. Rusticorum tumultuantium *turba Evangelicæ Doctrinæ inimica.* Christ. Schappeleri *fama vindicatur.* Fridericus Saxo *moritur.* Johannes *Frater ejus ipsi succedit. In Italia inter Cæsarem et Franciscum Galliæ, bellum.*

§. LXI. Lutheri *scripta hujus anni, inter quæ cumprimis* de arbitrio servo *liber Erasmo oppositus. Ejus libri argumentum. Num Lutherus unquam eum retractaverit, inquiritur.*

§. LXII. Lutheri *cum* Cathar. Borria *nuptiæ. Ejus consilium pro votis conjugalibus* Alberto Moguntino *datum.*

§. LXIII. *In Marchionatu* Lusatiæ *et Comitatu* Hanoviensi *Doctrinæ Evangelicæ progressus.* Oldenburgicorum *et* Tecklenburgensium *Comitum in Reformationem favor.* Dominii Esensis, *urbisque* Nordhusanæ *et civitatis* Hagenoensis *reformatio. Evangelii in* Borussia, Livonia *et Urbe* Noribergensi *progressus.*

§. LXIV. Francofurtensis *urbis Reformatio per G.* Nesenum *et* Ilbachium, *faventibus multis Nobilibus ac Patriciis, inchoata et per F.* Haurbachium Dillenbergerum, *itemque* Dionysium Melandrum *continuata.*

§. LXV. *Hi Reformatores* Francofurtani Zwinglii *sententiæ potius quam* Lutheri *in causa Sacramentaria adhæserunt.*

§. LXVI. *De progressu* Reformationis Uratislaviensis *et* Argentinensis, *itemque* Witebergensis.

A. 1526.

§. LXVII. *Cæsaris mandatum, ut* Wormatiense edictum *observetur. Consociatio* Saxonis et Hessi *De mutuis auxiliis sibi præstandis inita* Magdeburgi *antequam Spirensia celebrarentur Comitia; Huic jam tum varii accesserunt Principes et urbs Magdeburgensis.* Spirense Decretum *non admodum Evangelicis infestum.* Ludovici Regis Hungariæ *mors.*

§. LXVIII. Francisci *Regis Galliæ è captivitate liberatio, et cum* Carolo *V. initum consilium de extirpandis hæreticis.* Clementis *VII cum* Carolo *V. simultates obortæ, et scripta ab utravis parte reciprocata.*

§. LXIX.

§. LXIX. Philippus Hassiæ *Princeps Reformationi studet.* Melanchthonis *consilium ipsi transmissum.* Colloquii Homburgensis *Historia.*

§. LXX. *De* Saxonicæ *reformationis progressu lento. In Ducatu* Saganensi *et* Jagerndorfensi *Reformatio stabilita.*

§. LXXI. *De* Ordinatione Ecclesiastica Borussica. Alberti *Ducis Borussici* Apologia *pro instituta Reformatione.*

§. LXXII. *Reformatio* Frisiæ Orientalis. *Colloquium* Oldersumense. *Henricus* Reesius *et Ge.* Aportanus *Zwinglii sententiæ de Eucharistiæ sacramento favent.*

§. LXXIII. *Apud* Bremenses *Canonici Stephaniani sponte sua templo excedunt. Lutheri Expositio quatuor Psalmorum ad* Mariam Austriacam Lvdovici Hungariæ Viduam. *De illa* Maria, *quæ Belgii Gubernatrix fuit, agitur.*

A. 1527.

§. LXXIV. *De Disputatione* Nordana *in* Frisia Orientali.

§. LXXVI. Clemens *VII. in ipsa Urbe captivus, sed deinceps cum Cæsare reconciliatus consilia init* de extirpanda Lutheri hæresi. Johannes Fridericus *Saxo, Johannis Electoris filius* Sibyllam Clivensem *in uxorem ducit, qua occasione* Dusseldorpienses *Evangelicam recipiunt doctrinam.* Myconii *cum* Corbachio *monacho* Disputatio Dusseldorffiensis.

§. LXXVI. *In* Holsatiam *et* Scaniam *Doctrina purior transiit.* Marburgensis Academiæ *fundamenta jacta.* Johannis Saxonis *instituta Ecclesiarum* Visitatio.

§. LXXVII. Friderici *Ducis* Silesiæ *Apologia pro Reformatione.* Silesiorum Confessio *de Eucharistia sacramento cum Helvetiorum fide consonat.* Albertus Moguntinus Magdeburgensibus *in causa Evangelica favet, de Reformatione urbis* Halensis *in Saxonia et martyrio* Ge. Winkleri. *De ulteriori apud* Ulmenses *Evangelii progressu, et* Conrado Somio *Ulmensium Evangelista*, non Lutheri *sed* Zwinglii sententiis *addicto.*

§. LXXVIII. *De* Theob. Billicano *apud* Nordlingenses *Evangelium professo. De oppido* Bischofsheim *in Greichgoja, de* Liechtenbergii *vaticiniis a Luthero editis.*

A. 1528.

§. LXXIX. *De* Otthonis Packii *detectio-*

detectione turbarum quæ inter Pontificios Evangelicis infestos gliscebant et ejus eventu.

§. LXXX. *De* Visitatione Ecclesiarum Saxonica *et Catechismo Lutheri utroque*. Diepholdiana *reformatio*. Brunsvicenses *ultimam manum reformationi admoverunt*. Bremensis *reformatio et Schola instituta*. Hamburgensis *Reformatio promota. De Ecclesiæ* Goslariensis *promotione, et turbis sacramentariis ibi excitatis*.

§. LXXXI. Ecclesiarum Noricarum *in Evangelio progressus*. Georgii Brandeburgici *pro veritate Evangelica Zelus*. Noribergensium *Doctorum articuli in causa Eucharistica Zwinglii sententiæ favent. De* Articulis Swobacensibus *observatio. In Comitatu* Mompelgartensi *docetur Evangelium*. Argentinenses *Missam abolent*.

§. LXXXII. *Reformata doctrina in* Frisia Orientali *stabilita per* Edzardum *Comitem. Est tum edita* Summa *et* Confessio Doctrinæ Ecclesiastarum *in* Frisia Orientali.

A. 1529.

§. LXXXIII. *Comitia* Spirensia *Doctrinæ Evangelicæ inimicum formant Decretum, cui* PROTESTATIONEM *opponunt, et* Appellationem *Principes Evangelici unà cum Urbibus Imperii variis, unde nomen* PROTESTANTIUM. *Hi finitis Comitiis Noribergæ conveniunt, atque Legationem ad Cæsarem mittunt, nullo cum effectu*.

§. LXXXIV. *Reformatos, atque Helvetiis addictos cum Lutherus à Foedere Protestantium exclusos vellet* Philippus Hassiæ *ad evitandum schisma* colloquium *instituit* Marburgense, *cujus quædam enarrantur memorabilia. In Italia* Cæsar *se de novo* Pontifici *atque* Romanæ Ecclesiæ *addicebat*.

§. LXXXV. Argentoratensis *civitas à catastro urbium Imperii propter susceptam Reformationem exclusa*, Argentinenses *in conventu* Smalcaldico *cum non in omnibus vellent adsentiri Lutheri placitis, cum* Helvetiis confoederationem *inibant*. Ulmenses *à* Tigurinis *pro ulteriori reformatione consilium expetebant*.

§. LXXXVI. *Ecclesiæ* Mindensis *reformatio*. Gottinganæ *reformationis primordia*.

A. 1530.

§. LXXXVII. *Johannis* Bugenhagii

hagii *Epistola ad L. Cordatum de Evangelii* A. 1529. *cursu per varias* urbes Saxonicas, Melanchtonis *relatio de* Simone Grynæo, *divinitus à periculo quod ipsi Spiræ struebatur liberato.*

SECTIONIS. II.

§. LXXXVIII. *De progressu Reformationis in* Helvetià. *Apud* Basileenses Erasmus, Oecolampadius, Capito, Hedio, Luthardus, Reublinus, *alii Reformationi viam aperuerunt. Apud* Lucernenses *Nic.* Hagæus *et Oswaldus* Myconius *Evangelicam profitentur doctrinam, quibus favet Joh.* Xylotectus *Patricius Lucernensis & Jodocus* Kilchmeyer *Lucernanus Præco et canonicus. De* Osw. Myconio *specialius agitur, atque docetur, quam is in causa Eucharistica fidus semper manserit parastata Zwinglii. Commercium epistolicum inter* Conradum Fabricium *commendatorem Kussenacensem, et* Johannem Bodler *Plebanum Lucernanum.*

§. XXXIX. *Bercht.* Hallerus *jam* A. 1520. *apud Bernenses concionatorem agebat, atque cum* Seb Meyero, *puritati doctrinæ studebat, quæ res id apud Bernenses effecit, ut hi jam.* A. 1523. *favens pro doctrina Evangelica publicarent edictum. In* agro Bernensi *causa Evangelii promovebatur per Georgium* Brunnerum; *Joach* Vadianus *apud* San-Gallenses *et* Wannerus *itemque* Blaurerus *apud* Constantienses *Evangelio favent.* Hofmeisteri *ad Zwinglium epistola* 1520 *data laudatur.*

§. XC. *Pontifex et Gallus stipendiarios ab Helvetis milites expostulant, quae res dividendis Helvetiorum animis inservit. Episcopus* Lausannensis *Sebastianus dt* Montefalcone *primum Evangelio sed minimè constanter favit.*

§. XCI. *Apud* Vranios *in principio fuisse qui Reformationis negotio faverent docetur, itemque apud* Switenses *et* Tugienses.

§. XCII. *Quinimo etium apud* Friburgenses. *De Euangelicæ doctrinae primis fautoribus apud* Sangallenses, *et* Abbatiscellanos, *et* Solodurienses *et* Rhætos *et* Waldshutenses.

§. XCIII. *Seb.* Hofmanni *et Seb.* Hofmeisteri *apud* Scaphusanos *pro doctrina reformanda studium laudatur.*

A. 1523.

1523.

§. XCIV. Bernensium *Edictum anni* 1523. *in causa religionis laudatur.* Halleri, Wittenbachii *et Seb.* Meyeri *pro reformatione, conamina. Reformatio Abbatia* Konigsfeldanæ. *Rumor de* Carolo Sabaudiæ *Duce Evangelio favente vanus. Thomas* Wittenbachius *apud* Biennenses *Evangelium docebat: Tigurini Zwinglium adversus reliquos defendunt.* Glaronensium *erga Zwinglium favor.* Lausannensis *episcopi in veritatem Evangelicam inimicitia retunduntur per Bernenses. Apud* Mulhusanos *prima doctrina Evangelica semina spargit* Ulr. Huttenus, *ipsique* Mulhusani *jam* A. 1523. *faventissimum* pro Reformatione *promulgant Edictum.*

§. XCV. *Ingens jam* A. 1522. *&* 1523. *Confessorum apud* Basileenses *fuit numerus. Conradi* Pellicani *cum Gasp* Satzgero *controversia per magistratum Basileensem in Pellicani favorem diremta.* Pellicanus *et* Oecolampadius *constituti Lectores Theologia in Acad. Basileensi.* Lucernenses *Evangelio infestum prodebant animum.* Tugienses *itidem inimicum in veritatem produnt animum* Scaphusani *harent dubii.* Hofmeisterum *munere publico interdicunt, et* Erasmum Ritterum *tunc Pontificium in ejus locum advocant. Apud* Sarganenses *quadam exoritur doctrina lux.*

§. XCVI. *In urbe* Constantiensi *Jo* Zwickius *Evangelizabat, itemqve Joh.* Wannerus *vel* Vannius, *invito episcopo Constantiensi.* Ambrosii Blaureri *Paranesis laudatur.* Capito Blaurerum *hortatur ad constantiam.*

A. 1524.

§. XCVII. Lucernense *decretum adversus Evangelicam veritatem.* Bernenses *ministris ac sacerdotibus interdicebant matrimonium, simul tamen etiam Indulgentiis ponebant obicem. Tertium apud* Bernenses *d.* 22. *Nov.* 1524. *conditum est Religionis decretum, occasione dissensionis inter* Johannem Heim *et* Sebastianum Meyer.

§. XCVIII. *Legatio* Pagorum Pontificiorum *ad* Tigurinos, Scaphusanos *et* Abbatiscellanos Scaphusanorum *Responsum, et in Reformationem favor.* Erasmus Ritterus *cum collegis suis Reformationis causam*

sam suscepit. Intempestivus civium fervor reformationi propemodum posuisset obicem. Sangallenses *opera* Johannis Kesleri, Wolfgangi Ulmiani *et* Dominici Zillii *utuntur in Reformatione, quam summa cum prudentia et moderatione suscipiunt.* Mulhusanorum *in reformando diligentia et strenuitas.*

§. XCIX. Oecolampadius *cum suis reformationem* Basileensem *urgebat, invitis sacrificulis.* Magistratus Basileensis *moderatio laudatur. Qua per* Farellum *tum* Basileæ *et gesta et disputata sunt referuntur.* Farellus *post disputationem urbe excedere debuit.* Oecolampadius *verò in tollendis abusibus promovet.* Steph. Stoërii *Pastoris* Lichstallensis Disputatio Basileæ *habita pro clerogamia.* Waldshutensibus Balth. Hubmeier *Evangelium annunciat.*

§. C. Abbatiscellanorum *Responsum reliquis pagis datum. In* Regusiam *illata Evangelii lux.* Trægeri centum Paradoxa *Friburgi disputata. De* Toggenburgensium *benevolo in Reformationem animo.*

§. CI. Jo. Eckius Zwinglium *provocat ad Disputationem publicam* Badæ *vel* Lucernæ *habendam. Inter* Zwinglium *et* Eckium *ea de re Contentiones.* Zwinglius *ad communes* Helvetiæ Ordines *scribit, atque Eckium ut apud* Tigurinam *civitatem secum disputare velit invitat.* Tigurini *ne* Zwinglius Badam *proficiscatur, impediunt.*

§. CII. *Reformatio à* novem Pagis Pontificiis *proposita, edicto ea de re concepto, (Helvetiorum* Interim *meritò* dicendo) *cujus summa brevis traditur.* Grisones *per Joh* Comandrum *civitatis* Curiensis *Pastorem informantur.* Samuël Frick *Romæ factus est Evangelicus.*

A. 1525.

§ CIII. Zwinglii *cum* Valentino Compare *Archigrammateo Uranio certamen de Traditionibus humanis et Evangelio.* Zwinglii *in Reformando processus. Ejus sententia de* pravitate carnis, *de* demoliendis Imaginibus, *de superstitionis* Pontificiæ incrementis *apud Helvetios.*

§. LIV. Vitodurenses *itemque* Scaphusani *pergunt in reformando, licet quædam intervenirent turbæ.* Amb. Blaurerus *apud* Constantienses *Evangelii*

lii doctrinam tuetur adversus Ant. Piratam. Bernense novum *de Religione Edictum recensetur.* Grisones *in reformando pergunt. Jo.* Comander *accusatus ab Abbate S. Lucii et aliis, citatur ab Ordinibus Rhatia atque* Disputationem *sibi expetit.*

§. CV. *Prosper Evangelii apud* Basileenses *successus.* Oecolampadius *alio licet honorificè invitatus suam de novo ipsis addicit operam. Ejus* Expositio de S. Cœna *Erasmo laudata.* Erasmus *de Reformatione* consilium *dat.*

§. CVI. Glaronenses *processionibus anniversariis versus* Eremitanam virginem *moram injiciunt.* Biennensium *Reformatio promota. Eorum cum* Tigurinis *consociatio.*

A. 1526.

§. CVII. *Historia* Disputationis Rhæticæ *Ilantii habita inter* Comandrum *et reliquos. Specimina* ignorantiæ *Papisticæ. Reformatio* Rhætica *inprimis civitatis* Curiensis. Comandri *laus.*

§. CVIII. *Historia* Disputationis Badensis. *Zwinglius a Pontificiis pagis excommunicatur.* Acta *illius* Disputationis *serò nimis ab adversariis sunt edita. De* Ludovico Bero. Bernenses *tum, a veteri religione se non recessuros jurant.* Tigurini *suis, ut concionibus Evangelicorum intersint, mandant.*

§. CIX. Erasmus *ad disputationem* Badensem *invitatus non comparuit. De* Actis Disputationis *illius quadam adhuc commemorantur.* Capito *et* Argentinenses *implicantur controversia de editione actorum suscitata.*

§. CX. Tigurini dies festos *quamplurimos in memoriam sanctorum dedicatos abrogant. In* Ceporini *demortui locum* Pellicanus *vocatur Professor Ling. Hebr. Is relicta Basilea eò migrat, atque* Tigurinam Scholam *illustrat.* Capellensis *Reformatio, docente ibi* Henr. Bullingero, *auctoritate* Wolfg. Joneri *Abbatis est facta.* Bernense Edictum *ad cujus observationem se jurato adstringunt, de nulla mutatione religionis edunt. Sed, cum Hallero Bada reduci ut* iterum missam faceret *injungeretur, factum est ut ejus oratione coram senatu facta respuerint.* Farellus *varia loca ministerio suo illustrat.* Franc.

Kolbius *revocatus est Bernam*, Halleri *ut esset collega.*

§. CXI. *Ulterior apud* Basileenses *Reformatio per ministerium* Oecolampadii. Actorum Badensium *inspectionem* Basileenses *et* Bernenses *sibi expetebant sed frustrà*, *atque hac reliquorum Pagorum tergiversatio effecit ut* Bernenses *de alia* Disputatione *instituenda consilium caperent*, *et* Basileenses *Oecolampadio scriptorum suorum publicationem permitterent*, *utque Reformatio variis in locis promoveretur in* comitatu Turgoviensi, Regusiensi *apud* Toggenburgenses, Scaphusanos, Abbatiscellanos *&sim. Joach.* Vadianus *eximium in manu Dei pro perficienda* Sangallensi *reformatione instrumentum. Ejus vita et scripta.* San-Galliensium *erga pauperes liberalitas laudatur.*

§. CXII. *De* Christoph. Schappelero *et* Rèformatione Memmingensi *speciatim agitur.* Schappelerus *à seditionis labe quam ipsi affricuerunt nonnulli purgatur. Is* Memminga *cum se recipere deberet migravit ad* San-Gallenses *Evangelio promovendo addictus.*

§. CXIII *Synodus* San-Gallensis *circà disciplinam Ecclesiasticam.* Septem Pagi *Pontificii arctius se consociare adversus Evangelicos.* Tigurinorum *prosper in Evangelio successus*, *intereà dum alia machinantur hostes.* Thomæ Wittenbachii *mors*, *itemque* Conradi Rechenbergii *Abbatis Einsiedlensis.*

A. 1527.

§. CXIV. *De turbis* Anabaptisticis Tigurinis *et* Basileensibus. Bernenses *Juramentum superiori anno factum revocant*, novumque *promulgant* Edictum *quod se referebat ad Edictum anni* 1523. *Caeterum Indicunt publicè* Disputationem *sequenti anno habendam. Theses* F. Kolbii *et* B. Halleri.

§. CXV. Zwinglius *sigillatim ab Hallero* Bernam *invitabatur.* Ordines Imperii *dissuadent hanc disputationem*, *quibus* Bernenses *respondent. Reliqui Pagi non minus dehortantur* Bernenses *ab habenda disputatione sed hi illis respondent.* Reformatio *per universum* agrum Bernensem *feliciter succedit.*

§. CXVI. Basileenses *de Missa*, *ut* Marius *et* Oecolampadius *sententiam dicerent*, *ipsis injungunt*, *atque deinceps à civibus vehementer ad id instigati publicam edunt declarationem*, de per-

permittenda *utrivis parti* concionum *et* fidei libertate.

§. CXVII. *De* Mulhuſanorum, Capellenſium *et* Scaphuſanorum *ulteriori Reformatione*, *itemque de* Glaronenſium *et urbis primaria in comitatu* Toggenburgenſi, Lichtenſteig.

A. 1528.

§. CXVIII. *Hiſtoria* Diſputationis Bernenſis. *Reformatio per univerſam quà patet ditionem* Bernenſem *inſtituta*. Academia Bernenſis *fundata*. Bernenſes Regi Galliæ *mercenarium militem renunciant. Diſputatio lingua Gallica Berna habita inter* Farellum *et Doctorem quendam Pontificium*, *ſed abrupta*. Aquilejenſis *Reformatio promota*.

§. CXIX. Conſtantienſes *ſequuntur exemplum Bernenſium*. Genevenſium *Reformationis prima rudimenta*.

§. CXX. San Gallenſes, Biennenſes, Glaronenſes, *et* Toggenburgici *comitatus incola varii*, Bernenſium *exemplum ſecuti Eccleſias ſuas reformant*. Baſileenſes *cives ulteriora tentant nondum conſentiente Senatu*. Oecolampadius *uxorem ducit*. Tigurini *Synodos celebrant ad mores Evangelicorum miniſtrorum componendos*, *atque etiam ne quis in poſterum in Senatum vel majorem vel minorem reciperetur niſi Reformatus edicunt*. Rhætorum *& imprimis* Curienſium Reformatio *ulterior*.

A. 1529.

§. CXXI. *De* Reformatione Baſileenſi *pleniori*. Eraſmi *de ea relatio*.

§. CXXII. *Viri Docti quam multi et inter eos* Eraſmus *Baſilea relicta ſe* Friburgum Briſgoiæ *conferunt*. Eraſmus *Reformatorum cauſam agnoſcebat juſtam*, *ſed metu correptus id profiteri non audebat*. *S.* Grynæus *Baſileam vocatur itemque Seb.* Munſterus. *De* Sim. Grynæi *vocatione memorabilia*.

§. CXXIII. Paul. Conſt. Phrygio *ad ædem* Petrinam Baſileenſem *Paſtor vocabatur*. Ordinatio Ecceſiaſtica Baſileenſis *Oecolampadii nutu conſcripta et edita*. *Oecolampadius de* diſciplina Eccleſiaſtica, *et* ritibus Euchariſtiam celebrandi *egregia ſcribit ad amicos*. Confeſſio Bâſileenſis *tum quoque ſcripta eſt*, *ſed anno* 1534. *demum edita*

§. CXXIV.

§. CXXIV. Scaphusiani *plenius reformant*, *atque etiam* Tigurini *et* San-Gallenses Schappelerus 42 *themata in oppido S. Galli disputanda proponit adversus Pontificiorum errores.* Bernenses Moribus *quoque* reformandis *intenti.* Glaronenses *magna circumspectione suam promovent Reformationem nutu* Valentini Tschudii.

§. CXXV. Fœdus Pagorum Reformatorum *sub nomine* Burgrecht *erectum. Cui varii statim accedunt.* Biennenses *ministerio* Georgii Chalybeoli, *ulterius reformantur*, *Reformatio felices in* Herisovia, *itemque* Episcopicellæ, *porro apud* Velenenses, Schenenses, Diessenhofenses *atque alios habet successus*, *et cumprimis in* Cœnobio Wettingensi *cui* Oecolampadius *gratulatoriam scribit Epistolam Apud* Solodurienses *erant quoque qui Reformationi favebant*, *et sibi Pastorem Evangelicum expetebant.* Reformatio Bremogartensis *feliciter suscipitur.*

§. CXXVI. *Duæ tum in Helvetia Reformata celebratæ sunt* Synodi *altera* Toggenburgi, *altera* Frauenfeldæ; *Quinque pagici cum* Ferdinando fœdus *pangunt* Tigurini *et* Bernenses *copias suas in illos educunt. Est tamen brevi post* Aroviæ *inter eos* Pax sancita, *quanquam vel sic neutra pars alteri satis fideret.*

§. CXXVII. Zwinglius *Marburgi causam Eucharisticam agit*, *atque deinceps*

A. 1530.

Tractatum edit de Providentia Dei, *in quo admodum durè loquitur*, *de Dei ad peccaminosas hominum actiones* concursu, *nec satis recte sentit de* salute infantum *et cumprimis de* salute gentilium, *quamvis alioquin etiam præclara multa illi operi insint.*

§. CXXVIII. *De* Waldensium legatione ad Bernenses Basileenses et Argentinenses. *Eorum collatio cum Oecolampadio instituta. Oecolampadius eos plenius informat circa fidem et mores. Redeunt in patriam*, *atque pericula subeunt.* Synodus *ab ipsis celebrata in* valle Angrunia *præsente* Gui. Farello.

§. CXXIX. Tigurini *de reformandis moribus soliciti.* Wilensis *urbis incolæ reformantur.* Glaronensium *reformatio plenior. Apud* Solodurienses

The-

Theses quædam eduntur, sed Disputatio differtur. G. Farelli *Opera Evangelio cumprimis proficua.* Neocomensis *urbis et vicinarum regionum et locorum Reformatio per ipsum procurata.*

§. CXXX. *Acta circa* Disciplinam Ecclesiasticam Basileensia, *et* Sangallensia. Zwinglius *cum* Oecolampadio *paria non facit. Nec reliqui Theologi Oecolampadii circa* excommunicationem *Zelum comprobant. Res indecisa relicta primis Reformatoribus. Causa cur* Excommunicationem introducere *minus opportunum judicaverint, enodantur.*



SUPPLEMENTA
AD TOMUM I.

Ad §. XXXV. pag. 67. Quantus Mæcenas fuerit Leo ille, etiam addisci potest ex Celeb. HEUMANNI Poecile Tom. III pag. 566. seq.

——— 69. De Conclavi Leonis X. conferri debent quæ leguntur in *Lettres du Roy Louis* XII. Tom. IV p. 63 80.

Ad §. XLIV. pag. 92. lin. 14. (*a*) Is est libellus, quem sub titulo *Instructionis Summariæ* &c. Tomo huic I. inter monumenta n. IX. subjicimus.

Ad §. XLVII. pag. 100. lin. 8. post verba (*lateque splendentem:*) Non possumus non hic Ottomari LUSCINII Juris Pontificii Doctoris Hendecasyllabum apponere in laudem Operum doctissimi *Keysersbergii:*

Monte e Cæsareo genus trahentem
Geilerum, patriæ decus perenne,

Qui vixit bene, nec minus diserte
Plebem commonuit, patres togatos,
Vestales, Proceres, sua eruditione
Vix cedens atavis, sacer, pudicus,
Frugalis, patiens, benignus, acer,
Quem si nosse voles amice lector,
En spirat tibi vivus hic legenti,
Quando non potuit dies nocere.
Tanto summa viro, docet, quod olim
Suggesto positus. Necis soluta
Dira lege semel, nequit mori post,
Quin captat magis auram amoeniorem.

Vid. HARDT. Autogr. Luth. T. III. P. 11, 12.

Ad §. LXII. pag. 132. lin. 22. (a) Certè BELLARMINUS in Oratione Tomo IV. *Controversiarum* præfixa pag. 3. profitetur, „ quod Lutheri Doctrina non contenta occiduis & aquilo- „ naribus regnis, ad Orientem quoque & Meridiem, ad Græcos, „ ad Indos, ad ipsum novum Orbem navigare ausa sit. „

Ad §. LXIX. pag. 149. lin. 7. addatur: Sunt memorabilia prorsus ERASMI in Epist. ad Thomam Grejum jam A. 1499. scripta verba: „ Nolim hæc in ipsam dicta Theologiam, quam ut scis „ unicè semper colui, sed in nostræ tempestatis Theologastros „ quosdam jocari libuit, quorum cerebellis nihil putidius, „ lingua nihil barbarius, ingenio nihil stupidius, doctrina nihil „ spinosius, moribus nihil asperius, vita nihil virulentius, pe- „ ctore nihil nigrius. „ Vid. Erasm. Epist. T. I. Ep. 85. fol. 77.

Ad § LXXXIII. pag. 201. Est notabilis *Mercurini* nostri, Cæsaris nomine A. 1526. d. 17. Septembris data *responsio ad literas Clementis* VII. P. R. *in qua falsis criminationibus Papa diffuse respondet Cæsar* (uti habet titulus) *à Pontifice Romano appellat, generaleque Concilium Christianorum congregari cupit.*

Ad pag. 203. lin. 10. addatur: ut hic sphalma quoddam a Paulo SARPIO in Historia Concilii Tridentini commissum corrigi debeat, quando is p. 45. edit. Latinæ judicat „ quasi Gattinariæ suasiones Pa-

„ pæ fuerint proficuæ, *quod ei Papa* multa promiserat, singillatim verò uni è consanguineis aut clientibus ejus, proxima, quæ „ instabat, Cardinalium electione, pileum purpureum. „

Ad §. CIV. pag. 247. Mira est *Jo. Henrici Kindervatteri* in Nordhusa illustri p. 118. Αβλεψια, qui ex uno *Jodoco Jona* duas nobis effigiat personas, alteram *Justi*, alteram *Jodoci* nomine illustrem, cujus utriusque vitam nobis recensuit. Vid. KAPP. spicileg. Tom. II. p. 444.

Ad §. CXIV. pag. 273. not (*a*) Vocat autem *Zwinglius* Apologeticum suum *Archetelem*, id est, principium finem, idque ideò, quod speraret, initium & finem, id est, summam controversiæ inter ipsos hoc moderato scripto compositum iri:

Ad §. CXXX. pag. 328. lin. 4. (*a*) Extat *Joh. Bapt.* OTTII Dissertatio Msf. citata in Bibliotheca sacra *Jacobi le* LONG, qui ex eadem hæc eruit problemata: (1) Quinque Tigurinas editiones, & a Lutheri versione differre, & inter se ipsas aliquo gradu; (2) Integros Libros à Theologis Reformatis esse conversos, nullo omnino in iis præeunte Lutheri adjumento. (3) Traduxisse eos etiam reliquos V. et N. T. libros, sed Lutheri versione veluti face ipsis eximiè prælucente; (4) Neque tamen ullo modo plagii crimen incurrisse. (5) Dialecti Helveticæ rationem ab iis præcipuè fuisse habitam. (6) Mansisse tamen in illis editionibus quandoque vocabula, phrasesque minus in patria usitatas. (7) Denique hanc Bibliorum Germ. Tigurinorum operam Theologis quidem Reformatoribus in genere, sed cumprimis *Leoni Judæ* ut ἐργοδιώκτῃ deberi, æque ac *Biblia Latina*.

SUPPLEMENTA AD TOMUM II.

Pag. 47. not (*a*) adde: Conf. SPALATINI Diarium ad hunc annum apud SCHELHORN in Amoenit. Literar. Tom. IV. p. 395. 396.

Pag. 54. lin. 27. (*e*)
subjunge not. (*e*) Quam Apologiam lingua Germanica in 4 edi-

tam ipse servo, ubi colum. d. i. illa quæ à me citata sunt verba occurrunt.

Pag. 56. ad fin pag. adde: Conf. CAMERAR. in Vita Melanchth. p. 98. 99. & v. d. HARDT Histor. Literar. Reform. fol. 65.

Pag. 78. lin. 7. Ejusdem *Adami* WEISS ad Huldricum Zwinglium Epistolæ A. 1522. & A. 1523. scriptæ leguntur apud HOTTINGERUM Hist. Eccl. Sec. XVI. Tom. II. p. 465-468.

Pag. 102. not. (*d*) Hujus *Johannis Polyandri* Vita nobis exhibetur in *Prussia illustrata* (Erleutertes Preussen) Tom. II. artic. XX.

Pag. 103. lin. 4. 5. Conferri hic ante omnia debent, quæ LUTHERUS in Epistola *ad Brismannum* d. 4. Julii 1524. data, de ratione modoque Reformationis Borussicæ præcepit quæ reperitur itidem in *Pruss. illust.* T. I. Sect. IV. n. 2. & quam in linguam Gallicam translatam notisque illustratam legimus in *Biblioth. Germaniq.* Tom. XV. anni 1728. pag. 224. seqq. ubi inter alia: *Paulum Speratum*, jam multa propter Evangelium passum ipsi commendat, & de rusticorum ingruentibus tumultibus conqueritur; atque refert, se cum *Alberto* Brandenburgico Ordinis Teutonici Magistro qui ipsum de sui Ordinis regula consuluerat collocutum ipsi suasisse ut *contemta ista stulta confusaque Regula*, uxorem duceret, atque ut *Borussiam in Principatum vel Ducatum redigeret*, atque idem sensisse Ph. Melanchthonem; Principem interea arrisisse, sed nihil respondisse, quanquam ipsi placuisset quoque consilium; Deinceps hortatur *Brismannum*, *ut operas suas cum Sperato et Amando conjungat*, atque Borussis id consilii det, ut *Albertum* ea de re conveniant, atque id ab eo expetant, quò, loco abominabilis illius Principatus Magisterialis, qui *Hermaphrodita quidam*, *nec Laicus*, *nec Religiosus* sit, *verum* in Borussia erigat *Principatum*; Intereà tamen cautè in hujus consilii datione procedendum censet, atque cumprimis id efficiendum, ut populus ipse prius in eam sententiam inducatur, qui Equitibus Matrimonium suadeat & permittat, sicque sensim & sine sensu Formam Politicam huic Ordini conciliet &c.

Pag. 109.

Pag. 109. lin. 8. addatur: Apud OETINGENSES (est *Oetinga* nobilis in Bavaria civitas) tum quoque *Wolfgangus Rus*, Evangelicæ Doctrinæ præco extitit, quippe qui Evangelium Matthæi suis explicabat, brevemque edebat *Paranesin* (vid. Herm. v. d. HARDT Autogr. Luth. Tom. I. p. 159. 160.) *ad recipiendum doctrinam Evangelicam, in qua simul quænam verè sint Opera Evangelica, quæ Deus à nobis postulet, exponitur.*

Ad pag. 132. lin. 2.

In BREMENSI verò etiam Archiepiscopatu, quod tum Evangelii causa fuerit promota, colligitur ex iis quæ ad annum 1525. annotavit, venenato licet calamo RAINALDUS fol. 436. ubi & quam *Christophorus* Archiepiscopus adversus Lutheranos collegerit exercitum, traditur, Lutheranosque prælio fregerit, atque deinceps significaverit *Clementi* VII. P. R. spem affulgere, ut Bremam & alias arces e Lutheranorum manibus vindicaret & religionem (Pontificiam) in pristinum splendorem restitueret, si opportuna auxilia ei submitterentur: Quæ omnia, ex sequenti Pontificis ad Christophorum Epistola dilucidius intelliguntur.

Venerabili fratri CHRISTOPHORO archiepiscopo Bremensi.

Non sine animi nostri molestia intelleximus id quod antea ex ipsius *Laurentii* Cardinalis *Campegii* & aliorum fida relatione ac fama ipsa perceperamus, civitatem & populum *Bremensem* tibi tam in spiritualibus quam temporalibus subjectos, una cum pluribus oppidis & locis Provinciæ tuæ Bremensis aliis, in nefandam hæresim Lutheranam temere prolapsos, non solum a tua & hujus sanctæ sedis debita obedientia & devotione, sed ab ipsa etiam orthodoxa fide penitus descivisse, ac plures ecclesias cum earum domibus & monasteriis in civitate & provincia prædictis profanasse ac evertisse, eorumque bona temeritate sacrilega occupasse ac dilapidasse, teque ipsorum Patre & Pastore contempto & excluso, canonicos ecclesiæ Bremensis, & alias personas ecclesiasticas hæresim Lutheranam sequi recusantes expulisse, ac Lutheranos

nos ipsos induxisse, pluraque impia & immania contra Christi redemtoris nostri, ejusque gloriosæ matris virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum nomen, imagines, ac venerationem, & ecclesiastica sacramenta, nec non dictæ sedis honorem & dignitatem fecisse, ac indies facere præsumere: quæ profecto uniuscujusque Christi fidelis mentem & animum vel solo auditu commovere ac magno dolore afficere debent.

Placuit autem ex literis & relatione hujusmodi intelligere, Fraternitatem tuam haudquaquam demisso & abjecto, sed erecto & constanti animo semper fuisse, nuperque nobilium & aliorum fidelium auxilio adjutam, de Lutheranis ipsis, non parva eorum multitudine trucidata, felicem victoriam, dextera Domini tibi assistente propitia, reportasse, sperareque dictam *Bremensem* civitatem & alia Provinciæ tuæ oppida ac loca à dictis Lutheranis detenta & occupata recuperare, nec non populos hæretica fraude seductos, si non virtutis amore, saltem vi & armis ac formidine poenæ, ad pristinum fidei cultum & veram religionem reducere posse, dummodo opportunæ suppetiæ & auxilia tantæ rei necessaria tibi a nobis ministrentur.

Testis est nobis Deus, quam promto ac libente animo fraternitati tuæ pro tam sancto & pio negotio etiam de pecuniario subsidio subvenire atque succurrere vellemus, &c.

[*Subdit deinceps*, „ se inopia ærarii summa premi temporum„ que difficultatibus; ne tamen illi desit, sacerdotia plura con„ ferendi de se benemeritis facultatem ipsi tribuere; Bremensis„ que et Verdensis Provinciarum decumas ipsi tribuere, tum „ principes finitimos ad ferendum illi opem incitare, ut Lu„ therana hæresis elidatur.]. Dat. Romæ die XXV. Novembris MDXXIV. pontificatus nostri anno II.

Neque etiam in promissis segnem se præbere, sed ad Principes finitimos eam in rem literas exarare exstimulatorias idem Pontifex aggrediebatur: Huc certè faciunt, eæ quas ad Fridericum & Christianum Holsatiæ & Slesvici duces, qui dum Christiernus Dania exulabat, res Danicas administrabant, dedit, quibus eosdem, ut Christi & Ecclesiæ causam adversus feroces Lutheranorum impetus

tus & conatus tuerentur, hortabatur ac instigabat, quasque ex RAINALDI Annalibus l. c. fol. 436. et 437. hic exhibemus, quod cumprimis faciunt ad illustrationem rerum tum temporis, in Patria mea, quæ abinde Reformatæ Ecclesiæ Hospitium extitit, gestarum.

Dilectis filiis nobilibus viris FRIDERICO & CHRISTIANO Holsatiae & Slesuiacensi Ducibus.

Persuasum habemus Nobilitatem vestram non ignorare, quanta & quam miserabilis temporum nostrorum sit infelicitas, quibus ultra varias dissensionum ac bellorum per tot annos calamitates, atque innumeras Christi fidelium strages, civitatum, & locorum depopulationes, Provinciarum vastationes, & alia mala quam plurima, quæ universam fere Christianitatem vastarunt & afflixerunt, impia & detestanda hæresis Lutherana, humani generis hoste procurante, in Germaniæ partibus primum exorsa & aucta, deinde in omnes fere Christiani orbis partes pervagata est: propter quam infinita scandala & irreparabilia damna successerunt; adeo ut sæviente indies hæreticorum furore & rabie, præter multarum cathedralium & metropolitanarnm, ac aliarum ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum totales ruinas, direptiones & vastationes, ipsorumque episcoporum, archiepiscoporum, abbatum, & religiosorum, ac etiam monialium expulsiones a Lutheranis hæreticis in Christi redemtoris nostri, ejusque gloriosæ matris virginis Mariæ, & aliorum sanctorum impiam abnegationem & persecutionem factas, infinitus Christi fidelium sanguis intra paucos menses effusus ac sparsus fuerit, pluraque & magis horrenda, nisi opportunè provideatur, universo populo Christiano immineant, quæ profecto uniuscujusque Christifidelis mentem atque animum non mediocri dolore afficere, & ad necessaria remedia cogitanda & inquirenda excitare atque impellere debent.

Nos certè, cum primum ad summi apostolatus apicem divina favente clementia assumti fuimus, nihil impensius, ac majore animi solicitudine cogitare coepimus, quam ut dicta hæresis tempore felicis

cis recordationis Leonis Papæ X. prædecessoris nostri exorsa, nostro tempore penitus evelli ac radicitus exstirpari tandem posset. Sciunt hoc fere omnes Christiani principes, non solum literis, sed etiam specialibus nuntiis nostris sæpius moniti ac requisiti, ut tantum ac tam late vagans incendium, ad ipsos etiam nisi caverent quandocunque venturum, extingui curarent, ac episcopis, archiepiscopis, & aliis personis ecclesiasticis, diram Lutheranorum persecutionem patientibus auxilio esse vellent; nec omisimus omnipotentem Deum continuis precibus rogare, atque ab omnibus Christi fidelibus rogari facere, ut fidelem populum suum respicere et a tantis malis liberare dignaretur. Cujus ineffabili clementiæ & misericordiæ immortales agendæ sunt gratiæ, quod nonnullorum tam secularium quam ecclesiasticorum ad resistendum furori dictorum Lutheranorum, ac Ecclesiam a dicta hæresi liberandam corda & animos tangere dignatus fuit, ut sperandum sit gratiam divinitus nobis missam optatos ac felices effectus brevi parituram fore.

Cum nuper autem inter alios qui adversus nequitiam Satanæ surgere ac sanctam Christi fidem contra eorundem Lutheranorum impietatem viriliter defendere non dubitarunt, intellexerimus venerabilem fratrem *Christophorum* archiepiscopum *Bremensem*, cujus civitas, & quamplurima oppida & loca Provinciæ Bremensis, dictæ hæresis Lutheranæ labe infecta sunt, ad hujusmodi hæresim radicitus extirpandam, ac Lutheranos ipsos, contra quos dextra Domini sibi assistente propitia, non parva eorum multitudine cæsa, felicem victoriam reportavit, ulterius persequendo se accingere, sperareque, si opportunæ suppetiæ ac necessaria auxilia sibi non defuerint, dictos Lutheranos expulsurum, ac Civitatem & Provinciam suam Bremensem dictæ hæresis peste liberaturum, populosque hæretica fraude seductos ad verum & antiquum Christianæ religionis cultum omnino reducturum fore; multum in Domino gavisi & lætati fuimus, ipsumque *Christophorum* archiepiscopum, ut ejus animum ad tam pia opera magis ac magis promptum redderemus, nonnullis gratiis & facultatibus, quas a nobis requisivit, juvare non destitimus.

Quia vero propter inopiam pecuniarum, quam hæc sancta sedes

sedes ob iniquam temporum conditionem ac incredibiles expensas tam a nobis, quam a prædecessoribus nostris necessario factas, omnino exhausta, insuperque maximo ære alieno gravata, & oppressa est, eidem Christophoro archiepiscopo de pecuniario auxilio, prout nostri desiderii eff t, nunc subvenire non possumus, & sine illo ipse Christophorus archiepiscopus tam sanctum propositum suum persequi nullo modo potest;

Nobilitatem vestram in Domino hortandam ac paterno affectu requirendam duximus, ut pie cogitantes causam hanc non tam hominum, quam ipsius Dei, per quem reges regnant, & principes imperant, causam esse, ac propriæ virtutis vestræ memores, qua Lutheranam hæresim ferro & igne persequendam semper duxistis, nec unquam talem pestem in dominio vestro crescere permisistis, insuperque considerando quod Provinciæ Bremensi Lutherano incendio flagranti succurrendo, dictum dominium vestrum ab hujusmodi incendio etiam tutius atque securius reddetur, præfato Christophoro archiepiscopo omnibus quibus poteritis auxilio esse non gravemini. Quod si, ut speramus & optamus, feceritis, rem perpetua laude & gloria dignam facietis, ac tam boni faustique operis largam retributionem in præsenti & futuro sæculo consequemini, nosque & sedem prædictam in omnibus, quæ cum Deo fieri poterunt, semper benevolos atque propitios reddet. Dat. Romæ die VIII. Decembris MDXXV. Pontificatus nostri anno III.

Conceptis fermè eadem verborum forma literis excitati sunt ad conjungendas cum Bremensi Archiepiscopo adversus Lutheranos subsidiarias copias, *Hermannus* Coloniensis Episcopus, & *Albertus* Cardinalis Moguntinus, *Henricus* Dux Brunsvicensis tum etiam Lunenburgensis Princeps, tradente in Annalibus eodem RAINOLDO.

Pag. 134. lin. 13.

Addatur: Extat saltem atque in *Bibliotheca* Guelpherbytana reperiuntur scripta *Wolfg.* CYCLOPIS et *Nic.* AMSDORFII Eristica *Magdeburgi* & *Witeberga* jam A. 1525. 4. edita v. HARDT Autogr. Luth. T. III. p. 120.

Pag. 146. not. (*c*) Estque tum jam editus, lingua Germanica pariter

ter atque Saxonica libellus, sub titulo: *Grund und ursach aus der H Schrift, wie und warum die misbrauche bey der Heyl. Messe, Jahrtage, geweihet saltz und wasser, samt etlichen andern ceremonien bey denen von Nurnberg nachgelassen seyn.* Witeb. 1525. 8. vid. HARDT. Autogr. Luth. T. I. p. 220.

Pag. 169. not. (c) lin. 5. Est quoque id notabile, quod Interpretum ibi quos *Tolcken* appellant fiat mentio, qui ex suggestu alio, eadem quæ Parochi concionantes proloquebantur, lingua veteri Borussica, unam periodum post alteram recitarent. vid. SECKENDORF. Lib. I. pag. 298. et conf. 1 Corinth. XIV: 5.

Ad p. 170. fin.

Et ne quis hanc *Vbb.* EMMII censuram nimis virulentam judicet, efficiet ERASMI testimonium, qui A. 1529. ita Friburgo scribebat ad *Joh. Botzhemum* in Epist. volum II. n. 1072. p. 1228. *Frisia habet Dominicanum Laurentium quendam Ruffum, nunc ut ajunt Priorem* Gruningensem, *virum fortem et bene linguacem, qui quum Lovanii ambiret lauream Theologicam quò se commendaret quibusdam Theologis, totos menses in concionibus ad populum debacchatus est in auctorem Moriæ, veteris comoediæ exemplum nobis referens non aliter quam si face oblitus de plaustro diceret, non è sacro suggestu doctrinam Evangelicam prædicaret.*

Pag. 175. lin. 4 à fine Ad Annum 1526. spectat Libellus editus sub titulo: *Wie Doctor Cubito, Bonifacius und der Sontags-Prediger im Thum zu Magdeburg, Gottes Wort lasteren. Eberhardus Widensee, und Johan Fritzhans.* Dialogus. Vid. HARDT Autogr. Luth. T. I. p. 229

Pag. 192. in not. lin 15. addatur: Sed omni tergiversationi circà hanc causam, ansam præscindunt *Acta Disputationis Bernensis* ubi fol. CLXIX. ipse *Conradus* SOMIUS hunc in modum circà articulum quartum totam illam disputationem finit: „ Ich bin „ nit der meynung hie, das ich die schlusrede widerfechten wolle, „ sonders halte ich sie fur Christenlich, und in gotlicher schrift „ so wol gegrundt, das weder Tüffel nog menschen etwas dawi- „ der vermögen. Daarzu hab ich dieselbigen einer Christlichen

„ Ge-

„ Gemeind zu Ulm gepredigt, und inzonderheid die vierdte.
„ schlusred, inhaltend vom nachtmahl des Herren, gelert,
„ namlich, *das der lyb und das blut Christi, im brot und wein*
„ *nit wesentlich* empfangen werde. „

Pag. 238 lin. 15. addatur: Quis verò non miretur, jam tum quoque inter Bernenses extitisse, qui Satyrico sale non tantum perfricuerunt Ecclesiasticorum Pontificiorum illius temporis mores & manifesta sacerdotum flagitia, sed &, qui publice id non veriti sunt facere, & coram plebe, idque lingua vernacula, cum oretum scriptis? Fuit autem *Nicolaus* MANUEL, Vir planè eximius, qui tantum facinus obire est ausus, edendo, atque curando ut ad veteris comoediæ exemplum publicè ederentur atque etiam typis imprimerentur Comoediæ quædam, sub. tit. *Fastnachts Spielen*, in quibus is admodum mordaci stylo verum dicere satagebat, prouti hæ ipsæ jam A. 1522. sunt editæ, sed A. 1525. omnium primò typis impressæ & deinceps altera vice A. 1540. cum insignibus reip. Bernensis, apud *Mathiam Apiarium* primum urbis Bernensis typopraphum: Exceptum verò ex iis memorabile nobis suppeditat Cl. SCHEURERUS Theologus Bernensis in Vita *Seb. Meyeri* pag. 146. sq. & in vita *Nic. Manuelis* pag. 233-252.

Pag. 390. Ad Historiam Reformationis *Coenobii Wettingensis* inprimis notamus, eam Reformationem potissimum promotam fuisse ministerio *Nicolai Manuelis*, Viri inter Bernenses laudatissimi, & *Bernh. Fonteji* sive Brunneri, Glaronensis, tum præfecti Badensis, id quod in Biographia *Nicolai Manuelis* indicavit Doctiss. SCHEURERUS pag. 375. & seq. qui simul ex originalibus egregiam ipsius *Manuelis* ad Dominos *Bernenses*, & horum nobis suppeditat Epistolam gratulatoriam, ad *Coenobium Wettingense* eodem hoc anno 1529. scriptam: Enimverò & hæc gaudia quod non fuerint diuturna, eventus belli Cappellensis 1531. tristissimus edocuit, quando, qui jam Reformationem susceperant, loco cedere, atque aliorsum se recipere cogebantur, in ipso verò Coenobio, Monachismus denuò instaurabatur.

Pag. 392. not. (d) Conf. SCHEVRER in Vit. *Manuelis* pag. 383. in Vita *Bercht. Halleri* peg. 452. sq.

SPHALMATA CORRIGENDA,

Pag. 20. not. *(c)* lin. 1. pro N. III. lege N. II.

Pag. 26. not. *(b)* lin. 1. [Has latine refert Bzovius ad A. 1521. atque earum] lege: *Vid.* LUTH. *Opp. Jenens. Tom. II. fol.* 411. b. *Harum.*

Pag. 62. lin. 3 à fine, [ab Argentinensi quidem Senatu] adde: *itemque à Bambergensi*, Conf. LUTH. Opp. Jenens. Tom II. fol 539. 540.

Pag. 102. not. *(a)* lin. 2. pro [§. LXXXI.] lege §. LXXX.

Pag. 137. not. *(a)* lin. 1. pro 398. lege 328.

Pag. 188. not. *(d)* lin. 1. pro fol. 669. lege 666.

Pag. 201. lin. 10. pro [qui in Borussia Monachum egerat] lege: *qui jam in Borussia concionatorem egerat.*

Pag. 212. lin. 3. pro [donum] lege: *domum.*

Pag. 257. lin. ult. in not. pro [§ CXIX.] lege XCIX.

Pag. 318. lin. 12. dele: [*Consulis Basileensis,*] neque enim tum jam, sed aliquot annis post, ad Consulatum is est evectus.



MONU-

MONUMENTA ANTIQUITATIS
AD ILLUSTRANDAM
HISTORIAM
REFORMATIONIS
ECCLESIASTICAM
FACIENTIA

Partim hinc inde ex impressis
documentis rarioribus

partim ex Mss. eruta.

TOM. II.

Num. I.

M. LUTHERI Epiſtola ad Carolum V. Imp. Ro. Germ. A. 1520. ſcripta.



Emorabili hac Epiſtola & quæ Heroicum LUTHERI animum, intrepidamque cauſæ quam agebat fiduciam luculenter arguit, ipſum hujus Collectionis veſtibulum exornare voluimus, quod ea quæ legatur eſt digniſſima, quippe quæ non ſolummodò nos informat de rebus Evangelii, tum periculi damni & moleſtiæ pleniſſimis, ſed et, quam boni viri in omnibus officium adimpleverit Lutherus, edocet; Is enim, ne in herba ſupprimeretur Veritas Evangelica, vel inaudita condemnaretur, omnem navabat operam; Num verò Cæſar in Lutheri favorem, tum quidpiam vel decreverit, vel fecerit, ignoramus, niſi quod ex Hiſtoria conſtet, eum anno ſequenti moleſtiſſimum in Comitiis Wormatienſibus in ipſum Lutherum promulgaſſe Edictum. Edidit, autem hanc Epiſtolam, fortè quod cenſeret hactenus impreſſam non legi, Vir Doctus atque inter Remonſtrantes dum vivebat, Doctor eximius, JOHANNES BRANTIUS Gerhardi filius, qui Amſtelodami anno hujus ſeculi ſecundo *centum clarorum virorum Epiſtolas* publicavit, atque hanc eandem, in ſui quoque operis frontiſpicio nobis legendam dedit; Interea tamen eam in collectione AURIFABRI Tom. I. pag. 229. quoque reperiri notamus, unde emendatiorem, quam a BRANTIO erat edita & à FABRICIO in Centifolio Lutherano Tom. I. p. 68. ſq. repetita, hic depromſimus.

IHESUS.

Gratiam & pacem a Domino noſtro Iheſu Chriſto. Quod *ego* Majeſtatem tuam ſereniſſimam, Imperator optime Carole, audeo

lite-

literis adire, nemo non optimo jure mirabitur. Quid enim insolentius videri poterit, quam Regem Regum & Dominum dominantium *in terris* a vili & infimæ sortis homuntione compellari? verum minus mirabitur, quisquis causæ magnitudinem contemplatus, de Euangelica veritate agi intellexerit: quæ cum digna sit etiam cœlestis Majestatis thronum accedere, non indigna videri debet, quæ terrenum principem conveniat. Accedit, quod *terreni* Principes, ut sunt imagines cœlestis, ita eos decet hunc imitari: ut & ipsi in altis habitent, humilia tamen respiciant in terra, & suscitent de terra inopem & de stercore erigant pauperem. Venio itaque inops & pauper ante pedes tuæ Serenissimæ Regiæ majestatis prostratus, indignissimus, dignissimam tamen causam producturus.

Editi sunt a me *nonnulli libelli*, quibus multorum & magnorum mihi conflavi invidiam & indignationem: ubi duplici tutus esse præsidio debui: primum, quod invitus in publicum veni: nec nisi aliorum vi & insidiis *prodiens* scripsi, quicquid scripsi: nihil unquam ardentioribus votis expetens, quam ut in angulo meo laterem: deinde, quod teste conscientia mea ac optimorum virorum judicio, non nisi Euangelicam veritatem studui evulgare, adversus superstitiosas humanæ traditionis opiniones: *propter quam* tertius jam finitur ferme annus, ex quo patior sine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid adversarii possunt excogitare mali. Frustra interim *veniam peto:* frustra silentium offero: frustra pacis conditiones propono: frustra erudiri meliora postulo: unum est quod in me paratur, tantum ut extinguar cum universo Euangelio.

Cum autem omnia frustra tentarim, visum est tandem exemplo *S. Athanasii*, Imperatoriam majestatem invocare: si forte Dominus dignetur per eam suæ causæ adesse. Quare serenissimæ majestati tuæ, Carole Princeps Regum terræ, suppliciter procumbens supplico: dignetur non me, sed causam ipsam veritatis, ob quam tibi solam datum est gladium gestare, in vindictam malorum, laudem vero bonorum, sub umbram alarum tuarum suscipere: & me in illa non amplius nec longius tueri, quam donec reddita ratione, aut vicero aut victus fuero. Nolo defendi: si impius & hæreticus inventus fuero. Unum peto, ne damnetur sive veritas sive falsitas inaudita & inconvulsa. (*a*)

Hoc

Hoc enim regium & imperatorium tuum decet thronum, hoc tuum ornabit imperium: hoc tuum consecrabit posteris seculum: si non patiatur majestas tua sacratissima, ut impius *conculcet* & devoret justiorem se: & sit facies hominis, ut Propheta ait, quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem, dum sit judicium & contradictio *potentior*. Ita me commendo, ita confido, ita spero in tuam sacratissimam majestatem: quam Dominus Ihesus nobis servet, & magnificet, ad gloriam Euangelii sui sempiternam, Amen. Datum Vuittembergæ *die* 15. *Januarii*. Anno M. D. XX.

Serenissimæ Majestatis
tuæ Imperatoriæ ac regiæ

Clientulus devotus
MARTINUS LUTHERUS.

Ego) omiss. im exemplari Brantiano.
In terris) omiss. in exempl. Brant.
Terreni &c.) Brant. ita legit: *accedit quod terrenos principes..... ita decet illum imitari.*
Nonnulli libelli) Brant. habet. *libelli quidam.*
Prodiens) Brant. habet. *proditus.*
Propter quam &c) Brantius ita legit. *atque ob hanc jam in tertium usque annum patior* &c.
Veniam peto) hæc omittuntur à Brantio.
Cum autem) Brantius legit. *Jam cum omnia.*
S. Athanasii) Brant. habet, *Divi Athanasii.*
(*a*) BRANTIUS hæc inserit. *Christo fasces tot regnorum Serenissima Majestas tua debet. Is hoc reposuit gratiæ ut veritatem eadem serenissima Majestas tua tueatur. Hoc potissimum imperii tui ornamentum, hoc seculi tui memorabile decus erit, si non patiatur* &c.
Conculcet) Brant. minus recte habet: *conculcetur*
Potentior) Brant. habet: *potentiorum.*
die 15. *Januarii* Brant. habet, *die penultima Augusti.*

Num. II.

LUTHERI & MELANCHTONIS
Epiſtolarum biga ad JOH. THURZONEM Episcopum *Vratislavienſem* A. 1520.

IOHANIS THURZONIS ex illuſtri in Pannonia familia nati nomen vix ullibi occurrit: Fuit is verò Epiſcopus Vratislavienſis, ejusque memoria vel eam ob cauſam eſt & manebit in benedictione, quod Epiſcoporum Pontificiorum ante eum fuerit nullus, qui renaſcenti Evangelio & hujus praeconibus vota ſua addiceret, iisque admodum faveret; Has verò LUTHERI & MELANCHTONIS ad eum paulo ante ejus mortem datas Epiſtolas, quanquam eas nequidem morte praeventus ipſe accipere potuerit, huic collectioni inſerere voluimus, quod eae ad perennandam ejus memoriam inſigniter faciunt, & *teſte* SCULTETO, non alibi reperiuntur, niſi quod ipſe A. SCULTETUS, easdem in *Annalibus ſuis a*) conſervare atque ad poſteros transmittere, opportunum duxit:

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
D. JOANNI,
Epiſcopo Eccleſiæ Vratislavien.
Domino ſuo gratioſo, ac patrono unicè colendo.

JHESUS.

SESE commendat. Quanquam ego, Reverendiſſ. Praeſul, rationem meæ parvitatis habens, ut ad omnes altos magnates, ita ad tuam magnitudinem praecipuè timidus ſcribo: animum tamen erexit

a) Vid. SCULTET. Annal. Decad. I. p. 59-62.

erexit Venerabilis Vir, Dominicus Sleupner Reverendisſ. tuae paternitati addictiſſimus, qui hinc pietate, qua in ſuum Epiſcopum affectus eſt, ſolvit, viſurus, quid rerum Dominus operetur in mortali corpuſculo paternitatis tuæ. Noluit autem ſine meis litteris ire, perſuadens, me rem facturum non ingratam R. p. t. Ego ſanè fateor, & me nonnihil, imo multum cum R. p. t. ægreſcere, quod Eccleſiae Dei compatior, cui, proh dolor, rari dantur, qualem, R. p. t. dedit, Epiſcopi, cum nunquam magis eguerit talibus. Caeterum confido, quod manus ejus percutiet, & ſanabit: atque qui R. p. t. tam inſignibus ornavit dotibus, non deerit, ut det virtutem fortitudinemque, omnia conſtanti, Chriſtiano, Epiſcopalique animo ferendi, & ſtandi in omnes ſanctas voluntates ejus. Si vita negabitur Eccleſiae, proſit mors. Potens autem eſt, tam ex vita quam ex morte p. t. Eccleſiam ſuam juvare, pro divitiis bonae voluntatis ſuae. Non hoc ſcribo, quod neceſſarium arbitrer, animum tuum confortari in Domino (quanquam quis eſt tam fortis, qui non egeat vel minimi fratris ſolatio?) ſed quod communia nobis omnia voluit & fecit is, qui pro nobis omnia factus, juſſit, ut alter alterius onera portaret, ne ullus fidelis ſuus ſolus viveret, aut ſolus moreretur; ſed in communione ſanctorum ſecurus per omnia ageret & pateretur. Itaque quantum nos contriſtat communis T. P. ægritudo, aut, ſi Dominus volet, etiam futura mors: tantum nos rurſus lætificat, quod nec ſola patitur, nec ſola vivit anima tua, ſed vivimus, & patimur cum illa, & omnibus. Jeſus Chriſtus, medium cordis noſtri, in quo ſanctè valeat R. P. T. & meæ temeritati ignoſcat. Literæ enim priores P. T. R. animoſum me fecerunt, cum ſint magnæ humilitatis & charitatis: ut eruditionem taceam: pleniſſimæ, & inter ſacra mea perpetuo monumento ſervandæ. Iterum: valeat R. P. T. in Chriſto, & me commendatum habeat. Wittembergæ 3. Kal. Auguſti 1520.

T. R. P.

filius
F. Martinus Luther, Aug.

RE-

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PATRI AC DOMINO, D. JOANNI, Vratisla. Ecclesiæ Episcopo, Domino suo ac patrono.

SALVE, Reverendiss. Præsul, Optime pr. Quam grato pectore acceperim, quæ de me ad Dominicum nostrum (*Sleupnerum* scil.) Reverend. Paternitas tua scripsit, multo jam tempore, justo aliquo & argumentoso opere testari gestio. Sive enim ita de nobis in iis literis judicabas, sive pro benignitate tua nos istiusmodi laudatiunculâ ad recta studia incitabas, jucundissimum fuit his vocibus à tanto principe vel probari, vel animari. Verum dum cesso interim, & contor hunc talem animum Reverend. p. tuæ declarare, Dominicus noster, pro officio ad Reverend. p. tuam profecturus, hortatur, ut brevi me epistolio Reverend. p. tuæ commendem. Ego verò ut intelligebam, & quid deberem, & qualia decent Reverend. p. tuam: ita parum civile arbitrabar, putidâ tantum epistolâ, ac non potius graviore aliquo argumento Reverendiss. p. tuam interpellare: tamen victus hominis amici consilio, hoc, quidquid est, literarum scribo: ac Rever. p. tuæ simul mea studia, & hunc animum, laudibus tuis impensè faventem, addico. Quis enim ei non faveat? qui unus nobis, quod sciam equidem, in Germania Episcopi Παράδειγμα absolvisti, autoritate, literis, ac pietate. Qui, si haberet Christiana Respublica, ut ille Rex Homericus ait, decem tui similes Συμφράδμονες, non dubitarem, renasci aliquando Christum. Sed hæc alias. Cætera Dominicus coram. Hujus officium, qui te visurus abit, Reverend. p. tua probabit, cujus salute, ne suam quidem, quæ est hominis dexteritas, qui candor, antiquiorem habet, studia ejus pro benignitate tua Reverend. p. tua adjuvabit ac provehet. Dignus est, & quia bonus, & quia tuus est; quem Reverend. p. tua tueatur. Feliciter valeat eadem p. tua. Wittembergæ. Kal. Augusti 1520.

R. P. T.

Deditissimus
Philippus Melanchton.

Num. III.

Num. III.

LEONIS X. Pont. Ro.

Brevia duo
ad ALBERTUM Moguntinum
data A. 1520. ex
MSS. autographo.
unà cum
ALBERTI Refponfione.

CUm, quidquid ad Reformationis hiftoriam illuftrandam facit, quam illud fit exiguum, tamen in pretio haberi confueverit, tum ut hæc duo Brevia Pontificia, per JACOBUM SADOLETUM, cujus opera & ingenio LEO X. P. R. in confcribendis epiftolis utebatur, propria manu fubfcripta, Tibi, benevole Lector, tanquam pretiofa quædam Κειμήλια ex ipfo quod apud me eft pergameno infcriptum, autographo communicarem, non arbitrabar inconcinnum.

Prior Epiftola, *Marinum Caracciolum* Protonotarium Apoftolicum, quem tum ad Carolum V. Imperatorem, ut delatum ipfi Imperium gratularetur, atque doctrinæ Lutheranæ latius ferpenti poneret obicem, miferat Pontifex, cumprimis commendat, atque *Aurea Rofa* munus per Caracciolum ipfi Alberto offerendum infinuat:

Erat is MARINUS CARACCIOLUS, ex eo Caracciolæ familiæ apud Neapolitanos illuftris ftirpe, quæ deinceps ad Avellini Principes eft deducta: Interfuerat is referente PALLAVICINO, in Hiftor. Concil. Trid. Lib. c. 23. fol. 30. haud ita multo ante Cæfareis Comitiis Auguftæ à Maximiliano celebratis, atque ut Orator Ducis Mediolanenfis publicam perfonam gefferat in Synodo Lateranenfi, quam Leo cöegerat; Temporibus autem fubfecutis, graviffimis functus minifteriis & a Cæfare & ab Sede Romana ipfi injunctis, purpuram is à Paulo III. accepit Cardinalitiam, fimulque Legationem ad Cæfarem, ac inde demum fupremam pro eo Infubriæ Præfecturam adminiftravit.

De *Aurea Rosa* singulari munere, eoque maximè expetibili, hæc annotavit PETRUS FRIZONIUS in Gallia purpurata p. 81. *Solent Pontifices in Dominica IV. Quadragesima, in qua occinitur Lætare Hierusalem, rosam auream benedicere, quam inungunt balsamo, muscumque tritum imponunt, aspergunt aqua benedicta, & incenso adolent, precibus finitis, quam postea alicui principi largiuntur ut laudabili atque honesto more ejus gratiam ineant.* Quæ ipsa per hoc ipsum quod 'edimus Breve confirmantur. Cæterum omnem rationem consecrandi hanc Rosam & benedicendi, exponit *Liber sacrarum cerimoniarum* Lib. I. Sect. VII. cap. V. p. m. 382-384. edit. Hofmannianæ Tom. II.

Posterior Epistola, uti ex ejus argumento colligitur, tota adversus ULR. HUTTENUM & ejus libellos apud Moguntinenses excusos, est directa, nec quicquam quod uberiori indigeat illustratione continet, nisi quod exinde simul illa VAL. à TETELEBEN Epistola d. V. Julii 1520. ad Albertum data, quam in Introd. ad Hist. Ref. p. 161. commemoravimus, & quam inter documenta ad Introd. num. XV. pag. 146. exhibuimus, illustretur.

Quod verò ad ALBERTI adtinet Responsionem, eam opera WOLFG. FABR. CAPITONIS, qui tum admodum recens ad Aulam Moguntinam vocatus erat, quique ipsi Electori erat ab Epistolis, conceptam, & manu ejus propria consignatam, inter varias alias Capitonis schedulas, quæ ex scrinio literario Altingiano ad me devenerunt, forte fortuna repperi, dignamque judicavi, quam ab interitu vindicarem, atque ut hic propter singulares quasdam ejus temporis circumstantias legeretur, efficerem. Cæterum ex hac responsione quam intra brevissimum temporis spatium quinque brevia Leonina receperit Albertus, colligitur, quorum primum & ultimum, uti maxime sunt memorabilia, ita eadem jam à nobis exhibentur.

Epistola I.
ad ALBERTUM MOGUNTINUM.
LEO P. P. X.

Dilecte Fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Gratissimas accepimus Circumspectionis tuæ literas manu propria

pria ſcriptas, plenas amoris atque obſervantie, in quibus quod poſtulas a nobis de tota illa permutatione & recompenſatione facienda quid adhuc egerimus, aut poſthac cogitemus agere, ut tuæ morem quantum Dominus dederit geramus voluntati, dilectiſſimus MARINUS CARACCIOLA notarius noſter, ad Cæſaream Majeſtatem deſtinatus Nuncius, Tibi uberius exponet. Quem nos ipſum cum etiam antea meditaremur in hanc Legationem mittere, ejus quidem virtute & prudentia adducti, ſed illa imprimis ratione, quod eum Circumſpectioni tuæ gratum eſſe intelligebamus, ſuperveneruut litteræ tuæ, hoc idem à nobis requirentes, quare omni cunctatione diſcuſſa negotium ſtatim dedimus ut acceleraret; rebusque omnibus Tibi communicatis uteretur imprimis gratia conſilio & favore Tuo. Non enim Te non omnia facturum certum habemus, quæ huic ſanctæ Sedi, cujus Tu nobile membrum es ampla cognoveris eſſe & honeſta. Quin etiam *Roſam auream* vetere inſtituto predeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Dominica Quadrageſimæ quarta benedici ſolitam à nobisque ſolemni more benedictam alicui ſeculari Principi mitti ſolitam, per eundem Marinum Nuncium ad Circumſpectionem Tuam donum miſimus, ut ad Principem quidem Electorem, verum tamen novo exemplo. Sed omnia indicia benivolentiæ erga Te noſtræ, ſatis nobis juſta, & ad innovandum aliquid videntur eſſe.

Quare Circumſpectio Tua gratum illud munus accipiet, quod etſi myſticum eſt magnasque habet in ſe ſacrarum rerum interpretationes, tamen ad ceteras adjunctum, eſt pignus amoris ſummi in Te noſtri. Sed de omnibus Circumſpectio Tua à prædicto Marino Nuncio noſtro plenius fiet certior, cui fidem omnem habebit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI. Junii MDXX. Pontificatus noſtri Anno Octavo.

JA. SADOLETUS.

Epiſtola II. ad eundem.
LEO P. P. X.

DIlecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Allatus ad nos eſt liber à quodam ULRICHO HUTTENO

vel factus vel repertus sub procemio quidem ipsius tantum contumeliarum in hanc sanctam sedem continens, ut indignissimis & rebus & verbis omnia sint referta, Quem qui ad nos attulerunt, cum & alios se ejusdem libros habere dicerent aliquanto deteriores, ipsi quidem viri gravissimi & doctissimi graviter commoti & egerrimè ferentes poposcerunt à nobis omnino, ut severitate omni tantam acerbitatem hominis parum modesti vindicandam putaremus. Sed nos ex nostra & Apostolica mansuetudine etsi rem minime probabamus tamen cum quæreremus, quinam ille esset, intelleximus eum Circumspectionis tuæ familiarem esse, quin etiam nobis ostensus locus est impressos hos libros scilicet in civitate tua *Maguntia* fuisse, quæ res magnam in nobis commovit admirationem, cum nec noster in circumspectionem tuam perpetuus & singularis amor credere nos sineret te volente ita esse factum, & res ipsa penè cogeret credi ante oculos tuos, in sede tua, à tuo domestico, & familiari non potuisse edi tantum scelus in apertum te ignorante. Itaque cum in eam potius opinionem declinemus hæc ad tuam scientiam non pervenisse, hortamur circumspectionem tuam in domino, & ab eadem qua te prosequimur benivolentia, requirimus, ut interponere auctoritatem tuam, efficereque velis, ut talium compressa temeritate, quæ in hanc sanctam sedem iniquis animis efferuntur, aut ad modestiam se convertant, aut ea in maledicos indicia tuæ severitatis edantur, quæ & ipsos & cæteros possint à tanta petulantia cohercere. Quod Circumspectionis tuæ honori imprimis, ac dignitati, quæ hujus sanctæ sedis nobile membrum est, erit consentaneum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Julii MDXX. Pontificatus nostri Anno Octavo.

JA. SADOLETUS.

ALBERTI Moguntini ad LEONEM X. P. R.
Responsio 1520. ex MSS. Capitonis.

BEatissime Pater & Domine, Domine clementissime, post humillima beatorum pedum oscula. Vicesimo quinto die Octobris accepi quinque brevia qua decet reverentia & observatione, à reverendo D. Marino *Caracciolo* & à D. Hieronymo *Alexandro*, Nuntiis Sanctitatis vestræ. Pri-

Primo significatur, quemadmodum Sanctitas Vestra *D. Caracciolo* negotium dederit & abmandaverit nuncium ad Cæs. Majestatem, quod illum mihi gratum intellexisset, simulque rosam auream consecratam gratissimum munus dono mittit. Altero præcipit S. V. ut eidem *D. Caracciolo* deinde Tertio ut & *D. Hieronymo* Aleandro nuncio pœnaliter misso ad exsequendam Bullam Lutherii, diligenter & studiosè adsim. Quarto vero præscribit, qua via mihi incedendum, ad excitatam à Lutherio hæresin exstinguendam. Postremo injunxit de Hutteno compescendo.

Principio itaque, Beatissime Pater, habeo gratiam maximam Sanctitati vestræ, tum quod Dnum Caracciolum miserit nuncium, ut videtur idoneum & utilem Sti Vestræ, cujus equidem honorem & commodum respexi in eo expetendo, tum, quod auream rosam hoc est, solenne munus & animo meo longe omnium gratissimum donaverit, quæ res novo vinculo meum obsequium Vestræ Sanctitati astrinxit, ut qui pridem fui diligentissimus, modò sim futurus multò diligentior ad obedientiæ officia. Nam hactenus licet injussus, debiti tamen memor magna sedulitate laboravi, non solum Hutteni libellos flagitiosos auferre de manibus lectorum, qui publicati erant, priusquam ejus rei vel tenuis suspicio ad me veniret, sed etiam seditiosissimos furores Lutherii etiamnum subnascentes opprimere studui, & in hoc commonefeci primum quantum scio S. V. qui nunc proh dolor, vastissimo quodam incendio propemodum universam Germaniam corripuerunt.

Equidem verò nihil non tentavi, quod ex consilio Theologorum & Jurisprudentum acceperam ad rem fore conducibile. Præterea abalienavi à me quoscunque olfeceram abalienatos à studio Stis Væ. quod videre est in *Ulricho Hutteno*, nuper carissimo mihi, quem famulitio meo statim exclusi, postquam eram certior factus de libello quem scripsit in Rmum Cardinalem S. Sixti, deinde ex Magdeburgensi diöcesi Moguntiam reversus cognovi abominanda quædam ab eodem illic publicata & excusa à cive quodam Moguntino. Nihil potui in Huttenum, qui se munitissimis arcibus in hunc usque diem continet, & fortissimam manum equitum ut audio congregare potest quoties ei lubitum est, adeò ut mihi prope formidabilis sit. Egi quod res tulit, omisso Hutteno, cujus copia uti

dixi non erat, injuriam attentatam in impressore vindicavi, quem novo exemplo per lictores in carcerem durissimum coercendum curavi, obsecrantibus etiam multis ex proceribus ne facerem. Deinde cavi, ne quis ejusmodi contumeliosa & in diminutionem auctoritatis sanctæ sedis Romanæ scripta venderet aut emeret, sub meis diocesibus. Quo edicto simul complexus sum Lutherana, tametsi ea superiore anno studiosissime prohibuerim. Cæterum, quid subinde conatus sim apud reliquos principes perlongum est narrare, tantum dico, sicut res est, & V. Sti peasuasum maximopere velim, nullum me lapidem non movisse, nihilque reliquisse intentatum, ut incrudescens malum arceretur. Quo quidem nomine multos cogor nimis iniquiores ferre, qui diversæ factioni videntur studere, quorum nonnulli blandissime commonent, de lapsis moribus nescio quibus corrigendis, & præ se ferunt utinam non falsò aliquale pacis studium. Horum tamen odia strenue contemno, cogitatione beneficiorum, quæ in me plena quod ajunt manu effudit Beatitudo vestra, multo plurima, quorum memoria semper extabit apud me recens, & extimulabit, si alioqui segnis essem, ad satisfaciendum in omnibus voluntati Stis Vestræ. Quamobrem, sanctissime Pater, in præsentibus mandatis de Lutherii Bulla publicanda, in diöcesibus Moguntina & Magdeburgense & suffraganeorum meorum reverendorum, non tam verba quam mentem perpendens, communicato cum Dominis Nunciis consilio totus incumbo ad parandum nobis favorem secularium principum, sine quibus frustra niteremur, & omnis noster conatus in nervum exiret. Quid autem speremus, aut quo successu videatur negotium processurum, prænoscere certò non possum, nisi quod in spem veni non mediocrem, optimum quemque virum deditum esse paci, & multis annis firmatæ religioni, quando tales tumultus in commune discrimen arripiant omnes nequidem ejus patroni.

Aperta enim fenestra inobedientiæ, & sublato è medio impietatis metu, quæ rerum deformitas, quæ licentia malorum? Quare Stas Va. Beatissime Pater id de me expectet quod de obsequentissima sua creatura.

Postremò habeo gratiam spr. maximam quod V. Stas Valentino Teteleben centum ducatos remiserit mei causa in negotio coadjutorio. Cum his valeat diu incolumis beatitudo vestra cujus pedibus beatissimis humillime me commendo.

Num.

Num. IV.

LEONIS X. Bulla altera adverſus M. LUTHERUM edita d. 4. Januarii 1521.

PRimam LEONIS adverſus Lutheri & ſequacium ita dictos errores, Bullam, ſub tit. *Exſurge Domine* &c. jam Documentis Introductioni noſtræ ſubjunctis Num. XIV. pag. 129-140. ex BZOVIO inſeruimus; Potuiſſet verò tum fortè non inconcinnè ſimul addi, *Apologia quædam Chriſti Domini noſtri pro Martino Luthero ad Urbem Romam;* Quam ex Ge. Spalatini Autographo nobis communicavit Doctiſſ. KAPPIUS in Documentis ad Hiſtor. Reform. P. II. Num. XXI. pag. 481. ſq. quæ ita inchoat; *Invocas me ut exſurgam, & judicem cauſam meam* &c. Enimverò, cum citatis admodum greſſibus ad iteratum fulmen, Vejovis Vaticani tum proceſſerit ſeveritas, ut ejus quoque copiam lectoribus faceremus, ad penitiorem rei geſtæ cognitionem videbatur opportunum: En itaque ſecundam Leonis X. Bullam d. IV. Januarii A. 1521. adverſus M. Lutherum promulgatam, prouti eam BZOVIUS nobis ſuppeditat in Annalibus ad h. a. fol. 380. 381. 382. cum alioquin ea quoque reperiatur in Bullario magno LAURENTII CHERUBINI Tom. I. p. 618. & Vener. PFAFFIUS eandem inſeruerit Hiſtoriæ Theologiæ literariæ Tom. II. p. 55.

LEO Epiſcopus, Servus Servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

DEcet Romanum pontificem, ex tradita ſibi divinitus poteſtate, pœnarum ſpiritualium & temporalium, pro meritorum diverſitate diſpenſatorem conſtitutum, ad reprimendum nefarios conatus perverſorum, quos noxiæ voluntatis adeo depravata captivat intentio, ut Dei timore poſtpoſito, canonicis ſanctionibus, mandatisque Apoſtolicis neglectis, atque contemptis, nova & falſa dogmata excogi-

cogitare, ac in Ecclesia Dei nefarium schisma inducere, aut schismaticis ipsis, inconsutilem Redemptoris nostri tunicam, orthodoxæque fidei unitatem scindere satagentibus, favorem præbere, assistere adhærereque non verentur: ne Petri navicula sine gubernatore & remige navigare videatur, contra tales eorumque sequaces acrius insurgere & exaggeratione pœnarum, & alias opportuno remedio ita providere, ne iidem contemptores in reprobum sensum dati, illisque adhærentes, falsis commentis ac subdolis eorum malitiis, simplicem turbam ita decipiant, ac in eundem errorem & ruinam secum trahant, ac veluti morbo contagioso contaminent, & ad majorem ipsorum damnatorum confusionem, omnibus Christi fidelibus publice ostendere ac palam declarare, quam formidabilium censurarum & pœnarum illi rei existant, ad hoc ut ipsi sic declarati & publicati, confusi tandem & compuncti ad cor suum redire, & propriæ saluti consulere valeant: cæterique eorum exemplo discant a similibus abstinere & ab eorundem excommunicatorum & anathematizatorum prohibita conversatione & participatione, ac etiam obedientia se penitus subtrahant, ut divinam ultionem evadant, illorumque damnationis participes minime fiant. Sane alias, cum quidam falsi fideicultores, mundi gloriam quærentes, ac (humani generis hoste instigante) quamplures & varios errores, jamdiu per concilia & prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos, utpote hæresin quoque Græcorum & Bohemorum, ut vidimus & legimus, continentes: alios vero vel hæreticos, aut falsos, seu scandalosos vel piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos noviter suscitassent, & in inclyta natione Germanica seminassent: Nos nostro prout pastorali incumbebat officio, errorum hujusmodi virus pestiferum ulterius tolerare, seu dissimulare sine Christianæ Religionis nota atque orthodoxæ fidei injuria, non valentes, ac hujusmodi pesti, morboque canceroso ne in agro dominico tanquam vepris nociva ulterius serperet, viam præcludere cupientes: habita super iisdem erroribus & eorum singulis, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, nec non sacræ Theologiæ & utriusque Juris Professoribus diligenti discussione & matura deliberatione: Cum illi a catholica fidei traditione & a vera divinarum scripturarum recepta interpretatione deviare, & contra

sancto-

ſanctorum patrum determinationes, conciliorumque & ſummorum pontificum expreſſas ordinationes, ſeu canones eſſe, reperti fuiſſent: articulos, ſive errores ipſos, ut hæreticos aut ſcandaloſos ſeu falſos, aut piarum aurium offenſivos, & veritati catholicæ obviantes, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, & aliorum prælatorum matura deliberatione, prout in ſimilibus conſueverunt prædeceſſores noſtri, ac ſedes Apoſtolica procedere, damnavimus, reprobavimus & omnino rejecimus: & pro damnatis, reprobatis & rejectis ab omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere decrevimus & declaravimus: ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus tam laicis, quam clericis ſecularibus & quorumvis ordinum regularibus & aliis quibuscunque perſonis quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus & aliis prælatis, ac conventibus & univerſalitatibus, etiam ſtudiorum generalium, nec non Regibus & Imperatoris Electoribus principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis omnibusque Officialibus, Judicibus, Notariis, eccleſiaſticis & ſecularibus, communitatibus, univerſitatibus, poteſtatibus, civitatibus, caſtris, terris & locis, ſeu earum vel eorum civibus, habitatoribus & incolis & quibusvis aliis perſonis eccleſiaſticis vel regularibus, per univerſum orbem ubicumque præſertim in Alemania conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac diffidationis & criminis læſæ Majeſtatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in jure expreſſis, ac aliis etiam tunc expreſſis pœnis, eo ipſo, & absque ulteriori declaratione, per omnes & ſingulos ſupradictos (ſi contra fecerint) incurrendis, præcepimus atque mandavimus; ne præfatos errores, aut eorum aliquos, perverſamque doctrinam hujusmodi aſſerere, affirmare, defendere, prædicare, aut illa quomodo libet, publice vel occulte, quovis quæſito ingenio vel colore, tacite vel expreſſe fovere præſumerent. Et quia ſupradicti errores, & plures alii in libellis ſeu ſcriptis cujusdam *Martini Lutheri* continebantur, libellos ipſos, & omnia dicti *Martini* ſcripta ſeu prædicationes, quæ in latino vel quocumque alio idiomate reperiebantur, in quibus dicti errores ſeu aliquis eorum continerentur, ſimiliter damnavimus, reprobavimus ac rejecimus, & pro omnino damnatis, reprobatis & rejectis haberi voluimus: ac in

virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis prædictis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus tunc expreſſis mandavimus, ne hujusmodi ſcripta, libellos, prædicationes ſeu cedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos ſupradictos continentia legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare ſeu defendere per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, tacite vel expreſſe publice vel occulte, aut in domibus ſuis, ſive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquomodo præſumerent: Quinimo, illa ſtatim poſt litterarum noſtrarum ſuper his edictarum publicationem, ubicumque forent, per ordinarios & alios in dictis literis expreſſos, diligenter quæſita, publice & ſolenniter in præſentia Cleri & populi ſub omnibus pœnis, in dictis literis expreſſis comburerent: Ipſique *Martino*, ut ab omni prædicationis officio omnino deſiſteret: alioquin eum, ejusque adhærentes, complices, fautores & receptatores requiſivimus & monuimus, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſupradictis pœnis diſtricte præcipiendo mandavimus, ut infra ſexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino aſſignavimus: ab affixione in locis tunc expreſſis, immediate ſequentibus numerandos, ut a præfatis erroribus, eorumque prædicatione & publicatione & aſſertione, defenſione quoque & librorum ſeu ſcripturarum ſuper iisdem ſeu eorum aliqua editione omnino deſiſterent: librosque & ſcripturas errores hujusmodi continentes comburerent vel comburi facerent: ac illos ipſe *Martinus* omnino revocaret, ac de revocatione hujusmodi per publica documenta nos certiores faceret: & cum pleno ſalvo conductu ſibi conceſſo, ad nos veniret, ut de ejus vera obedientia omnibus plane conſtaret: alias eum ejusque complices adhærentes, fautores & receptores & eorum quemlibet, tanquam notorios & pertinaces hæreticos fuiſſe & eſſe declaravimus: eosque ut tales condemnavimus & eos pro talibus, ab omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus haberi voluimus atque mandavimus; eosque his & aliis contra tales a jure inflictis pœnis ſubjecimus, et illos hæreticos fuiſſe & decrevimus et declaravimus. Inhibuimus quoque ſub iisdem pœnis, eisdem Chriſti fidelibus, ne ejus ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, ut ejus memoria omnino de Chriſti fidelium con-

consortio deleretur, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare sive defendere, seu in domibus, aut in aliis locis publicis vel privatis tenere quoquo modo præsumerent, sed illa comburerent: ipsosque Christi fideles sub dictis poenis monuimus, ut ipsos hæreticos declaratos & condemnatos mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum dicti termini evitarent & evitari facerent, quantum in eis esset, nec cum eis commercium aut aliquam conversationem seu communionem haberent, nec eis necessaria ministrarent. Et pro majori *Martini*, suorumque complicum, fautorum, adhærentium & receptatorum post lapsum termini declaratorum hæreticorum hujusmodi confusione, eisdem Christi fidelibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Prælatis Ecclesiarum, capitulis & personis ecclesiasticis, secularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, universis Principibus quacunque ecclesiastica & mundana fulgentibus dignitate, Regibus & Imperatoris Electoribus & aliis tunc expressis per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, mandavimus, ut ipsi & eorum quilibet, *Martinum*, complices, adhærentes, receptatores, fautores hujusmodi personaliter caperent, & captos ad nostram instantiam retinerent, vel saltem eos, & eorum quemlibet a suis ecclesiis, domibus, monasteriis, conventibus, civitatibus, dominiis, universitatibus, comitatibus, castris & terris omnino expellerent: civitates vero, dominia, castra, terras, villas, comitatus, fortalitia, oppida & loca quæcunque ubilibet consistentia & eorum metropolitanas, cathedrales, collegiatas, vel alias ecclesias, monasteria, prioratus, domos, conventus & loca religiosa vel pia cujuscunque ordinis forent, ad quæ ipsum præfatum *Martinum*, vel aliquem ex prædictis declinare contingeret, quamdiu ibi permanerent, & triduo post eorum inde discessum ecclesiastico subjicimus interdicto: nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis prælatis, capitulis & aliis personis supradictis, præsertim in Alemania constitutis sub similibus poenis & censuris mandavimus, ut *Martinum* & alios supradictos, si elapso dicto termino, mandato & monitioni nostris hujusmodi non paruissent, in eorum ecclesiis, Dominicis, & aliis festivis diebus, dum ibi major populi multitudo ad divina conveniret, declaratos hæreticos & condemnatos publice nunciarent, facerentque & man-

darent ab aliis nunciari & ab omnibus arctius devitari : ac omnibus Christi fidelibus, ut eos evitarent, pari modo, sub prædictis censuris & pœnis: & literas nostras prædictas, vel earum transsumptum cui ubique stari, & plenam fidem adhiberi voluimus, in eorum ecclesiis, monasteriis, domibus, conventibus, & aliis locis legi, publicari, atque affigi facerent: Excommunicavimus quoque & anathematizavimus omnes & singulos cujuscunque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ forent, quominus literæ vel earum transsumpta, copiæ sive exemplaria, in suis terris & dominiis legi, affigi, & publicari possent, facerent publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, prout in dictis nostris literis desuper confectis, quarum veriorem tenorem haberi voluimus pro expresso: quasque ut ad *Martini* & aliorum monitorum nec non damnatorum & declaratorum ac sub eisdem literis comprehensorum notitiam deducerentur, in certis in Romana curia, & aliis extra eam expressis locis affigi & publicari Jussimus, & per cursores in dicta curia, extra tamen eam per certos nuncios nostros id exequi fecimus, ac voluimus, ut illos literae ipsæ post affixionem prædictam perinde arctarent, ac si eis eædem literae personaliter intimatæ forent, plenius continetur.

Cum autem (sicut accepimus) licet post literarum affixionem & publicationem post elapsum termini, seu terminorum hujusmodi in literis per nos præfixi hujusmodi seu præfixorum (quos quidem terminos elapsos fuisse, & esse omnibus Christi fidelibus & per præsentes significamus & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui ejusdem *Martini* errores secuti fuerunt, ipsarum literarum ac monitionum & mandatorum nostrorum notitiam habentes, spiritu sanioris consilii ad cor reversi, errores suos confitentes, & hæresin in manibus nostris abjurantes, & ad veram fidem catholicam se convertentes, absolutionis beneficium, juxta facultatem eisdem nunciis desuper concessam obtinuerit, & in nonnullis civitatibus & locis dictæ Alemaniæ libri & scripturæ dictæ *Martini* juxta mandata nostra publice cremati fuerint: tamen ipse *Martinus* (quod non sine gravi animi molestia & mentis nostræ perturbatione referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos infra præmissum terminum revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad

nos

nos venire contempsit: verum tanquam petra scandali pejora prioribus contra nos, et hanc sanctam sedem et fidem catholicam scribere et praedicare, et alios ad hoc inducere non veritus, propter quod, sicut jam ipse haereticus est declaratus, ita et aliis etiam non parvae auctoritatis et dignitatis, propriae suae salutis immemores ipsius *Martini* pestiferam haereticorum sectam publice et notorie sequentes, eique palam et publice auxilium, consilium et favorem subministrantes, ipsumque *Martinum* in suis inobedientia et contumacia confoventes, et alii publicationem dictarum literarum impedientes, poenas in dictis nostris literis contentas damnabiliter incurrerunt: et haeretici merito sunt habendi, atque ab omnibus Christi fidelibus evitandi, dicente Apostolo: haereticum hominem, post unam et secundam correctionem devita: sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

Ut igitur cum *Martino* et aliis haereticis excommunicatis, et anathematizatis et maledictis merito copulentur, et sicut in delinquendo dicti *Martini* pertinaciam sequuntur, ita poenarum et nominis participes fiant secumque *Lutheri* vocem et debitas portent poenas cum praedicta adeo manifesta et notoria sunt effecta et permanentia, ita ut nulla probatione, aut monitione, vel citatione indigeant, prout sic fore decernimus et declaramus; *Martinum* et alios, qui eundem *Martinum* in suo pravo et damnato proposito obstinatum sequuntur ac etiam eos, qui eum praesidio militari defendunt, custodiunt, et propriis facultatibus, vel alias quomodolibet sustentare non verentur, ac auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praestare et subministrare praesumpserunt et praesumant: quorum omnia nomina et cognomina et qualitates, etiamsi quavis celsa vel grandi praefulgeant dignitate, praesentibus voluimus haberi pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore praesentium facienda nominatim exprimi possunt, decernimus excommunicationis et etiam anathematis, nec non maledictionis aeternae et interdicti, ac in eos et eorum descendentes, dignitatum, honorum et bonorum privationis et inhabilitationis ad illa: nec non bonorum confiscationis, et criminis laesae Majestatis, et alias sententias, censuras et poenas, etiam in haereticos a canonibus inflictas, in dictis literis contentas damnabiliter incidisse: civitates quoque, terras, ca-

ſtra oppida et loca, in quibus pro tempore tunc fuerint, et ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis ſunt Eccleſias, etiam Cathedrales et Metropolitanas, Monaſteria et alia religioſa et pia loca, etiam exempta quocunque eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita eſſe ita, ut illo durante, illis, prætextu cujusvis indulti Apoſtolici, præterquam in caſibus a jure permiſſis, et in illis, non alias quam januis clauſis, ac excommunicatis et interdictis excluſis, nequeant miſſas, et alia divina officia celebrari: Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus: illosque pro excommunicatis et anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis et inhabilibus ubicunque locorum denunciari et publicari, ac ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari præcipimus et mandamus. Et ut in omnibus tantum in Dei et eccleſiæ ſuæ vilipendium, *Martini* et ſequacium, et aliorum inobedientiam obſtinatæ temeritatis audacia innoteſcat, ne morbida pecus gregem inficiat, parsque ſincera ad infectionem trahatur, univerſis et ſingulis Patriarchis, Archiepiscopis, Epiſcopis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium et collegiatarum eccleſiarum prælatis, capitulis et perſonis eccleſiaſticis et quorumvis ordinum etiam mendicantium religioſis exemptis ubilibet conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ, et ſub dictæ excommunicationis latæ ſententiæ pœnis mandamus: quatenus ipſi, et poſtquam vigore præſentium requiſiti fuerint, infra tres dies, quorum unum pro primo et alium pro ſecundo, et reliquum pro tertio et peremptorio termino ac canonica monitione præmiſſa aſſignamus, eosdem *Martinum* et alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos et hæreticos declaratos, interdictos, privatos et inhabiles, et in præſentium executione nominatos in eorum eccleſiis, dominicis, et aliis feſtivis diebus, dum major inibi populi multitudo convenit ad divina, cum crucis vexillo, pulſatis campanis et accenſis candelis ac demum extinctis, et in terram projectis, et conculcatis, cum trina lapidum projectione aliisque ceremoniis in ſimilibus obſervari ſolitis, publice nuncient, et faciant et mandent ab aliis nunciari, et ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari. Ad majorem inſuper præfati *Martini* aliorumque hæreticorum, ſupradictorum adhærentium et ſequacium, et fautorum confuſionem, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus omnibus et ſingulis Patriarchis, Archiepiscopis, Epiſcopis, et aliarum

rum

rum ecclesiarum prælatis, ut sicut ipsi ad sedandum schisma, auctore Hieronymo constituti fuerunt: ita nunc urgente necessitate, prout eorum incumbit officio, constituant se murum pro populo Christiano, non tacendo, tanquam canes muti non valentes latrare, sed incessanter clamando, et exaltando vocem, et prædicando et prædicari faciendo verbum Dei ac veritatem fidei catholicæ contra damnatos articulos et hæreticos supradictos. Nec non omnibus et singulis Patriarchalium ecclesiarum rectoribus, ac religiosis quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, exemptis et non exemptis, ut praemittitur, similiter in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut sicut ipsi nubes a Domino constituti sunt, ita spiritualem imbrem in populo Dei seminare et contra supradictos articulos, ut præfertur, damnatos, sicut etiam eorum incumbit officio, publice prædicare non vereantur. Scriptum etenim, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Vos igitur et vestrum singuli, onus tam meritorii negotii devota mente succipientes, vos in illius executione sic sollicitos, ac verbo et opere studiosos, atque diligentes exhibeatis, quod ex vestris laboribus, divina vobis favente gratia, sperati fructus eveniant, ac per sollicitudinem vestram, quæ causas pias gerentibus pro retributione debetur, palmam gloriæ non solum consequi mereamini, verum etiam apud nos, et sedem prædictam, non immerito valeatis de exacta diligentia vestra uberius commendari.

Verum quia difficile foret præsentes declarationis et publicationis literas ad præsentiam & personam propriam *Martini* & aliorum declaratorum & excommunicatorum hujusmodi personaliter deducere, propter eis faventium potentiam, volumus, ut affixio et publicatio præsentium literarum in valvis duarum cathedralium seu metropolitanarum, aut unius Cathedralis & alterius Metropolitanæ in dicta Alemania consistentium ecclesiarum, per unum ex nunciis nostris ibidem existentibus facta, ita eos liget et arctet, *Martinumque* & alios declaratos, et damnatos hujusmodi demonstret, in omnibus & per omnia, ac si eis et eorum cuilibet personaliter intimatæ et præsentatae fuissent. Et quia etiam difficile foret præsentes literas ad singula quaeque loca deferre in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus & præfata auctoritate decernimus quod earum transumtis, sigillo alicujus Prælati ecclesiastici, seu ex nunciis nostris prædictis.

dictis munitis et manu alicujus publici Notarii subscriptis ubique stetur, prout præsentibus originalibus literis staretur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in prioribus literis numeris prædictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, præcepti, mandati, assignationis, voluntatis ac decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XXI. III Nonas Januarii pontificatus nostri anno VIII de Curia. De. de comitibus.

Num. V.

Passio Doctoris MARTINI LUTHERI secundum Marcellum.

Est is libellus jocularis, eodem ipso tempore, quo cum Luthero hæc agebatur fabula, compositus, sed qui seriam tamen & veram complectitur Comitiorum Wormatiensium historiam; cum primaria rerum capita sub eo aspectu, quem tamen improbandum magis quam approbandum, certè non in exemplum ponendum, severiores meritò censebunt judices, nobis repræsententur, atque altius infigantur animo, quam quidem per simplicem et nudam rerum gestarum commemorationem fieri poterat: Inseruit eundem ob rei memoriam Tomo secundo Epistolarum *Lutheri*, quem *Johannes Aurifaber* collegerat, *Georgius* CELESTINUS Theologus Marchicus, editor, Berolini 1579. 4. fol. 11-15. atque ipsissimum illum Dialogum eidem relationi subjecit, quem itidem hic legi voluimus, quod Epistolarum *Lutheri* Tomi sunt rarissimi, et festiva prorsus est Sophistarum ejus temporis, sed et nativa delineatio.

* * *



EGressus est Lutherus, trans flumen Rhenum, cum Discipulis suis. Et intravit Vuormatiam, ubi habebat Comitia Cæsar. Profe-ctio Lutheri versus Vuormatiam.

Scientes autem advenisse eum, Principes sacerdotum & Pharisæi, congregati sunt in atrium Præsulis Moguntinensis, qui dicitur Cayphas. Et consilium iniërunt cum Legisperitis, ut non servaretur ei salvus conductus, sed eum dolo tenerent & comburerent. Dicebant enim, hæreticus est, non potest ei dari liber commeatus, sed debet capi & occidi, non autem diebus Comitialibus, ne forte fieret tumultus in populo. Deliberatio adversariorum Lutheri, apud Moguntinensem Epis.

Cum autem esset Lutherus in domo Commendatarii sancti Joannis, miserunt ad eum ministri Pontificis, Caractiolus pædico & Aleander Judæus, qui sub osculo pacis volebant eum tradere. Lutherus autem sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit, quem quæritis? Responderunt ei, Doctorem Lutherum, dixit Lutherus, Ego sum, ut autem dixit Lutherus, Ego sum; quæsiverunt an velit ire ad Caractiolum & Aleandrum Judæum, vel ipsi ultrò ad eum venirent. Quibus respondit Lutherus, cotidie fui docens in templis & non me quæsiverunt. Nunc autem cum eis loqui nolo, quoniam per me excommunicati sunt, nisi velint publica disputatione mecum concertare. Hoc ut illi audierunt, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Legati Pontificis.

Tunc abiit unus de Aula Prætoris, qui dicebatur Capra, ad Principes Sacerdotum & Papistas, & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Et illi constituerunt ei magnam Ducatorum summam, una cum certis magnis præbendis, prælaturis & dignitatibus, pro suo nepote, qui & tradidit eum. Emserus Lutheri proditor.

Circa autem tertiam horam accesserunt ad Lutherum, discipuli ejus dicentes, qua hora vis paremus tibi Cœnam? ait Lu- Cæna Lutheri

Lutherus dicens, quinta; & fecerunt Discipuli sicut constituit illis Lutherus, & paraverunt Cœnam. Vespere autem facto, discumbebat Lutherus cum Discipulis & amicis, & edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, multi sunt in hac Civitate qui pro pecunia me traditurí sunt, & vestrum multi scandalum in me paciemini. Scriptum est enim, percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis. Respondens autem unus, dixit, etsi omnes in te scandalizati fuerint, nunquam tamen scandalizabitur Saxus; ait illi Lutherus, Amen dico vobis, ante duos dies ter me negabit, at illi dixerunt, etiamsi oportuerit nos tecum mori, non te negabimus. Lutherus autem dixit, vos eritis mecum in tribulationibus, sed usque ad aras.

Lutherus ductus ad Prætorium.

Altera autem die circa horam quartam, eo cum Discipulis suis loquente, Ecce Dominus de Papenheym venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missus à Prætore & Principibus imperii, & duxerunt Lutherum ad Prætorium. Et ipsi Papistæ non introjerunt Prætorium, ut Lutherus causam disputandi cum ipsis non haberet, sed ut absque justa causa condèmnaretur. Erat etiam ibi Annas Gurcensius Cardinalis, sed & Moguntinensis, Erat autem Annas, qui dederat consilium, quia expedit unum hominem mori pro papistis, ne nequitiæ eorum manifestarentur, Et ne Romana nequitia deficeret. Saxus verò sequebatur tardè, & venit in prætorium. Et ingressus intra sedebat cum reliquis ut videret finem.

Elector Saxoniæ Fridericus.

Falsum Testimonium contra Lutherum.

Principes autem Sacerdotum & Papistæ, quærebant falsum testimonium contra Lutherum, ut eum condemnarent & igni traderent, & non invenerunt. Cum autem multi testes falsi accessissent, novissime autem illi duo nugigeruli, Joannes Rabula, & Joannes ab ECK officialis Treverensis, & dixerunt, Hic dixit, Concilium Constantiense errasse, & Papam Antichristum, qui tamen peccare non potest.

Moguntinensis Episcopi intergogatio.

Et surgens Cayphas Moguntinensis Præsul, ait illi, Quid respondes ad ea quæ isti adversus te testificantur? Adiuro te per DEUM vivum, Confitere vera esse. Lutherus autem inconsternate respondit: Tu dixisti: veruntamen dico vobis,

pos-

possum sacri Euangelii testimonio probare, quidquid à me libris æditis scriptum est. Et nisi convictus sacris literis aut evidenti ratione fuero, non revocabo. Si male locutus sum: testimonium perhibeant de malo, doceant melius, paratus sum enim ipse libros meos igni tradere. Si autem bene, cur me cædunt? Cur non audiunt? Cur non respondent?

Tunc Moguntinensis Cayphas excandescens dixit, blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi simul respondentes dixerunt, Reus est mortis: tunc expuerunt in terram & nolebant eum amplius audire, quia ei contradicere non poterant. Alii autem clamabant, dæmonium habet.

Episc. Moguntinensis ira.

Saxus autem sedebat cum aliis: & accessit ad eum Præsul Leodiensis & dixit, Et tu Lutheranus es? At ille negavit coram omnibus, dicens, Nescio quid dicis. Exeunte autem illo Ianuam, vidit eum Cardinalis Sedonensis & ait his qui erant ibi, Et hic Lutherum nutrit in patria sua: At ille negavit coram omnibus, dicens, Nescio hominem hunc. Et post pusillum accesserunt qui stabant & dixerunt Saxo, vere & tu Lutheranus es, Nam & verba tua sæpe te manifestant. Tunc cepit asserere, alia semper habuisse negotia, quam ut hominem curasset. Et continuò factus est vespere & mane dies secundus. Et recordatus est Saxus verbi illius, quod dixerat ante duos dies, ter me negabit. Et egressus foras dixit, quod contra omnem hominem velit eum defendere.

Pusillanimitas Electoris Priderici.

Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Papistæ, adversus Lutherum, ut eum igni traderent. Et adduxerunt eum & tradiderunt Treverensi Præsuli. Lutherus autem stetit ante Præsidem, & interrogavit eum Præsul, dicens. Tu es Euangelii Doctor & veritatis? Et dixit Lutherus, A temetipso hæc dicis, an Romanistæ tibi dixerunt de me? dixit Præsul, Nunquid Romanista ego sum? Ipsi qui non possunt pati veritatem Euangelicam, & dicta Pauli, te mihi tradiderunt. Quid fecisti? Lutherus sanè Christiane respondit, Scripta mea non sunt de hoc mundo, sed ex DEO. Si Papistæ considerarent Euangelicam veritatem & dicta

Actio Lutheri coram Episcop. Treuerensi.

Confessio Lutheri coram Epi. Treuerensi.

dicta Pauli, tibi per eos non fuissem traditus. Ait Treuerensis Præsul, Ergo Doctor Euangelicæ veritatis, & sancti Pauli es tu? Respondit Lutherus, Tu dicis, Ego enim ad hoc natus sum, & in mundum veni, ut verba Euangelii & sancti Pauli ad pristinum & verum intellectum restaurare debeam. Cum per Papistas sint in eorum favorem & utilitatem Romanæ curiæ huc usque detorta, in maximum præjudicium & incommodum Germanicæ nationis. Si enim Germanica natio verba mea audierit, & servaverit, liberabitur è faucibus Romanistarum & Curtisanorum.

Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & Romanistarum, nihil nisi Christianè respondebat. Tunc dixit ei Treverensis, Non vis committere scripta tua Judicio Cæsaris & Procerum? Lutherus autem ita ad omnia respondebat, ut miraretur vehementer Præsul Treverensis: Et dixit ad Lutherum, Quid est nequitia Romanistarum & Papistarum? Et cum hoc dixisset, ex illa hora quærebat liberare eum. Sciebat enim quod per invidiam tradiderunt eum Principes Sacerdotum & Papistæ. Et dixit Treverensis Episcopus Ego nullam invenio in eo causam mortis, vultis dimittam eum. Et ipsi clamabant, non, Si dimittitur iste, tota Romana curia una cum Papistis & Curtisanis depauperabitur. Non potest ulterius sustineri. Trias Romana.

Treuerensis Episcopi pietas.

Sedente autem Prætore pro Tribunali, venit ad eum Uxor ejus, hoc est, Germanica Natio, dicens, nihil tibi & Justo illi, quoniam hac nocte multa passa sum, propter eum. Et si combureretur, tota Germanica libertas pateretur propter eum. Principes autem sacerdotum & Papistæ suadebant Prætori, ut Lutherum perderet, dixit Prætor, Quid faciam de homine verè Christiano, docente veram doctrinam Euangelicam, volente liberare nationem Germanicam, à laqueis & retibus Romanistarum & Curtisanorum? Dicunt omnes, comburatur. Ait Prætor, quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes, comburatur, comburatur. Attende tu. Si hunc dimittis non es amicus Romani Pontificis, ipse tibi præstabit auxilium contra Galliam. Præterea legem habemus & secundum,

Furor Papistarum contra Lutherum.

dum legem debet mori, quia scripsit nequitias Romani Antichristi & omnium Curtisanorum. Dixit illis Prætor, Accipite ergo eum vos, & secundum legem vestram comburite. At illi responderunt, Nobis in imperio Germanico non licet interficere quenquam. Si eum haberemus Romæ, possemus eam facile intoxicare. Tunc videns Prætor, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret in populo, hoc est inter Romanistas, quia magnam exposuerunt pecuniam, præposituras & alias dignitates. Accepta aqua lavit manus suas coram populo dicens: Innocens sum ego, à sanguine verè Christiani hujus, vos videbitis. Et respondit universus Clerus & Romanistæ dicentes. Sanguis ejus super nos & Curtisanos nostros.

Tunc Prætor tradidit eis libros Lutheri ut comburerentur. Sacerdotes autem acceperunt eos. Et postquam abscessissent omnes Principes & universus populus à comitiis, construxerunt ingentem piram ante atrium Pontificis, ubi combusserunt libros, & imposuerunt super caput Imaginis Lutheri causam ipsius scriptam. HIC EST MARTINUS LUTHERUS DOCTOR EVANGELII, & id fecit quidam de ordine prædicatorum, & secta Bernensium & hæreticorum. Et combusti sunt cum eo duo alii Doctores, Huttenus & Carolstadius: unus à dextris & alius à sinistris. Imago autem Lutheri nullo modo potuit comburi, donec milites plectentes eam, imposuerunt illam in vase piceato, ubi igni consumpta est, & in tenues evasit favillas. Libri Lutheri comburuntur.

Comes autem quidam visis his quæ fiebant, miratus est valde, dicens: Vere Christianus est iste: & omnis turba quæ simul aderat, videntes ea quæ fiebant revertebantur percutientes pectora sua. Altera autem die convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi cum Romanistis ad Prætorium, dicentes, Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, se postmodum velle grandiora scribere, Jube ergo per totum imperium custodiri, ne libri ejus venales habeantur, ne forte novissimus error. pejor fiat priori. At illis Prætor, habeatis vos custodiam: Ite prohibete Bullata, sicut scitis per vestram fal sam. excommunicationem. Ipsi autem abeuntes emiserunt hor- Edicta Prætoria contra Lutherum.

horribilia mandata sub nomine Romani Pontificis, & Prætoris, quæ ipsimet ædiderunt ad libitum eorum. Quibus usque in hodiernum diem non obeditur. Videbunt in quem transfixerunt.

KARSTHANS ET KEGELHANS.

Kegel. UNde modo Karsthans, aut qua regione locorum
Hactenus ignaris latuisti tectus amicis?
Non modicus certè timor omnes cœperat: aut te
Vi captum hostili, aut alias immania passum.
Karst. Ni vigil insidias cavissem: forte baratro
Carceris inclusus gemerem, vel mortuus essem:
Causa mihi in tantum nocuit suscepta Lutheri.
Kegel. Quapropter Karsthans dic quæso: nam libet istuc
Scitari de te: & quodcunque est dicito: miror
Tam bona si potuit quicquam tibi causa nocere.
Karst. Hoc ipsum inprimis vel nobis obstitit: illa
Quod bona: nec facilis devictu visa Sophistis:
Qui vellent emptum precio quod nequior esset.
Kegel. Credo equidem: nam sunt tales quicunque Sophistæ
Quos novi: ut causam ventris plus dogmate legis
Defensam cupiant: Pereat scriptura: quid ad nos
Dum solito (dicunt) moderemur fræna popelli:
Plebeioque gravis sit nostra crumena labore?
Quid quod de vita clamant quæcunque beata:
De morte æterna: de purgatorio: & ipsis
De vitiis quicquid, seu de virtute: decemque
Præceptis jactant: nihil esse hæc omnia dicunt:
Sed tacitè: ut nullus nisi conscius audiat illa:
Quod facile hoc signo prudens deprenderis uno:
Cum fas esse negant vesci tibi lacte vel ovo:
Carnibus hic ipsi tunc commessantur opimis.

In

In venerem tragicè declamant: clunibus ipsi
Nec parcunt: fraudare vetant: fraudare laborant.
Vim prohibent aliis: nec eandem inferre verentur
Infirmis: ipsi pacem perferre gravati:
Quid dubitas ultra? cum dictis sancta reclament
Omnia doctrinæ nec consona vita loquatur:
Ipsi aliud dicunt: aliud sub pectore condunt.
Hem satis est Kegelhans: ne quis nos audiat ille Karst.
De grege: qui scripta nobis à judice dica
Illius obtorto trahat ad subsellia collo:
Dum licet ignoti tacitè radeamus ad agros.

Num. VI.

LUTHERI ad Comitia Wormatiensia citatio, salvus conductus, & proscriptio.

UT ea quæ Historiam Comitiorum *Wormatiensium* in causa Lutheri habitorum spectant, plenius cognoscantur, operæ pretium judicavimus, tria hæc instrumenta publica documentis hisce nostris inserere, quorum *primum*, continet Formulam citationis (*a*) Lutheri qua is d. VI. Martii Wormatiam citatus est à Carolo V. Imp. prout ea reperitur in Operib. Luth. Jenens. Lat. Tom. II. fol. 411. b. *secundum*, Formulam Salvi conductus itidem à Carolo V. ipsi concessi, quam lingua Germanica ex Bibliotheca Wallenrodiana primus publicavit D. GOD. WEGNERUS in Diss. *de Salvo conductu Martino Luthero Wormatiam eunti ab Imperatore Carolo V. im-*

(*a*) Celeberrimus dum vivebat M. V. de la CROZE in *Historia itineris* cujusdam *literarii* Hagæ Com. 1736. 12. impressa, commemorat se in Academia Senatus Lipsiensis inter alia vidisse ipsum illius Invitationis Originale: ,, J. 'y vis une piece qui me fit reellement ,, plaisir : c'est l'original de l'Invitation de Charles Quint a Luther, ,, pour l'engager à venir à Worms, elle est datée du 6 Mars 1521. Le ,, sauf conduit original promis & envoyé à Luther, est dans la Bibli- ,, otheque à Koningsberg en Prusse. ,,

impetrato & servato, ex qua eandem nobis suppeditavit FABRIC. in Centifol. Luther. T. I. p. 79. 80. *tertium*, est Edictum Imperatoris adversus Lutherum in comitiis Wormatiensibus promulgatum, quod ex BZOVII Annalibus hic exhibemus ad A. 1521. fol. 390. sq.

A:
Lutheri ad comitia Wormatiensia
Citatio.

CALOLUS V. DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS &c.
Honorabili, nostro Dilecto, devoto, Doctori Martino Luthero, Augustiniani Ordinis.

HOnorabilis, Dilecte Devote, Quoniam nos & sacri Imperii Status, nunc hic congregati, proposuimus & conclusimus, propter Doctrinam & Libros, aliquandiu hactenus abs te editos, scrutinium de te sumere, Dedimus tibi ad veniendum huc, & iterum hinc ad tuam securam tuitionem, nostram & Imperii liberam, directam securitatem & Conductum, quem tibi circa hæc mittimus.
Desiderantes, ut velis te statim accingere itineri, ita, ut infra XXI. dies in hujusmodi Conductu nostro nominatis omnibus modis hic apud nos sis, & non domi maneas, Neque ullam vel violentiam vel injuriam timeas, Volumus enim te in præfato nostro Conductu firmiter manu tenere, & nobis persuadere, te venturum. In hoc namque facies nostram sententiam. Datum Wormatiæ, Die VI. Martii, Anno Domini M. D. XXI. Regnorum nostrorum &c.

B.
Salvus Conductus Luthero Wormatiam
eunti concessus.

WIr Karl der Funfft von GOts Gnaden Erwelter Romischer Kaiser. zu allen tzeitten Merer des Reichs etc. in Germanien.

zu

zu Hispani. baider Sicilien. Jherusalem. Hunngern. Dalmacien. Croacien etc. Kunig. Ertz Hertzog zu Osterreich. und Hertzog zu Burgundi. Grave zu Habspurg. Flandern. und Tirol etc. Bekennen als wir aus beweglichen Ursachen. Martin Luter Augustiner. Ordens. her gen Wormbs erfordert. Das Wir Im deszhalben unnser und des heiligen Reichs Freygeltrackh Sicherhait und Gelait. wider meingklich gegeben und zugesagt haben. Und tun das von Kaiserlicher Macht. wissentlich in kraft des briefss. Also das er in ain und zwainszig tagen den nechsten nach uberantwurttung disz unnsers briefs. her gen Wormbs kamen. und daselbs unnser und des Reichs Stennde hanndlung auswartten. und darnach von dannen. bis wider an sein sicher gewarsam ziehen sol. und mag. von unns und allermeingklichen unbelaidigt und unverhindert. Und gepieten darauf allen Churfursten. Fursten. geistlichen und weltlichen. Prelaten. Graven. Freyen. Herrn. Rittern. Knechten. Haubleuten. Bisztumben. Vogten. Phlegern. Verwesern. Ambtleuten. Schultheissen. Burgermaistern. Richtern. Reten. Burgern. gemainden. und sonst allen andern unnsern und des Reichs Unndertlianen und getreuwen. in was wirden. stats oder wesens die sein. ernnstlich mit disem brieff und wellen. Dasz Sy solch unnser und des Reichs sicherhait und Glait. an dem gedachten Martin Luter. stett und veszt hallten. Im auch. in seinen hin. und widerzihen. gelaiten. und gelaittet zuwerden verschaffen. und Ine dawider nit belaidigen. noch bekamern. noch des yemands anndern zetun gestatten. in kein weise. als lieb ainem yeden sey. Unnser und des Reichs swer ungnad. und straff zuvermeiden. Das meinen wir ernnstlich. Mit urkhundt disz briefs. Geben in unnsern. und des Reichs Statt Wormbs. am Sechsten tag des Moneds Marcii Nach Christi geburde Funftzehenhundert. und im Ainundzwainzigesten. Unnser Reiche des Römischen. im Anndern und der anndern aller im sechsten Jaren.

CAROL.

Ad mandatum Dni Imperatoris ppm.
Albertus Cardin. Mogunt.
Archicancellarius sspt.

NIECLAS ZIEGL.

C.

Edictum Imperiale
Contra Martinum Lutherum et Novatores
Religionum, promulgatum Wormatiæ in comitiis anno Domini
M. D. XXI.

CArolus V. Dei benignitate electus Romanus Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hispaniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ enz. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ enz. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis enz. universis et singulis Electoribus, Principibus ecclesiasticarum vel secularium potestatum, Comitibus, Baronibus, Equitibus, proceribus, militibus, Præfectis, præsidibus, Gubernatoribus, Locum tenentibus, Prætoribus, Assessoribus, Consulibus, Judicibus, civibus et communitatibus: item Rectoribus, et Magistratibus Universitatum, ceterisque nostris et sacri imperii subditis, dilectis ac fidelibus, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, ordinis, quibus hæ nostræ Cæsareæ literæ aut eorum exempla vel transumpta, manu sigillove personæ alicujus in ecclesiastica dignitate constitutæ, aut publici Notarii, subscripta seu munita, exhibitæ vel ostensæ fuerint, salutem ac prosperitatem cum denunciatione Clementiæ nostræ.

1. Reverendissimi, dignissimi, charissimique cognati, propinqui, Religiosi et fideles: Cum ad nostrum, id est, Romani Cæsaris officium pertineat, non solum provincias, orbem, terminosque sacri Romani Imperii, quod Majores nostri Germanicæ nationi ob defensionem sacrosanctæ Romanæ et catholicæ Ecclesiæ, divina adjuti ope multo sanguine vulneribusque suis pepererunt, repressis belloque domitis infidelibus pro virili proferre, augere ac promovere, verum etiam juxta regulam canonemque hactenus a sacrosancta Romana Ecclesia observatum, prospicere ac providere, ne qua labes, hæresis, minima denique suspicio in Romano Imperio Religionem nostram vitiet atque infestet, aut si quid hujus forte Radices agere et virere contigerit, omni diligentia, adhibitis mediis, remediis,

diis, rationibusque probatis et moderatis, prout negotii magnitudo postulat, evellere ac exstirpare.

II. Proinde reputamus nobiscum, si cuiquam ex majoribus nostris hac in re bene mereri de nomine Christiano non fuit recusandum a nobis quoque longe pluribus de causis idem muneris onerisque suscipi: postquam Omnipotentis Dei bonitas, ad propugnationem et incrementum, sacrosanctæ fidei suæ, nos tot accessione regnorum, provinciarum, majorisque potentiæ, quam aliquot retro seculis quemquam in imperio ex majoribus nostris, amplificavit, ornavit et armavit: Cumque gente quidem a Christianissimis Cæsaribus, Archiducibus Austriæ, et Burgundiæ Ducibus, stirpe vero a Catholicis Hispaniæ, Siciliæ, Hierosolymæ Regibus, noster descendat ortus, quorum de facinoribus egregiis, pro tuenda religione Christiana domi militiæque designatis, nulla conticescet ætas.

III. Quocirca si hæreses quasdam vix abhinc triennio in natione Germanica spargi cœptas, et antehac per sacrosancta Concilia pontificumque Decreta cum ecclesiæ catholicæ consensu, vere condemnatas et ejectas, jamque denuo velut ex profundis orci faucibus retractas, altius radiculas diffundere ac propagare pateremur, negligentesque connivere, indulgere, dissimulare pergeremus, primo conscientiæ nostræ quasi contagione pestilentissimi carcinomatis adflatæ plaga gravior insideret: deinde sempiternam nominis nostri gloriam, in tam felici florescentis imperii vestibulo, ceu caliginosa quædam nebula inumbraret atque involveret.

IV. Cum itaque sine dubio nemini vestrum sit obscurum, quam procul errores hæresesque a Christiana via recedant ac declinent, quas Augustinianæ familiæ quidam *Martinus Lutherus*, in ordine et Religione Christiana, inprimis autem in illustri natione Germanica, utpote indefatigabili hæresium impiorumque dogmatum deletrice, violenter introducere, virulenterque disseminare conatur, tanto cum profectu, ut nisi mature celeriterque tam proruptæ occurratur audaciæ, postmodum universa Germania, his morbis inveterascentibus, miserabilem ruinam et interitum omnis virtutis, honestorum morum, pacis, fideique Christianæ sit passura.

V. Propterea non immerito sanctissimus Pater Leo X Sacrosan-

ſanctæ Romanæ et Catholicæ eccleſiæ ſummus Episcopus, qui præter ceteros in ea quaſi vigilia ſtationeque collocatus eſt, ut diligenter et naviter attendat, ne quid Reſpublica Chriſtiana labis detrimentique accipiat, rei atrocitate periculisque permotus initio *Lutherum* paternè coepit et benigne admonere aque parum fauſto propoſito dehortari et ut errores a ſe divulgatos revocaret, inſtare. Hic ille cum reſiſteret et plura pejoraque miſceret indies, experrectus Pontifex contra ſibi nitendum, non inuſitatis, ſed æquis et convenientibus modis viisque putavit.

VI. Proinde ſemel atque iterum Cardinales, Episcopos aliosque Prælatos nonnullos etiam ex ordine Regulatorum priores generales et miniſtros præterea multos præſtantes et honeſtos homines omni laude virtutis, eruditionis, prudentiæ cumulatos, tum aliarum quoque nationum Doctores ac magiſtros convocavit et accerſivit, ad eundemque conventum *Martinum Lutherum* citavit, quo contumaciter abſente, omnia ejus ſcripta latina et vernacula, quæ vel jam emiſit vel adhuc emittet, tanquam pernicioſa fideique et unitati eccleſiæ prorſus adverſaria damnavit.

VII. Deinde poteſtate auctoritateque pontificia dictorum cardinalium conſilio et voluntate, maturaque penſatione Epiſcoporum, Prælatorum, Doctorum et hæreticæ pravitatis inquiſitorum illa ubique comburi penitusque aboleri mandavit. Tum ipſum *Lutherum*, niſi præſtituto definitoque tempore ſecundum determinationem decreti ſuæ Sanctitatis oſtenderit ſe errorum pœnitere, eosque abjecerit et revocaverit, velut inobedientiæ malitiæque filium, ſchismatis hæreſiumque auctorem, ab omnibus vitandum fugiendumque juxta legum pondera conſtituit et ordinavit, ſub pœnis in bulla pontificia comprehenſis. Quam Beatitudo ejus nobis tanquam Chriſtianæ fidei vero ſummoque Defenſori, ſanctæque ſedis pontificiæ et Romanæ atque Catholicæ eccleſiæ advocato, per ſuum Romanæque ſedis oratorem et nuncium, a beatitudine ipſius peculiariter hanc ipſam ob cauſam ad nos ablegatum, curavit exhiberi, adjuncta cohortatione poſtulatisque, ut pro ratione muneris, officii, legitimæquæ procurationis Cæſareæ majeſtatis noſtræ, beatitudini ſuæ, in hujusmodi perturbatione, gladii civilis auxilium, ad Religionem Gloriamque Chriſti vindicandam, impertire, et quod Chriſtianiſſimo:

mo Catholicoque Rege ac principe dignum eſt, in noſtris hæreditariis regnis, ducatibus, ditionibusque, præcipue vero in Germania, edicere atque ſancire velimus, ut univerſa et ſingula, quæ in bulla Sanctitatis ſuæ continentur, inviolabiliter, indiſpenſabiliterque ſerventur, et in his executio legumque voluntas adminiſtretur.

VIII. Et quanquam nos eam adhortationem, poſt allatam Bullam pontificiam, tandemque ipſam *Lutheri* condemnationem, in pluribus Germaniæ locis annunciari celebrarique fecimus ejusque in noſtris inferioribus Burgundicis regionibus, ac præſertim Coloniæ, Treveris, Moguntiæ, Leodii exſecutionem adminiſtrationemque ſevere mandavimus: interim tamen *Martinus Lutherus* non ſolum non ad meliorem frugem ſe recepit nec errata revocavit, aut a pontificia Sanctitate abſolutionem, et rurſus in ſancta catholica eccleſia remiſſionem veniamque petivit, verum etiam depravati animi ſui perverſæque intelligentiæ plures malos fructus atque effectus ceu rabioſe manifeſtam oppreſſionem eccleſiae machinans, multis acervatis voluminibus, quae cum latina tum vernacula, non recentibus novisque tantum, ſed jam olim quoque reprobatis auctoritate conciliorum haereſibus blasphemiisque ſcatent, a ſe genitis aut certe nomine ſuo publicatis, quotidie diſſipavit.

IX. In quibus a ſancta Eccleſia tot obſervatum receptumque ſeculis ſeptem ſacramentorum numerum, inſtitutionem, et uſum diſſipat, convellit, defœdat atque pervertit, indiſſolubilesque ſacri matrimonii canones, variis et mirabilibus modis indigne polluit. Affirmat item, ſacram Unctionem rem inefficacem et commenticiam eſſe. Uſum quoque, et inenarrabilem ſacroſanctae Coenae Domini fructum, ad morem conſuetudinemque Bohemorum damnatam accommodare ſtudet; Tum Confeſſionem quae conſcientiis mole peccati gravatis contaminatisque omnium ſaluberrima exiſtit, adeo implicare et involvere cœpit, ut nulla fundamentalis inde informatio, nulla idonea conſolatio ſumi poſſit et hauriri. Poſtremo minatur ſe porro tot de Confeſſione ſcripta proditurum, ut ſi hoc concedatur, non ſolum plerique ex talibus ejus inſanis libris dicere ſint auſuri, Confeſſionem inutilem et infructuoſam eſſe, verum etiam pauciſſimi futuri, qui non clamitent, prorſus a Confeſſione abſtinendum.

X. Quid quod de functione et Ordine Sacerdotali non irreligiose tantum leviterque sentit, sed imperitum quoque prophanorum laicorum vulgus concitare et promovere nititur, uti manus suas cruore sacerdotum respergant? ac Summum sacrosanctæ fidei nostræ Pontificem, divi Petri successorem, verumque Christi vicarium, fœdè, scurriliter contumeliosèque nominat, nec cessat in eum debacchari multiplicibus, et inauditis, hostilibus famosisque maledictis.

XI. Confirmat etiam ex ethnicorum poëtarumque fabulis, nullam esse Libertatem naturæ hominis, eo quod determinatio divina sit rata et immutabilis; Docet item applicationem in Missa pro aliis impie fieri. Præterea abrogat stata Jejuniorum orationumque tempora, ab initio a sancta Ecclesia tradita, et constanter hactenus retenta. Imprimis autem contemnit Sanctorum auctoritatem Patrum, qui ab ecclesia recepti sunt, tollitque funditus obedientiam ac politiam ecclesiasticam. Denique universaliter nihil aliud spirant ejus scripta, quod non seditionum, distractionum, bellorum, cædium, rapinarum, exustionum, et occasus fidei Christianæ materiam causamque præbeat. Quemadmodum enim ceteris permittit habenas laxare omnibus animi cupiditatibus, et dissolute, effractis legum repagulis pecudumque more vivere, sic ipse homo præfracti et effrenati ingenii omnia veterum instituta legesque repudiat, conculcat et opprimit. Velut nuper a Decretis et constitutionibus ecclesiasticis publice cremandis, nullo pudore, metu reverentiaque deterritus: et nisi civilis gladii aciem magis quam fulmina, execrationes, pœnasque pontificias reformidasset, indigniora longe in civilia Jura commisisset.

XII. Nec erubescit palam petulanterque sancta Concilia perstringere, animi sui morbo taxare, deformare, lædere, ex quibus singulariter Constantiense Concilium lutulento et maledico ore conviciis exagitat, quod appellat aliquoties Synagogam Sathanæ: gravi afficiens dedecore et ignominia Germanicam nationem, omnesque eos, qui Synodo interfuerunt, ac *Johannem Huss* propter hæreticas ejus machinationes vivum ardenti rogo adjudicaverunt, nempe Sigismundum Cæsarem, nostrum antecessorem, sacrique Imperii principes atque senatum publicum, quos Antichristos, diaboli Apostolos, parricidas et Pharisæos nominat. Asseverat item omnes erro-

res

res *Huſs* in illa Synodo condemnatos, in Evangelio Chriſtique doctrina contineri, hocque ſe probaturum defenſurumque profitetur. Tum ad eam intemperiem animi, dementiamque progreſſus eſt, ut aperte glorietur, ſi prædictus *Huſs* ſemel hæreticus fuerit, ſe merito decies pro hæretico habendum eſſe.

XIII. Ne vero cætera, ſtudio brevitatis, innumera *Lutheri* flagitia ordine perſequamur, conſtat hunc unicum non hominem, ſed Dæmonem potius figura et ſpecie humana cuculloque monaſtico indutum, complurium hæreticorum extreme damnatas hæreſes, quæ jamdiu obſoleverant, in unam quaſi Lernæam paludem coegiſſe, multasque præterea recentes atque novas excogitaſſe, hoc prætextu quod fidem prædicet, quam propterea ſedulo inculcat omnibus, ut veram ſinceramqne fidem deſtruat et labefactet ac ſub nomine fucoque Evangelicæ doctrinæ omnem Evangelicam pacem, et charitatem, bonarum rerum harmoniam, atque conſtitutionem, ipſam denique pulcherrimam eccleſiæ hierarchiam, extinguat, evertat, diſſolvat et obruat.

XIV. Hæc omnia mente cogitationeque complexi pro poteſtate atque faſtigio Cæſareæ noſtræ functionis ad quod divinitus evecti ſumus, proque ſingulari amore et propenſione voluntatis, qua cum Religionem Chriſtianam noſtrorum majorum exemplo aſſerere, tueri, propugnare: tum Pontificis, ſanctæque ſedis honorem dignitatemque cumulare, et ſtabilire mirifice cupimus, expendimus, nequaquam nos, præter ſupra commemoratas, pontificiæ Sanctitatis exhortationes atque poſtulata, ſine inſigni vituperatione noſtri, contumelia detrimentoque eccleſiæ, in tanta tamque atroci cauſa, negligentia peccare poſſe, ſicut nec facere debemus, nec hactenus unquam faciendi nobis fuit animus, verum potius, Cæſarum Romanorum, Majorum noſtrorum veſtigiis inhærere, eorumque præclare pro ſalute et defenſione Catholicæ Eccleſiæ geſta imitari, laudatisque conſtitutionibus, quæ in perniciem, ultionem, et extirpationem hæreticorum factæ ſunt, pro virili parere ſtudebimus.

XV. Ac peculiariter hujus negotii cauſa, noſtros ſacrique Imperii Electores, principes et ſtatus jam aliquoties hic Wormatiæ ad nos venire juſſimus, totaque controverſia, ut evidens neceſſitas requi-

requirit, acerrime pervestigata, ponderata et examinata, communi et unanimi consilio consensuque decrevimus, ut sequitur.

XVI. Quanquam hominem toties condemnatum, et in obsirmata perversione animi perseverantem, atque ab unione catholicae ecclesiae separatum, manifestumque haereticum, ad cognitionem admittere, omnia jura excipiunt: tamen ut ansa maledicorum sermonum praecideretur, praesertim cum aliqui palam contendant, multos *Lutheri* nomine libros componi et excudi, ab ipso nec elucubratos nec editos, alii quoque existiment æquitati consentaneum esse, si antequam in *Lutherum* atrocius aliquid statuatur, prius accessitus, salvoque conductu munitus, a nobis audiatur: ideo eum ad Aulam nostram citavimus, inque nostra et supra dictorum omnium nostrorum, imperii electorum, principum et ordinum præsentia interrogavimus: an libellorum, quos illi tunc proposuimus aliorumque similium, qui nomine ejus passim circumferuntur, auctorem se fateatur? et an in hujusmodi scriptis contra sancta concilia, decreta, morem, consuetudinemque, a majoribus nostris usque in hodiernum diem religiose observatam, disceptata revocare, suppliciterque ad gremium et unitatem ecclesiæ redire velit?

XVII. Tanta vero lenitate, tanta sermonis comitate, tam æquis conditionibus, tam paternis admonitionibus hæc illi commemorata sunt, ut pertinacissimum hominem, rupibus caucasi duriorem merito flectere, mollire, atque permovere debuerint. Is autem horum opusculorum facta mentione, quamprimum esse suos partus affirmavit, simulque protestatus est nunquam se hos negaturum. Præterea adjecit, plures a se libros conscriptos fuisse, qui cum ignoti sint nobis, hic non enumerantur.

XVIII. Sed quantum ad revocationem deliberandi spatium moramque postulavit. Quæ cum illi jure optimo denegari potuisset et quod contra novas corruptelas, et fanatica deliria in fide absque cunctatione continuo procedi oporteat: et quod ipse cum ex nostro superiori mandato, literisque sibi inscriptis certoque redditis, clare intellexerit, cujus rei causa ad nos vocatus esset, nisi præparata meditataque responsione in nostrum statuumque imperii conspectum prodire non debuisset, nihilominus tamen illi benigne et clementer indulgentes, diem unum cogitandi tribuimus.

XIX.

XIX. Postridie igitur in nostrum procerumque imperii consessum reversus, iterum gravissime atque luculenter admonitus est, ut se colligeret, et quo progrederetur etiam atque etiam videret, adjuncta pollicitatione nostra, si quæ vitiosa quæque condemnanda essent, in libellis suis retractaret, nos illi rursus sanctissimi Patris nostri papæ benevolentiam et amorem conciliaturos, daturosque operam, ut Beatitudo illius ex singulis Christiani nominis gentibus ac nationibus binos excellentes viros, probatæ vitæ, exquisitæque doctrinæ eligat, qui de libris ejus censuram agant erroresque expungant, reliqua vero, nulla hæreseos labe infecta, ut pontificia sanctitas approbet.

XX. Itaque post tot attestationes, adhortationes, preces, nec in revocationem consentire, nec uberrimas pollicitationes nostras amplecti voluit, sed omnino respuit ac detrectavit, idque tam inconsiderato sermone, tam indecenti vultu atque gestu, qui suæ mentis consiliique compoti ac religione sacrisque initiato et dicato homini nequaquam convenit. Tunc enim manifeste cum dixisset, se in lucubrationibus suis ne verbum quidem mutaturum, ac nobis statibusque imperii præsentibus impudenter et flagitiose sacra concilia derisisset, abjecisset et aspernatus fuisset: inprimis autem Constantiense, quod nationem Germanicam cum æterna laude atque honore cumulavit, tum pacis, otii concordiæque vinculum fuit, hac tandem conditione obligavit, si in disputatione, quam fretus nostris de securitate promissis expetivit, non ignorans id humano divinoque jure prohiberi, succubuisset.

XXI. Etsi autem hac contumaci responsione non exigua nostri procerumque molestia et offensione populique scandalo audita, probabilibus de causis animum, continuo severius eum coercere, rectaque domum ex conventu dimittere, quemadmodum hanc nostram voluntatem postero die manu nostra perscriptam revelari fecimus, præfatorum Ordinumque intercessione flagitationibusque adducti sumus, ut triduum illi ad liberandam isto quasi stupore mentem largiremur.

XXII. Sed interea duo lectores, duo item ecclesiastici, duoque seculares principes, duo postremum ex nostris imperiique civitatibus adhibiti, delecti destinatique sunt, qui mandato & nomine congre-

gationis totius imperii, Lutherum ad se vocatum familiariter et amanter admonerent, adhortarentur, erudirent, nec ullam rem idoneam ad eum de sententia deducendum intermitterent, cum interminatione, nisi fanaticas opiniones abjiciat, quam graves et acerbas, tum a nobis, tum a sacro imperio pœnas, approbantibus canonibus expectare debeat.

XXIII. Ac ubi jam seria diligensque cohortatio irrita, frustraque suscepta fuit, quidam ex nostris electoribus, assumptis duobus placido ingenio nobilique doctrina præditis doctoribus, et una cum illis, et separatim ipse, non modo summa obtestatione speciosaque demonstratione multiplicium ejus errorum persuadere Luthero conatus est, ut pluris, patris nostri papæ similiterque nostrum et omnium imperii ordinum, aliarum item catholicarum nationum, consensum, ritus et consuetudinem, tot seculis juxta ecclesiæ constitutiones, tanquam per manus traditam, quam proprias speculationes, suique commenta cerebri faceret: hac adjectione, ubi pertinaciam morositatemque deposuerit, et ad meliora se converterit reipsa illum intellecturum, hoc illustri multorum sanctorum patrum exemplo & ad conservationem corporis, animæ existimationisque sui fieri.

XXIV. Ad hæc, ut bona fide nobis renunciatum est, Martinus Lutherus respondisse fertur, se non solum omnes jam dictas personas, sed etiam generale concilium (si quod futurum sit) pro suspecto & partiali habiturum: & quod in libris suis, ne minimam quidem syllabam velit mutare, quod antea quoque in nostra statuumque imperii præsentia protestatus fuisset, præterquam si a viro excellenter erudito convinceretur, idque secundum suam duntaxat regulam, nec ex conciliis, aut cæsareis pontificiisque decretis aut ullius patrum auctoritatibus, quantumlibet sanctis, sed tantum ex testimoniis Verbi Dei: quæ vult ad suum arbitrium suasque inextricabiles & spinosas opiniones inflecti, detorqueri ac enarrari: cum pateat atque in promptu sit, illis auctoritatibus id, quod in utroque testamento aut non ponitur aut minus clare exprimitur, supplentibus, hactenus sanctam catholicam Ecclesiam fuisse gubernatam.

XXV. Quandoquidem igitur hæc ita gesta sunt, & *Martinus Lutherus* tam obstinate ac perverse, in opinionibus manifeste hæreticis perseverat: ideoque cum omnes pii & intelligentes, tanquam

furio-

furiosum & a Dæmone corruptum fugiant et execrentur. Nos juxta nostrarum tenorem literarum de securitate die proximo mensis Aprilis 25 abire illum e conspectu nostro jussimus, caduceatoremque rursus adjunximus, ut secundum hunc vigesimum quintum diem Aprilis adhuc viginti dies consequentes conductu salvo muniatur; hisque transactis nihil a nobis præsidii defensionisque habeat amplius: inde nimirum opportunis remediis contra hanc exulceratissimam pestem procedi debet: ut sequitur.

XXVI. Principio, ad laudem gloriamque omnipotentis Dei & propugnationem Christianæ fidei, pontificis quoque Romani & sedis Apostolicæ honorem debitum, auctoritate ac potestate Cæsareæ nostræ dignitatis atque officii, præterea unanimi consensu & voluntate nostrorum sacrique imperii Electorum, principum & ordinum hic jam congregatorum, nos ad perpetuam rei memoriam præstandamque decreti, sententiæ ac condemnationis bullæ, quam sanctus noster Papa pater velut ordinarius Judex controversiarum religionis edidit, executionem, supra memoratum *Martinum Lutherum*, tanquam membrum ab ecclesia separatum, perniciosi schismatis auctorem, manifestum pertinacemque hæreticum, a nobis vobisque universis & singulis æstimandum detestandumque renunciamus & declaramus: idque publice testatum his literis volumus, edicentes & imperantes vobis omnibus & unicuique sub sponsione atque juramento, quo nobis sacroque imperio devincti estis, ad effugiendam item criminis læsæ Majestatis pœnam, nostramque & imperii proscriptionem ac excommunicationem, præterea sub privatione, amissione, dispoliatione omnium Regalium, feudorum, privilegiorum, immunitatum, quas ad hoc usque tempus ab antecessoribus nostris, nobis & sacro imperio ulla ratione concessas obtinuistis.

XXVII. Imperantes inquam Romana Cæsareaque Majestate ac potestate, severe hoc edicto volumus, ut elapsis præfatis viginti diebus, qui 14 hujus mensis Maji terminabuntur, prædictum *Martinum Lutherum* nemo vestrum hospitio, tecto, lectove recipiat ac foveat: nemo cibo potuque alat & sustentet: nec quisquam verbis ac factis, clam palamve, consilio vel auxilio juvet aut promoveat: sed ubicunque locorum in eum incideritis, si tantum habebitis virium, vinctum comprehendatis, diligentique septum custodia nobis

bis vel adducatis ipsi, vel adduci curetis, aut saltem e vestigio nobis ubi captus fuerit indicetis, intereaque carcere clausum providenter asservetis, donec quid porro illi inferendum sit, instructionem nostram acceperitis: vosque propter hujusmodi sanctum & pium opus, ad compensationem laborum quoque & sumptuum benigne remuneremini.

XXVIII. Verum contra illius necessarios, conjunctos, thiasoras, patronos, altores, fautores, consentientes, æmulos atque imitatores horumque mobilia vel immobilia bona, debetis in vigore sanctæ constitutionis, nostræ & imperii proscriptionis, & excommunicationis hoc ordine procedere, videlicet iter facientes prosternere, prehendere, fortunas diripere, ad vestrum dominium transferre nemine vel obstante vel impediente: excepto, si verisimiliter probabiliterque confirment, se hac scopulosa via deserta pontificiam absolutionem impetrasse.

XXIX. Præterea mandamus vobis omnibus & unicuique privatim, sub antescriptis pœnis, ne quisquam vestrum jam sæpe nominati *Martini Lutheri* libros a sancto patre nostro papa, ut supra indicatur, condemnatos, ejusdemque alia multa scripta, quæ seu vernacula seu latina lingua composuit hactenus, tanquam impia, fœda, suspecta, diluta & a notorio pertinacique hæretico edita, amplius emere, venundare, servare, describere, imprimere, describi vel imprimi facere, nec ipsius opinioni suffragari, aut prædicare, defendere, asserere ullis modis, qui ab ingeniis, humanaque solertia excogitari, usurparique possunt, præsumat.

XXX. Nec vero quem facile moveat, quod hæc interdum aliquid boni ad decipiendos imperitos admixtum habere videntur. Nam si a saluberrimis epulis unica veneni guttula infectis sani omnes abhorrent: quanto magis hujusmodi libri & scripta, mille venenis animæ lethiferisque pestibus imbuta, non solum a nobis omnibus refugienda, sed etiam ex memoria hominum tollenda, penitusque obruenda sunt, ne cuiquam damnum aliquod, aut æternam mortem afferant? postquam omnia, quæ ejus libris recte ac laudabiliter inserta sunt, multo ante a sanctis patribus, ab ecclesia catholica receptis, & approbatis, frequenter usurpantur, introducuntur &

ex-

explicantur, ubi absque sollicitudine, suspicione aut ullius mali periculo attingi, legi, tractarique possunt.

XXXI. Insuper decernimus ut universi & singuli cujuscunque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis fuerint, ac præsertim gerentes magistratus, & superiore vel inferiore jurisdictione armati, sub incursione pœnæ supra expressæ, in omnibus sacro imperio subjectis ditionibus, in nostris item hæreditariis ducatibus atque territorio, de facto severe ordinent, pœnas irrogent, imperent atque procurent, quoscunque tales antedictos, *Lutheri* virulentas commentationes, libellos & lucubrationes, ingentium tumultuum, damnorum, dissipationum, hæresium in ecclesia Dei administras, igne comburant, & his aliisque mediis funditus abolendas, extirpandas, ad nihilumque redigendas. Similiter beatitudinis pontificiæ nunciis, ipsorumque delectis commissariis, in his ad illorum petitionem & requisitionem summa voluntate atque promptitudine animi adesse, obsequi, moremque gerere, ac nihilominus illis assentientibus ad hæc universa & singula administranda, exequenda, perficienda, nostro jussu mandatoque accedere, operasque conferre debeatis.

XXXII. Interim quoque præcipimus omnibus aliis, & sacri imperii & nostrarum etiam hæreditariarum ditionum territoriique subditis, ac fidelibus severe præsentibus literis, ut in prædictis ordinibus magistratibusque constituti pariter nobismet ipsis auxilium, obedientiam, alacritatem promptitudinemque præstent, ac volumus transgressores præfatis pœnis, mulctisque, castigationibusque subjacere.

XXXIII. Cum evidens necessitas efflagitet, prævenire ac præcavere, ne libri *Lutheri*, aut hinc male excerpta, vel suppresso nomine auctoris edita, vel aliorum scriptis intertexta, ceterorumque ejusdem farinæ hominum opuscula, qualia magno cum dolore passim in Germania conscripta & publicata, perniciosis dogmatibus exemplisque referta percepimus, in posterum aut componantur, aut in vulgus spargantur, unde pii simplices horum lectione fascinati, errores in fide comprobare, honestatem vitæ morumque negligere inciperent: quæ res scandalorum acerbitatem odiorum in ecclesia ceu seminarium quoddam existit, quemadmodum hactenus perspicue vidimus, quod indies magis magisque in omnibus regnis, ducati-

catibus, populis, nationibus, conspirationes, schismata, factiones confusionesque metuendæ erant. Propterea ad hujusmodi sævitiei vim extinguendam iterum mandamus, consilio nostrorum imperiique electorum, principum & statuum, sub præfatis gravibus pœnis, mulctis, castigationibusque vobis nostri & imperii nostrorumque hæreditariorumque ducatuum atque ditionum subditis universis & singulis, tanquam Romanus imperator, legitimus hæres, ac ordinaria potestas, ne quis vestrum post hac ejusmodi famosos, plenosque veneni libellos, aliasque chartas, aut exempla vel transsumpta habeat, ut quæ in Christiana Religione nefandos errores pariunt, ac ritus & instituta ecclesiæ convellunt.

XXXIV. Preterea, ne quis infesta maledicaque scripta in sanctum patrem nostrum Papam, prælatos, principes, academias, harum facultates, aliasque honestas personas, denique offectura bonis moribus & ecclesiæ tranquillitatem turbatura amplius pingat, fingat, scribat, imprimat, vendat, emat, clam palamve servet, aut imprimi, scribi, pingive faciat, nec aliis hac rationibus quomodocunque excogitentur fieri procuret conniveat vel permittat.

XXXV. Similiter imperamus severe sub indicatis pœnis, omnibus, qui ad ornandam tuendamque justitiam in præsidiis reipublicæ, vel ad gubernacula sedent, ut talia scripta, libros, paginas, picturasque, quæ aut sub oculos cadere hactenus potuerunt, aut deinceps cadentur, scribentur, pingentur, quemcunque habeant Dominum, & ubicunque hæc reperientur, per ambitum totius imperii Romani nostrasque hæreditarias ditiones, vigore hujus nostri edicti ad se recipiant, discerpant & inflamment.

XXXVI. Auctores quoque, Scriptores, impressores & pictores, emptores item venditoresque talium fœdissimorum scriptorum, poëmatum, librorum, paginarum, picturarum, post factam promulgationem nostri præsentis cæsarei decreti, perseverantes aut de novo aliquid molientes, si notorium fuerit, corporibus, fortunis, privilegiis, ubicunque eos assequi poteritis, plectatis, denudetis, privetis, & quæ placuerit, in eos statuatis. Hoc liberum vobis concessumque jure optimo putatote, nec idcirco injuriam fecisse cuiquam arguemini, aut lege vel extra judicium ad disceptandum cum hac de re expostulantibus obligati eritis.

XXXVII.

XXXVII. Poſtremo, quo, cum præſentia mala, tum occaſiones futurarum hæreſium præcidantur, penitusque removeantur, nec venena ab horum libellorum auctoribus introducta latius disſipentur, atque celeberrima ars typographica deinceps tantum ad præclaros & laude dignos uſus adhibeatur, nos Cæſarea Regiaque poteſtate, conſulto, unanimique conſenſu noſtrorum & imperii electorum, principum atque ordinum, ſub noſtra imperii proſcriptione, excommunicatione, & reliquis ante commemoratis pœnis, decrevimus, rurſumque ſcientes decernimus, vigore hujus edicti, cui auctoritatem legis tribuimus, idque inviolabiliter ſervari volumus: ne quis in poſterum typographus aut alius quicunque aut ubicunque fuerit in imperio Romano, aut in noſtris hæreditariis regnis, ducatibus ac territoriis, ullum opus ſcriptumve, in quo fidei Chriſtianæ mentio ſeu prolixe ſeu breviter fiat, aut primus imprimat, aut ab aliis editum recudat, niſi conſcio & annuente loci illius ordinario, vel ejus ſubſtituto, ad hanc rem ordinato, cum permiſſione facultatis Theologicæ in academia aliqua finiendi. Ceteri vero libri, qua de cunque facultate, profesſione, materia confecti, conſenſu & voluntate ordinarii, nec aliter excudantur, venundentur, imprimi, venundarique curentur & ſubornentur ullis impoſturis.

XXXVIII. Si qui vero, quocunque ſplendore, dignitate, amplitudineque præditi, hujusmodi noſtra Chriſtiana, & Cæſarea decreta, leges, ſtatuta, ordinationes, mandata, quæ per omnia firma, fixa, rata volumus, in uno pluribusve articulis commemoratis, Lutheri dogmata vel officinas typographicas perſtringentibus, ullis modis, quæ venire in mentem homini poſſunt, contumaciter attenuare, violare, infringere, evertere, abrogare præſumpſerint, hi ſciant, ſupradictis & aliis in jure definitis pœnis, ſecundum formam & proceſſum pontificiæ excommunicationis, noſtræque proſcriptionis ſe irremiſſibiliter ſubjacere. Hæc omnes proponant animis, quibus ut ſatisfiat, fidesque adhibeatur, præſentes Cæſareo ſigillo noſtro communivimus.

Datæ Wormatiæ noſtra & ſacri imperii civitate 8 Maji anno a Chriſto nato M. D. XXI. Noſtri vero imperii Romani anno ſecundo, aliorum regnorum ſexto. Ad mandatum Domini Imperatoris proprium.

Num. VII.

Num. VII.
TRAGOEDIA, quæ *Parisiis* coram ipso Rege *Francisco* I. dicitur acta fuisse A. 1524.

QUum ante hos quindecim annos in Academia *Duisburgensi Disputationem* in memoriam Confessionis Augustanæ *secularem* publicarem, quæ deinceps *Exercitationibus Academicis* junctim à me editis est inserta Lib. III. Diss. III. pag. 542. & seqq. inter alia observabam, quam violenta Pontificis Ro. & ejus Asseclarum molimina, quæ ipsi ad sufflaminanda Reformationis consilia excogitaverant, potius per singularem Providentiam divinam ad totum Reformationis Opus promovendum & amplificandum inservire debuerint; Simul verò notabam, id in *Comitiis Augustanis* ipsi Imperatori CAROLO V. jucunda quadam ratione, sed quæ falsam tamen secum vehebat vehementiæ nimiæ exprobationem, per mutam scilicet Comoediam, fuisse repræsentatum, cujus tum ex relatione JO. LUD. FABRICII Theologi Archi-Palatini in tractatu *de Ludis Scenicis* pag 231. brevem quandam summam exhibebam: Enimverò postmodum, quam similis fabula jam dudum ante quoque esset lusa, comperi ex V. C. JACOBI BURCKHARDI Commentatione de *Vita & fatis Ulrici Hutteni* Part. II. p. 293-300. qui simul ejus historiam sibi per Doctiss. *Schlegelium* communicatam, prouti scripta erat manu *Johannis Langi* Prioris Erfurdensis Luthero amicissimi, operi modo laudato, sub titulo tamen *Tragœdiæ* inseruit; dum interea P. III. p. 296. 297. sibi quoque duplex quoddam exemplar idiomate Germanico typis jam A. 1524. impressum, *alterum* variis figuris exornatum sub titulo *Eyn Comedia welche in dem Koniglichem sale zu Pareysse, nac vormeldter gestalt und ordenunge gespylt wordenn.* Anno D. X. X. IIII. *alterum* sine figuris, sed itidem lingua Germanica conscriptum, ab amicis esse communicatum refert. Latinam illam descriptionem ex libello Burckhardiano depromere, atque ob rei memoriam huic volumini subjungere volupe fuit:

AR-

ARGUMENTUM TRAGOEDIÆ.

Imago exhibita ab adversariis de Primitiis revelatæ doctrinæ Domini nostri Jesu Christi, *ejusdemque* defensoribus, *& de* hostibus Ecclesiæ, *horumque clandestinis* insidiis *& crudelissimis* consiliis, *de tollenda Dei veritate per* D. Martinum Lutherum, D. Philippum Melanchtonem, *& per* alios pios Doctores *nostros in hac ultimi mundi senecta patefacta & a fœdi Papatus squalore repurgata.*

TRAGOEDIA Parisiis *acta in Regia aula.*

Aderat personatus Papa, *sedens sublimi solio corona triplici redimitus circum se habens* turbam cardinalitiam *cum comitatu* Episcoporum Fratrum*que* mendicantium; *sedentes pro tribunali rem Christi judicaturi. In aula meditullio vivus* ignis *erat multo carbone succensus. Quum is ex omni parte feruidus, tandem multo cinere sopitus, ut calorem vix sentire posses, igne obtecto, apparuit* senex veneranda canitie, *perterritus quodammodo tam magnifico cœtu, cui REVCHLINI personam indiderunt actores. Hic magna verborum ambage nostra* Ecclesiæ luxum detestatus, *multasque* sacræ rei desuetudines professus *tandemque persuadere conatus tanto cœtui, nisi rebus suis, (quas Christo consecratas aiant) melius consulerent*, omnes irent perditum. *Sic venerandus ille senex ignem cinere obductum accessit, bacillo, quod manu gestabat, cinerem ab igni submovit, ut facie tenus appareret. Hoc facto, lux foras promicuit. Ille quum abstitisset, aderat* magni nominis Theologus, *Senatui Cardinalitio non incognitus, cui ERASMO ROTERODAMO fecerunt nomen. Hic, quia notus Pontificibus*, viuam rem etiam non secuit, sed vulnus malagmatibus & emplastris, alias virulentum, paullatim curare nitebatur, utrique parti consulens, repentinam mutationem rerum tam seriarum dissuadebat, temporisque successu tantum vulnus curandum *aiebat. Illi confidenti propiore loco post Cardinales magnus honos habitus; ne hunc virum haberent inimicum, quem suæ rei propugnatorem sperabant. Tum* armatus *aderat*, homo omnino ferreus corpore & animo: *qui quam primum in medium prodiit, (huic nomen HVTTEN fecerant) hic* iratum animum irato sermone prodidit, omnemque tam celebrem consessum flocci faciens *dixit*: Vestra opera nos hactenus perpessi sumus rei divinæ tam insignem iacturam, *quumque* Pontificem Antichristum *aperta voce denuntiasset*, devastatorem*que &* populatorem totius Christia-

 stia-

ſtianismi, *acceſſit ad ignem per ſenem detectum, & cineres diſperſit, omnemque calorem, accepto folle, ſufflando excitauit, ita, vt etiam totus ſenatus, ſtupore perterritus, obmutuerit. Illo ſufflante, & ira percito, inter laborem accidit, vt mortuus concideret. Hoc viſo, gaudium & mœrorem Senatus ſuppreſſit, delatusque eſt foras, nullo funeris obſequio ſepultus. Tandem, neſcio quis, ſtulto* veſtitu, *utpote* monachali, *ingrediens, cui LVTHERO cognomen inditum erat, magnam ſtruem lignorum eluti alter Iſaac in humeris baiulans, inquit:* Ignem iam parum lucentem toto orbe lucere faciam. Per vos res Chriſti periit, per me Chriſti opera, vobis invitis, reſtituetur. *Sic focum acceſſit, & ligna vivis carbonibus ſuperpoſuit, quæ mox victrix flamma abſumere conata totam aulam, quod parum eſt, immo totum mundum illuxit. Sic ſe proripuit foras monſtroſus Cœnobita, illico totus Senatus pæne terrore exanimatus in unum coiit, conſulturus rei tam ambiguæ. Vbi* Pontifex, *indicto ſilentio, inquit:* Viri fratres, quid ſibi volunt tam immenſa portenta? quid monſtroſus ignis? non video, niſi ut ignominia noſtra toto celebretur orbe: & niſi huic errori ſuccurratur, peribimus: vbi ſemel noſtræ Religionis prætextus vulgo innotuerit, deturbatique fuerimus, in ordinem redigemur, illudque *Dei cognomen*, cuius *vices* huc vsque gesſimus, auſſeretur a nobis, numquam poſthac (quod non vellemus) rediturum. Quare vos hortor per ſacroſanctam Apoſtolicam ſedem, per Chriſtum, cuius vices gerimus, ut huic perniciei ſuccurratis, nosque hac ignominia & vos tam inſigni jactura relevetis. *Sic Pontifice, obortis lacrimis, obmuteſcente, quidam* mendicantium ordinis fraterculus, *obeſo & protentiore ventriculo, capite pingui, qui inquit:* Sanctiſſime Pater, totiusque orbis regnum Chriſti tenens, ac pro libidine moderans, nos tui alumni, ordinarii fratres, jam percepimus, quantum dolorem Paternitas tua ex hac tragœdia perceperit. ſi Paternitati tuæ viſum fuerit, erimus defenſores hujus peſtis tam noxiæ. *Diploma* tuum vel aliud nos facit *veræ fidei defenſores*, patresque noſtri tibi nobisque hactenus rem Chriſti pacatam & tranquillam reliquerunt, totusque orbis nos *hæreticæ pravitatis inquiſitores* in hunc diem vsque appellitat. Quare Paternitas tua omnem huius rei moleſtiam in nos trudat: & tibi nobisque rem proſpere peractam (firmiter, crede) ducemus. *Iam totus* Cardinalitius Senatus *Pontificem compellat, vti res in iſtiusmodi homines deuoluturi,*

turi, qui etiam Huſſitam *Conſtantiæ armis victricibus exuerunt, & pugnæ iam adſueti conflictum forti animo ſuſtinebunt. Tandem res eo deuenit, ut dolis, inſidiis, inuidia, & fraude utrinque rem iam pene inclinatam reſtituerent, & quo maiore tum opera, tum ſtudio rem tractarent fratribus* Pontifex *dixit :* Fratres, ſi nunc proſpere, vt *Conſtantiæ*, hæreſeos tumultus abegeritis, magna præmia a nobis exſpectabitis. Quadruplicis enim veſtri Ordinis viros videbitis, abjectis tam monſtroſis veſtibus, ſublimi cultu ornatos, equis & ſellis inuehendos, ac purpureis mitris conſpicuos, inſuper & pinguibus Epiſcopatibus dotatos cernetis. ite feliciter, & dominium nutabundum erigite, ac nobis vobisque conſulite, fratres, conati incendium exſtinguere, neſcio quo fato, factum. *Quum autem ipſi pro aqua vinum, quod aiunt defecatum infudiſſent, & flamma oborta totum pene conſeſſum exanimaſſet, fratres iſti ſibi fuga conſulentes aulam reliquerunt, & ignem longe lateque relucentem. Tunc Pontifex, totusque Senatus propius acceſſerunt ad hunc ignem, ſuggeſtione dæmoniaca accenſum rati. Tunc* Senatus *Romanæ Eccleſiæ ſupplex Pontificem orabat in hæc verba:* Sanctiſſime Pater, tibi poteſtas tradita eſt in cœlo & in terra. huic igitur Elemento *maledictionibus* obnitere, ne in immenſum ſumptis viribus accreſcat. nullum eſt, quod certo ſcimus, ſub cœlo Elementum, quod non tuo imperio diſſoluatur. tibi imperium in cœlo & terra commiſſum. etiam *Purgatorium* pro tuo arbitratu defunctorum animas vel tormentis cruciat, vel liberat. quare ſanctitate tua hunc ignem maledictionibus ſolidis adgredere, ne omnibus hodie contemptui ſimus! *Acceſſit ad ignem Pontifex propius, inquiens:* Maledictus, qui ſuccendit hunc ignem, obſcurent te tenebræ & vmbræ mortis, occupet te caligo, nox tenebroſa te poſſideat, ne lux tua vltra illuceſcat! & qui tibi alimentum fomitemque præbuerit, percutiat eum Dominus vlcere Aegypti, & partem corporis, per quam ſtercora egeruntur, ſcabie & prurigini, ita, vt curari non poſſit! Percutiat eum Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt palpet in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris; *Poſtquam hæc dixerat Pontifex, ſenſeratque, verba ſua execrationis nihil in ignem poſſe, ſibique falſo perſuaſum eſſe, agnovit, poteſtatem ſe habere in Elementa, ira motus exſpirauit. quo viſo, tota concio in riſum ſoluta abiit.*

Num. VIII.

MISSA de Nuptiis

Andreæ Carolostadii
& Sacerdotibus Matrimonium contrahentibus.

A. 1522.

In tanto ingeniorum bonorum proventu, quantus se temporibus Reformationis exserebat, mirum non est, quod præ reliquis commodam nacti sint occasionem suum commonstrandi acumen ii quoque quibus γελωτικα contigerant ingenia, et quibus facultas erat, satyrico sale conspergendi depravatos mores, ritus et vitam clericorum ejus temporis, iisque pellem, ut ait Horatius, detrahendi: Certè, qui *Vlr.* HUTTENUM & ejus congerrones quamplurimos intuetur, & quanta lepiditate ii cogitationum suarum aculeos cumprimis distringere in Papam, Cardinales, Episcopos, Monachorum Ordines, & quidquid erat in Ecclesia Romana vel Sacerdotum vel Patrum vel Fratrum nomine conspicuum, consueverint, attento considerat animo, facilè in hanc ipsam mecum descendet sententiam, quam

Ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque secet res.

Neque verò omnia quæ tum temporis in lucem protrudebantur ejusdam valoris erant aut ejusdem auctoritatis, quanquam etiam nostris temporibus non desint, qui sine judicio pretium iis omnibus statuere consueverunt, atque in iis consarcinandis operam sæpe magis perdunt, quam ut quicquam solidi inde lucrentur;

Hæc tamen, quæ dicitur MISSA, occasione nuptiarum A. B. Carolostadii, edita, quæque sacerdotes matrimonium extollentes celebrat, digna mihi videbatur, quæ ex vetusto exemplari, quod apud me est, ab interitu vindicaretur, atque in rei memoriam, hunc locum occuparet, quod bona cum Lectoris venia factum esse confidimus ac speramus. Junxit autem CAROLOSTADIUS sibi A. 1522 mense Januario nuptiali fœdere virginem Witebergensem *Annam Mochoviam*, atque ex ea prolem suscepit non unam; Prouti Luthe-

LUTHERUS de his nuptiis ita ad Amsdorfium Epiſtolar. Tom. II. p. 456. *Carlſtadii nuptiæ mire placent; novi puellam, confortet eum Dominus in bonum exemplum inhibendæ & minuendæ Papiſticæ libidinis, Amen. Munuſculum meum ipſe feram ſuo tempore poſt Paſcha:*

Introitus.

Dixit dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſui.

Verſus.

Adherebit homo uxori ſue, & erunt duo in carne una.

Oratio.

Deus qui poſt tam longam & impiam ſacerdotum tuorum cecitatem, Beatum Andream Caroloſtadium ea gratia donare dignatus es, ut *primus*, nulla *habita* Papiſtici Juris ratione, uxorem ducere auſus fuerit, Da queſumus, ut omnes Sacerdotes recepta ſana mente ejus veſtigia ſequentes, ejectis concubinis aut eisdem ductis, ad legitimi conſortium thori, convertantur, Per dominum noſtrum.

Epiſtola ad Tit. 1.

Chariſſ. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet. n. Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere, Sunt enim multi etiam inobedientes vaniloqui & ſeductores, qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.

Graduale.

Ecce ſic benedicetur viro qui timet dominum. Uxor tua ſicut vitis fructifera & filii tui ſicut germina olivarum.

Alleluia.

Alleluia, In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, at-

tendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, in hypocriſi loquentiũm mendatium, & prohibentium contrahere matrimonium.

Sequentia.

Deus in tua virtute· Andreas Caroloſtadius gaudet, & lætatur thalamo copulatus.

Piſcatio Epiſcopi ipſe primum factus piſcator eſt uxorum.

Sacerdotes Pornolatras diu ad normam reduxit matrimonii.

Is legibus jus Romanum tuis Deus victor ſtrennuus ſubjugavit.

Conſilium Pauli tui ſequens & jam bonum ſe oſtentans conjugem.

Mirantibus invitisque Papiſtis uxorem quæſitam ædibus nuper ſuis intulit.

Atque magno decore ſacerdos inſcripſit titulos conjugatus domine.

Illum Sacerdotem vere tuum credimus.

Chriſti filii tui atque fraterculum.

Nos ergo concubinis noſtris gravati te Deus poſcimus.

Ut illius qui patres noſtros ſectatus antiquos tibi placet.

Nos imitatione gaudeamus in æternum.

Euangelium ſecundum Mathe.

In illo tempore,. acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi tentantes eum & dicentes. Si licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque de cauſa? qui reſpondens dixit eis. Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio maſculum & fæminam fecit eos, & dixit. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adherebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet. Dicunt illi, Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii & dimittere? ait illis, Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem & aliam duxerit, mechatur, & qui dimiſſam duxerit mechatur. Dicunt ei diſcipuli ejus, ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis, non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi qui de matris utero ſic nati ſunt.

ſunt, & ſunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus. & ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum celorum, qui poteſt capere capiat.

Offertorium.

Propter ſtupra vitanda, ſuam quisque uxorem & ſuum quæque virum habeat. uxori vir debitam benevolentiam reddat, ſimiliter autem & uxor viro.

Secreta.

Sacrificium noſtrum quæſumus domine benignus ſuſcipias, ut quod tuæ majeſtati in Andreæ Caroloſtadii nuptialibus primitiis devote offerimus, ejus efficatia a cunctis ſcortationis defendamur periculis. Per.

Communio.

Quod ſiquis ſe non contineat, nubat. melius enim eſt nubere quam uri.

Complenda.

Sint nobis domine auxilio ſumpti ſacramenti miſteria, & ſicut Andreæ Caroloſtadii connubiali celebritate lætamur, ita fac queſumus ſacerdotum conjugia toto orbe fæliciter auſpicentur, fælicius ſuccedant, & quam fæliciſſime finiantur. Per dominum noſtrum.

Ite miſſa eſt.

Num. IX.

Apologia Senatus Uratislavienſis adverſus Hadrianum VI. Pontif. Romanum. Pro Reformationis à ſe factæ Decreto.

Hanc Apologiam ab oblivione poſteritatis cum vindicaverit *Abrahamus* SCULTETUS in Annalib. Evangelii Renovati ad Annum MDXXIII. pag. 147. &ſeqq. cumque eam, quippe in qua detectus priorum Paſtorum ad vivum deſcribuntur, & Reformationis rationes graviter exponuntur, tanquam lectu digniſſimam commendet SECKENDORFIUS Lib. I. §. CLI. fol. 270. inde eandem depromere viſum fuit; Ea verò ita ſe habet.

Sena-

Senatus Populusque Uratislavienſis
Piis Lectoribus ſalutem in Domino.

Non ambigimus, viri Chriſtiani, qui & corde & ore Chriſtum profitemini, quin vobis (etiam ſine ullo noſtro encomio) ſummè placeat novi paſtoris nova electio, cum inprimis veſtræ profeſſioni conveniat, niti & exemplo & doctrina Apoſtolorum, quæ ſanè & baſis & fundamentum veræ fidei, eo vobis commendatior eſſe debet, quod à Spiritu ſancto profecta eſt, ſignata ſphragismate ſanguinis Chriſti & electorum Dei. Verum, cum multi ſunt quibus poſt hujus mundi honores & carnis voluptates nihil quicquam divini aut ſancti penſi eſt, ne illis anſa relinquatur improbandi hoc noſtrum adeo laudabile ac frugiferum inſtitutum, breviter ejus conſilii rationes explicabimus: ne, ſi fortè plerique firmamentum roburque rei non acceperint, aliqui ex eis, tyrannide & majeſtate adverſariorum, in ſenſum non verum traducantur, tum etiam, ut inter nos mutua dilectio conſervetur, quam alioqui, ſciſſa in diverſas partes Eccleſiâ, labefactari neceſſum eſſet. Primum ergo non immerito nos, quibus ſumma Reip. concredita eſt, vehementer commovit animi, quod ædes Divæ Magdalenæ tot jam annis ſine ſponſo & parocho conſenuit & eviluit, quam adeo pro uno ſponſo multi appetivere, ut etiam illis ad tribunal ſæpè deventum eſt, atque ita alii alios mutuo ſemper ejicerent, contendentes de animarum noſtrarum ſalute, nihil ſecus atque ii, qui teſſeris colludunt, porro utrique fortunam ſine virtute experiuntur. Quod contendendi ſtudium ab Eccleſiæ Præfecto alieniſſimum eſſe debet. Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem, non præfractum, non iracundum, non vinoſum, non percuſſorem: non turpiter lucro deditum, non ambitioſum, cum ea dignitas non ambitione ſed conſenſu Eccleſiæ comparetur, & non nummario pretio, ſed oneroſo honore conſtet, iis artibus denique parandum ſit verum ſacerdotium, quod niſi coactus aliquis ritè capeſſere non poteſt, ut in *Cod de Ep.* & *Cler. Le. ſi quicquam.* Divus Leo Auguſtus ſuper acceptando ſacerdotio ſanctiſſimè ſtatuit hiſce verbis, tanto & Chriſtiano Principe non indignis. „ Nemo gradum ſacerdotii venalitate „ pretii mereatur, quantum quisque mereatur, non quantum dare „ ſuf-

„ sufficit, æstimetur. „ Profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpit? Denique, quid cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ: & à sacris adytis repellatur peculare flagitium. Ita castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut locorum quocunque pervenerit, omnia propriâ vitæ integritate purificet, non pretio sed precibus ordinetur. Antistes tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Qua de re haud ita longius standum nobis esse ducimus illorum disceptationibus, qui tam importunè sacerdotia quærunt, ac passim aliorum injuria sese consecrant, ne scilicet illos expectando interim status nostræ salutis periclitaretur. Proinde aliquot jam annis non æquè Evangelium hic annunciatum est: quippe alii pro Christi Evangelio Thomam, Scotum, Aristotelem, Christianis auribus summa cum indignitate instillarunt: alii loculis & marsupio consuluerunt, prædicando non gratuitam fidei, sed pronundinam fiduciam operum: alii item in operculum suæ carnis & impietatis sacras literas detorserunt: quo factum est, ut multi nesciant quam viam sequantur, atque ita dubii errent, ut navis in medio mari gubernatore destituta. Quod malum ne indulgentia nimia aut irritando tanquam excetra illa Lernæa vires acquireret, aut latius serperet, summa cum diligentia è nostrorum animis tollere, & ad usque vivam radicem averruncare studuimus: quærendo scilicet nobis & Ecclesiæ nostræ eum Pastorem, qui incredibili fiduciâ & alacritate Verbum Domini, & impervestigabiles ab humana prudentia divitias ejus & communionem mysterii quod erat absconditum à seculo, ideo nobis decantabit secundum spem nostram, quam in illam habemus repositam in Domino, qui omnibus innocentiâ vitæ & modestia charus est, qui antea à Reverendissimo D. Episcopo nostro ad Evangelizandi munus, & nunc quoque à nobis unanimi consensu vocatus & accensus est, ac electus in Domino juxta consuetudinem ab Apostolis vulgatam, & Ecclesiæ,

quæ in Christo est, receptam. Siquidem Ecclesiæ est vocare & eligere pastorem: Episcopi autem, sive presbyteri, manus imponere. Nunc cum ipsa electio canonicè & debitè celebrata sit, ac secuta judicium & eulogium Reverendissimi nostri Antistitis, qui summâ curâ nos ad amorem præsentis pastoris invitavit, atque primus illi calculum ac suffragium suum detulit ad annunciandum Evangelion de Christo, non passus, uti sub modio tam bona lucerna perderetur, aut ipse talentum, quod à Domino accepit, intra terræ penetralia, ceu parum fidelis servus infoderet ac reconderet: verum in Verbi ministrum nobis eum constituit: quæ Evangelizandi functio inter reliqua Ecclesiæ munia prima & maxima est. Proinde cum in maximis nobis datus esset magister, minoribus quoque eum Ecclesiæ officiis, quæ de jure parochiali dicuntur, præfecimus: rati, par ac debitum esse, minima illi concredere, qui in maximis esset fidelis, cum etiam non liceat alium habere verbi ministrum, alium dispensatorem mysteriorum Dei: ita enim scinderetur & ordo & dignitas sacerdotii.

Nam quid magis absurdum esse queat, quam eum habere dispensatorem mysteriorum Dei, qui ita institutus esset, ut verbum ministrare non possit? Quomodo autem aliquis dispensaret mysteria, quorum cognitionem per verbi scientiam non habet? cum ne in mechanicis quidem rudis adhuc opificii admittatur. Ad hæc ita constituit Deus, æquitatis legem dispensans: ut in corpore nostro alia sunt membra, quæ regunt corpus, atque omnibus motibus ejus præsident, alia item sunt quæ reguntur ac obsequium rectoribus præbent, in Ecclesia quoque alii gubernarentur ac regerentur, quibus hoc utilissimum est, ut verbo & opere rectorum ad id quod expedit, imbuantur, alios verò pastores dedit & doctores, ad perfectionem Ecclesiæ, eos scilicet, qui præ cæteris virtute animi præditi familiarius Deo assistant, & id officii in Ecclesia gerant, quod anima in corpore; ut utraque pariter compaginata, & sibi invicem mixta, in quo quid deest & in quo abundat, velut in membrorum diversitate consonantia facta, per spiritum perfectum & integrum atque aptum ad omnia corpus existat, & dignum, quod Christum habeat caput. Ergo idem ex Scriptura & verbi minister, & dispensator mysteriorum Dei (hoc est, ut Paulus ait, alios dedit pastores & doctores) esse debet, atque in iis totum sacerdotium compre-

pre-

prehenditur potius quam in ſupercilio Ephot, cidari, tiara, anclabri, atque aliis non eo usque exigendis ab Eccleſia Chriſti. Juſtè igitur verè pium ac Chriſtianum hominem *D. Joannem Heſſum*, Theologiæ Doctorem in parochum nobis elegimus, ad miniſterium verbi ante vocatum ab Epiſcopo, commiſimus usque ei curam & vivorum & mortuorum: ut vivos immarceſcibili fructu verbi Domini paſcat ac nutriat: defunctos verò in Domino pie ſepeliat, non ut prædeceſſores parochi, quibus una opera erat inhiare lucro. Nam ſive naſceretur, ſive moreretur aliquis, omnes erant tributarii, & veſtigales parocho, ut etiam multa millia gratiarum ac indulgentiarum nomina, remiſſionem peccatorum præ ſe ferentia, atque id genus alia paſtorum commenta taceamus. Quod verò omnium miſerrimum, mortui plus vivis cenſebantur: ut credibile ſit, poëticum illum Charonta in tranſportandis multis mitiorem fuiſſe, quam noſtros parochos in ſepeliendo. Cum autem ſine iis nundinationibus cum ſuis Diaconis & Hypodiaconis verus Paſtor ſeſe de nudis Eccleſiæ reditibus ſuſtentare non poſſit, ut ſæpè noſtris auribus inter concionandum inculcavit ſinceriter nobis in Chriſto dilectus eximius vir, D. Magiſter *Joachimus*, qui aliquot jam annis ſive per locationem, ſive per aliam rem quanpiam dictæ parochiæ præfuit, atque ita inter concionandum nos admonuit, ut augeremus cenſum Eccleſiæ, ne cogeretur eam ex egeſtate & penuriâ rerum deſerere: conſilium quæſivimus, ne ita perpetuum & vivi & mortui vectigales & in prædam eſſemus: & ut ſine hoc cenſu paſtorem quoque noſtrum honeſtè ac liberaliter, pro perſona & dignitate ſacerdotii alere poſſimus, quo is modo in ſalutem noſtram occupatus ſit, non autem turpibus illis rationibus: tot hodiè, tot heri, tot nudius tertius funera, atque utinam etiam aliquid in craſtinum, perendie, & ſic deinceps.

Quam rem adeo indignam ad ſacram & auguſtam Regiam Majeſtatem D. Ludovicum, Hungariarum & Boëmiæ Regem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, tum per legatos, tum per literas retulimus, & ſummis laboribus & precibus obtinuimus: uti pro nobis Maximus Rex apud ſummum Pontificem intercederet, quo is jus eligendi & præſentandi paſtorem Eccleſiæ noſtræ nobis conferret, quod & ipſum à ſua Sanctitate, tantâ humilitate, quanta par eſt, nos expoſtulavimus. Ad quam poſtulatio-

 nem

nem neque Regiæ Majestati, neque nobis quicquam responsi datum est. Cum alioqui nobiscum Summus Pontifex de Lutheranismo (negotio non identidem periculoso) satis copiosè per longum Breve ageret, Ecclesiæ vero nostræ rei ad salutem animarum nostrarum vel maximè necessariæ, prorsum non commeminit.

Sentientes itaque apud Romanum Pontificem, nec Regiæ Majestatis, nec nostras preces valuisse, non oscitanter, nec imprudenter ad præsentem electionem accessimus, & pastorem nobis elegimus, quem tanquam obedientes filii, primum Vicario in spiritualibus generali, deinde Episcopo coram constitutum, ac iterum Vicario generali præsentavimus, quo eum juxta morem hujus diœceseos, in possessionem Ecclesiæ solenniter investirent. Sed & hic repulsam passi sumus, non quod hunc nobis negarent pastorem, aut de ejus integritate dubitarent, quem tantopere, & tot titulis paulo antè commendaverant, & in verbi ministrum præfecerant: sed quod illorum indignationem veriti sunt, qui unà inter sese pro ea Ecclesia contendunt & dilitigant. Nos autem nihil minus eundem electum nostrum in possessionem parochiæ instituimus. Ordinata proindè in statum optimum re Ecclesiæ & pastorali, ne identidem animarum nostrarum cura, atque antehac sæpe factum est, ulli sub pensione, vel alia Simoniaca conditione locanda veniret, ac subinde multi, in extremis constituti, negligerentur, neve essent nobiscum partita munia sacerdotii, quod utique unum & simplex esse par est, perinde velut Christus ejus unus & auctor & magister est: Vos omnes obtestamur in Domino, ne quis vestrum nobis malè vertat, tantæ rei tam subitam mutationem, multis etiam non auditam Seculis. Neque mirum, si vobis res nova, (licet in Christi Ecclesia semper fuerit usitatissima) videatur, qui nati estis, & coaluistis sub imperio conductitiorum pastorum: quorum artificio in Ecclesia Dei omnia Sacramenta venalia facta sunt, tanquam ab illis ipsis vita æterna emenda esset, quam quisque secundum æstimationem suam licitatus est, neque satis esset eam per fidem dono & plane gratuito accepisse à Christo Jesu, qui fallere nec potest, nec didicit. Horum profecto pastorum imposturas & præstigias inbibistis à teneris, nescientes adhuc lac Apostolicum, & dulcedinem Evangelicam.

Si qui autem sunt, qui nobis calumniari non desinent, Spiritu fortitu-

titudinis in Domino illorum ſycophantias tolerabimus. Nam ab auditione mala non timebit juſtus, qui, ſi homines timeret, Chriſti ſervus non eſſet. Sed quid ſollicitamur, ac ſi hæc noſtra Electio ulli non placeat? cum ſecundum Scripturam & conſuetudinem Eccleſiæ celebrata ſit, cujus Eccleſiæ & caput & ſponſus eſt Jeſus pro nobis crucifixus, qui ait: *qui mecum non eſt, contra me eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit.* Nunc *ſi Deus pro nobis, quis contra nos.* Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? *Deus eſt qui juſtificat, quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imo qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.* Exultate ergo & gaudete nobiſcum, qui pro parte Evangelii ſtatis, cum in commune vobis ſeritur ac metitur, gratias agentes Deo, quod nobis de eo paſtore proſpexerit, qui & Epiſcopo noſtro, & nobis juxta charus eſt, & piè exercitatus in ſacris literis, cui ſatis mercedis erit, excolere vineam Domini, & nos lucrifacere Deo per verbum Jeſu Chriſti. Cæterum abſtinebit a ſpoliandis tum vivis tum mortuis. Noſtrum autem, imo totius communitatis erit, & illius curam viciſſim agere libere, non coacte, & pro ſepultura & aliis officiis mittendo in gazophylacium, ut cujusque pietas & facultates tulerint. *Nam qui Evangelio ſervit, etiam de Evangelio vivat: duplici enim honore dignus eſt,* ut ait Apoſtolus.

Num. X.

Formula Conventus RATISBONENSIS 1524. inter *Ferdinandum* & Principes *Catholicos.*

Conventus ille particularis *Ratisbonenſis* per legatum Pontificis Cardinalem *Laurentium* CAMPEGIUM A. 1524. poſt comitia Imperii *Noribengenſia* d. 18. April A. 1524. celebrata, coactus, cum ante omnia ſit notabilis, quod in hoc Opere noſtro §. LI. pag. 117. indicavimus; Cumque brevem equidem ſed accuratam rerum inibi decretarum ſummam nobis retulerit SLEIDANUS Lib. IV. fol. m. 61.ᵇ. et 62.ᵃ. Doctiſſimus autem SCHELHORNIUS, ipſum

 ſum

ſum Conventionis illius, Decretique tum formati exemplar quoddam ea ipſa tempeſtate, jam typis vulgatum ſe poſſidere affirmet, ejusque copiam ſubminiſtraverit Doctiſſ. RAUPACHIO, Auſtriæ Evangelicæ illuſtratæ auctori, ſingulari cum in finem ad eundem data Epiſtola, quæ præmiſſa eſt Tomo I. *Illuſtrata* ſive continuatæ *Auſtriæ Evangelicæ*, tum ipſam hujus Conventionis formulam, inde repetere voluimus, atque hiſce documentis noſtris inſerere; *partim*, quod ea mirum in modum facit ad corroborandam ipſius Sleidani fidem hiſtoricam atque recenſionis exactitudinem, *partim*, quod exinde colligi poteſt ratio perſecutionis, à Ferdinando moderati ceteroquin ingenii Principe, ſed per hoc Edictum & per Langii, Campegii aliorumque Patrum Purpuratorum inſtigationem, in Evangelicos per Auſtriam & reliquas regiones ejus hæreditarias, ſuſcitatæ; *partim* denique quod illud ipſum Edictum, aliis Actis publicis hactenus inſertum non legitur.

Titulus verò ejus ita in impreſſo exemplari legebatur:

Eyn edict ausgangen zu Regenspurg durch die Herrschaft allda verſamlet, im Jar MDXXIIII. des monats (a) Junii:

Wir FERDINANDUS von gotes gnaden, Kayſerlicher Majeſtat imm Römiſchen Reich Stathalter, Prins und Infant in Hyſpania &c. *Mattheus* der heyligen Römi. Kirchen Cardinal, Ertzbiſchoff zu Saltzpurg, *Wilhelm* und *Ludwig* gebruder, Pfaltzgraven bey Rheyn, Hertzog in obern und untern Bayrn, *Bernhart* Biſchoff zu Triendt, *Johanns* Adminiſtrator des Stiffts zu Regenſpurg, Pfaltzgraven bey Rheyn, Hertzog in Bayrn. Und wir der durchleuchtigen Hochgebornen Furſten und herren, *Wigandt* Biſchoff zu Bamberg, Hernn *Jorgen* Biſchoffe zu Speyer, Pfaltzgraven &c. Herren *Wilhelm* Biſchoff zu Straſpurg, Herrn *Criſtoffen* Biſchoff zu Augſpurg, Herren *Hugo* Biſchoff zu Coſtnitz, Herrn *Chriſtoffen* Biſchoff zu Baſel, Herren *Philips* Biſchoff zu Freyſing, Pfaltzgraven, Herren *Ernſt* Adminiſtra-

(a) SLEIDANUS equidem & SECKENDORFIUS die ſexto Julii hoc edictum emanaſſe referunt, quæ levis diſſenſio tolli facilius nequit, quam ſi concipiatur, illud menſe Junio conceptum ſed Julio demum publicatum fuiſſe.

ſtrator, Pfaltzgrave bey Rheyn, Hertzog in obern und nydern Bayrn, und Herren *Sebaſtian*, biſchoff zu Brichſen hierin mit ſonderm gewalt beladen, und deſshalben umb unſer Principaln Ratification verſprochen Räthe, Bekennen öffenlich mit dyſem brieff, unnd thun kundt aller meniglich. Als der Durchleuchtigiſt, Groſsmechtigiſt Furſt und Herr, herr KARL. Rö. Kay. &c. Unſer lieber herr und bruder, Aller gnedigiſter lieber herr und Vetter, auch Aller gnedigiſter herr, auff dem Jungſten gehalten Reychſtag zu Wormbs mit Räthen und des heiligen Rö. Key. Churfurſten, Furſten, unnd Stenden. ' Auff weylandt Bapſt *Leo* des X. voraus gangen Bull, unnd erſuchen wider die verfuriſchen und ketzeriſchen leer, ſo vorlang verſchynen zeyten, von den heyligen vättern und Chriſtlichen Concilien verdampt. Aber newlich zeyt durch *Martinum Luther*, ſeine nachvolger, unnd anderer widerumb aufferweckt, und zu verderbung vil Chriſtglaubiger ſeel ausgebrayt ſein worden. Eyn Edict und Mandat auſsgangen, darauff auch in den gehalten Reichstägen zu Nurmberg des M. D. und XXIII. und ytzt des XXIIII. jars beſchloſſen, und in den ſelben abſchyden begriffen iſt. Daſs den Kay. Edicten obbemelt, ſo vil den Reychs Stenden möglich ſey, gehorſamlich gelebt, und nachkhommen werden ſöllen, welchs Edict wir und unſer principal, nit allayn fur Chriſtlich erkennen, ſonder auch zu abſtellung aller auffrur und poſshaiten, ſo auſs den angerurten verfuriſchen und verdampten leren vervolgen, und täglich zubeſorgen ſein, zumal notturfftig acht. Darumb ſo haben wir auff des hochwirdigiſten herrn *Lorentzen* Copey, der heyligen Römiſchen Kirchen, des Titels Anaſtaſie Cardinal, Bäpſtlicher heiligkait Decan erſuchen, der auch ſein Auctoriteten, willen, und beſtetigung an ſtat der Bäpſtlichen heyligkait hierinn gegeben hat, uns entſchloſſen und vergleycht, daſs wir und unſer Principal obgemelt Kay. Edict zu Wormbs, Auch die abſchid auff beyden Reichſstägen zu Nurmberg deſshalben beſchloſſen und auſsgangen, in unſern und unſerer gnedigen Herren Furſtenthumben, oberkaiten, und gepieten halten volziehen, und wider die verprecher derſelbigen Edict und abſchyd, mit ſtraff handeln unnd furfaren wöllen, in maſſen wie hernach volgt. *Erſtlich*, daſs wir und unſer Principaln Got dem all-

allmechtigen, Got zu lob, und der mutter gottes, und allen lieben heyligen, auch hymmlischem Heer zu eer, Bäpstlicher heyligkayt, und Kaiserlicher May. und dermassen aufsgegangen Edicten Mandaten unnd abschyden zu pillicher gehorsam, darzu unser, und unser principal underthan und verwanten selen hayl zu gut, das heylig Euangelium und ander götlich Schrifft, ***nach gemaynem Christlichem verstandt***, wie das die heyligen lerer, so von der heiligen Kirchen angenommen worden seind, aufslegen, die auch ire leer, mit gutten erbern sytten und wesen, darzu mit irem blutvergiessen bestätt, also annemen und halten, auch kayns wegs leyden noch gestatten wollen, Solch Euangelium zu verhinderung der löblichen Christlichen herkhommen und gepreuchen, guter wort und wercken, und warer Christenlicher bruderlicher lieb zu predigen, noch nye anders verkert sein aufs zulegen Und ob yemand verdampte ketzeryen oder lesterung von Christo unserm seligmacher. seiner hochgelobten mutter der Junckfrawen Marie, und der lieben heiligen. Oder anders, das offenbar ergernufs, under den gemaynen Christglaubigen menschen, oder auffrur geberen mag, predigen, oder sonst ausspraytèn mag, und des durch aygene bekantnufs oder glaubwirdige kuntschafft und erfarung uberwunden und schuldig erfunden wurd, der soll darumb innhalt Kayserlichen Edicts, und nach gestalt seines verschulden verprechen und uberfarns gestrafft werden, und damit das heylig Gotsswort, also nach rechtem wan verstanden und aufslegen, an unfur und ergernufz, sonder mit beschaidenhait gepredigt werd. So wöllen und söllen wir in unserm unnd unserer gnedigen Herren Furstenthumben und Bisthumben, Oberkayten, Landen, und Gebieten, bestellen, dafz keyner in der kirchen züpredigen zügelassen soll werden, er sey dann von seinem geystlichen Ordinarien vor examiniert, und darzü tauglich und gnügsam erkannt, und hab des glaublichen scheyn fürzüpringen. Der gleichen söllen die Prediger, so bifzher gepredikt haben, ob sy tauglich sein, auch examinieret, und kein winckel prediger nit gestatet werden. So hat auch der Bäpstlicher Legat mit Rath züthün und bewilligen unsern und der gesandten, an Stat unserer Principal, zü abstellung der mifzpreüch und auffrichtung erbarn, züchtigen wandels und wesens in der

gaist-

gaiſtlichkait eyn ordnung hie neben fürgenommen und beſchloſſen, die wöllen wir in den Truck pringen, und in unſern, und unſerer gnedigen Herren Fürſtenthumb Stiffien, Archidyaconaten, und Capiteln verkunden laſſen, und darob halten, damit ſolche ordnung alſo gehorſamlich, und zu guttem ebenpildt durch die geyſtlichen und Prieſterſchrafft gelebt, damit die widerwertigen zu gehorſam gepracht, und nach dem gebot geſtrafft werden. Wir und unſere Principal wollen auch in der heyligen Meſſz, und raychung der Sacrament, auch andere Chriſtlich ordnunge und geprauchen, mit faſten, beten, beychten, und opffern nichts verendern laſſen, ſonder es ſoll damit gehalten werden, wie das alles von den heyligen vattern, und voreltern loblich an uns khommen iſt. Darumb ſo wollen wir, und unſere gnedigen Herren auch alle Layſchen perſonen ernſtlich ſtraffen, die zu dem hochwirdigſten Sacrament des altars on vorgeende peycht und Abſolution nach formlder Kirchen zugeen, oder daſſelb Sacrament under baydcn geſtalten, wider ordnung der heyligen Kirchen begeren, oder zunemen ſich underſteen. Dieweyl auch der alt prauch, mit Fleyſcheſſen, und andern tagen, auſz gutten und vernunfftigen Chriſtlichen urſachen, durch die heyligen Vatter, unſer vorfarn, auffgeſezt, unnd nach yedes landts geprauch, biſz an uns loblich herkommen iſt, ſo wollen wir die ergernuſz, ſo auſz ubertrettung der ſelbigen auffsatzung und gepreuch entſteet, in unſern und unſerer gnedigiſten Herren landen und Gepieten nit einfuren laſſen, ſonder die ubertretter ernſtlich darumb ſtraffen. Wir wollen auch die auſzgelauffen Ordens lewt, weybs und mans perſonen, Auch die Prieſter, Dyacones, und Subdyacones, die zu der Ee greiffen, in unſern landen und Gepieten, keyns wegs leiden noch gedulden, ſonder die in unſern oberkeyten und Gepieten darumb notturfftigklich ſtraffen. So wir befinden, daſz biſzher die verdampten und verfuriſchen Ketzeriſchen leren, ſchmach und ſchand ſchrifften, aller mayſten durch die Truckerey auſzgeprayt. Unnd ob der verſehung des Kay. Edicts, nit allenthalben, als doch billich geſchehen ſein ſolt, gehalten iſt worden. So haben wir furgenommen, und wollen, daſz nun furan, in unnſer gnedigen Herren Landen, Gepieten, und Biſthumben, keyn Büchtrucker eynich buch nach gemel zütrucken

underſtee, es ſey dann züuor ſolchs uns, und unſern gnedigen Herren, oder unſern, und jren gnaden darzu verordenten furgetragen, mit vleiſz Examiniert, und im zutrucken zugelaſſen worden. Welcher aber auſſerhalb ſolcher erlaubung zutrucken ſich underſteen wurde, der ſoll darumb nach ungnaden, und nach vermögen des Kay. Edicts geſtrafft werden. Es ſoll auch des Luthers, und ſeiner anhenger, auch ander ketzeriſche, verfureriſche, und verpotne bucher ſchand und ſchmachſchrifften und gemel, in unſern und unſerer Herren Landen, Biſthumben, und Gepieten, durch niemandt verkaufft, verſchenckt, noch in aynich andere weiſe aufzgeprayt werden. Darauff wollen wir unſer vleiſſige auffmercker beſtellen, und gegen den ubertrettern, nach aufzweyſung der geſcriben Recht, und Kay. Edicts, und anderer ſtraff widerfarn laſſen. Wir haben uns auch mit vollem beyſtandt und auctoritet des Bapſtlichen Legaten, obgemelt, veraynt, unnd wollen, daſz alle die jenen, ſo aufz unſerm, und unſerer gnedigſten Herren Landen, und Gepieten geporn ſeind, und yetz zur Wittenberg zu Schül ſteen, innerhalb dreyer Monat nach verkhundung dyſer vergleychung, ſich von dannen oder in ander Univerſiteten, da die Lutheriſchen verdampten und verfuriſchen leren nit gehalten werden, verfugen, und gen Wittenberg widerumb nit khommen ſollen, bey verlierung aller jrer Beneficien, gotſzgaben, und Erbfall, daſz auch keyn Einlender noch Frembder, ſo noch für an zu Wittenberg Studieren, in allen unſern Landen und Gepieten, zu kayner geiſtlichen Gotſzgab, noch Pfründe, weder auff Bäpſtlicher heylıgkait Ordinarien, oder ayniches Patron verſehen zugelaſſen werde, noch davon genieſz haben, ſonder jnen gentzlich verachtlich ſein ſollen. Wir wollen auch den ſelbigen in unſern hohen Schülen zuleſen nit geſtatten.

Damit aber dyſer unnſer Chriſtlichen verſtandt deſter ſtatlicher Exequiert, und volnzogen werden mag, ſo wollen wir etliche Commiſſarien in unſer yedes Lands und Gepieten ſonderlich darzu verordnen, die zuſampt unſern Statthaltern, Regimenten, Hoffräthen, Hauptlewten, Vyzthumben, Vögten, Pflegern, und andern unſern Amptlewten, jr vleiſſig auffmercken, und kundtſchafft haben, und beſtellen, die wiſſentliche widerſprecher zu erkhundigen, und die ſelben, ſy ſein geyſtlichs oder weltlichs verſtands,
uns,

uns oder der gemelten Stathaltern, Räthen und Amptlewten anzuzaygen, die sy auch alsdann vencklich annemen, und wol verwart enthalten sollen, so lang unnd damit wir die selbigen verprecher nach jrem verschulden straffen mogen, dasz wir und unser gnedig Herren auch also thun, und nyemandt darinnen verschonen wollen. Und damit aber dysz unser furnemen und verstandt also gehalten, gehandhabt, und nottuifftigklich vollzogen werd, so haben wir uns fur uns selbs, und von wegen unser Principal, all mit ainander freuntlich vergleicht. Vergleychen uns auch hiemit wissentlich in krafft disz prieffs, dasz wir ob dem vilgemelten Kay. Edict zu Worms, auff den abschyden der Reychsztäg zu Nurmbergk auszgangen, und den obbeschriben artickeln vestiglich halten, und die verprecher ernstlich straffen, und so yemandt umb Lutherische und ketzerische handlung gestrafft, und des Lands verwisen wurde, dem soll nit allayn des Furstenthumbs landt, oder geistliche Ordinari Bisthumb, darinn er straflich gehandelt hatt, sonder unnser allen, und unser yedes Furstenthumbs landt, Provintz, Bisthumb, Oberkayt, und Gepieten verpoten werden. Und die so ausz sorg der straff ausztretten, und fluchtigen fusz setzen, sollen bey unser kaym zu sicherhait auffgenommen, noch enthalten werden, sonder auff des andern zustraffen in straff angenommen werden. Und ob unser aym oder mer von wegen disz unsers Christlichen furnemens ychts widerwertigs, oder aynigs ungehorsams, oder emporung von seinen underthanen zustunde, Alszdann wollen wir an aynander hilflich und rahtlich sein. Doch hierinn auszgeschlossen, alle aynigung, bundtnusz unnd vertrag, so wir mit andern Fürsten, oder yemandts anders haben mochten, getrewlich und ungefard etc.



Num. XI.

Documenta quædam ad primam Reformationem ARGENTINENSEM ſpectantia ex Mſſ. eruta.

ARGENTINENSIS Civitatis Reformationem, nobis, qui Evangelico-Reformatam profitemur Doctrinam, cognitu tantò jucundiorem eſſe novimus, quod ipſi Argentinenſes Reformatores primi, inde ab eo tempore quo triſtiſſimum illud ſacramentarium inter Helvetios & Saxonicos Theologos enatum eſt disſidium, non Saxonicis ſed Helvetiis, *Oecolampadio*, *Zwinglio*, & reliquis, quos tanquam primos Evangelii ad ſe adminiſtros vocabant, fuerunt adſtipulati; *a*) Quod, uti de Wolfg. Fabr. *Capitone*, Martino *Bucero*, Caſp. *Hedione*, Mathia *Zellio*, atque aliis eſt verisſimum, ita nullo hactenus argumento ſolido vel refutatum eſt vel refutari potuit; Tametſi verò hanc nondum agimus cauſam, tamen hæc ipſa obſervatio non parum quoque noſtrorum hominum exacuet ſtudium, hujus ipſius Reformationis Argentinenſis Origines genuinas perveſtigandi: Eas cum paucis verbis indagaverimus *b*) in hoc quoque Opere, §. XXXVII. pag. 54 ſq. §. XLVIII. p. 113. §. LII. p. 118. & §. LV. p. 127. quando de Sacerdotibus Uxoratis, & Epiſcopi Argentinenſis adverſus eos inſtitutis actionibus multifariis agebamus; Tum nunc ſolummodo pauca quædam quæ in ipſis autographis apud nos aſſervantur, documenta hanc cauſam illuſtrantia, atque curioſitatem lectorum excitantia à ſitu liberamus, atque Lectoribus noſtris communicamus: Et quidem

A. WILHELMI Epiſcopi, Citationis Formulam Originariam, qua is *Wolfgangum Sculteti*, Presbyterum, uti appellatur, ſolenniter evocat, non tam ad ejus cauſam, qua is uxorem duxerat, inquirendam, quam potius, ut latam adverſus ipſum ſententiam audiat,

(*a*) SECKENDORF. Hiſt. Luth. L. I. § CLII. n. 1. p. 271. & §. CLXXIII. n. 3. p. 299. conf. quæ §. LXVI. p. 158. à nobis dicta ſunt.
(*b*) Conf. *Introd. in Hiſt. Ref.* §. XLIX. pag. 104. item JO. STURMII Antipappum ſecundum pag. 124. 125.

diat, atque ob omni privilegio clericali exuatur & privetur: In hac citatione illud ante omnia est notabile, quod dicat Episcopus, per „ hoc sacerdotum matrimonium divinam Majestatem & Catholicam „ Religionem offendi, & contra clericalem honestatem agi, sacrorum „ canonum statuta & ordinationes temere violari; „ Sed & illud notatu dignum est, quod id factum dicat „ contra sanctissimorum „ Patrum sanctiones, & Sanctæ sedis jam dudum fulminatas censuras, denique contra Imperatoris ac Romani imperii statuta, „ mandata, & conclusiones „

B. Ejusdem *Responsionem* ad Senatum *Argentinensem*, qui pro Ecclesiasticis uxoratis interpellaverat; qua is insistit Citationi factæ, neque adeo quicquam defert Interpellationi illi, quam fecerat Senatus Argentinensis, quod jam in hoc Opere pag. 114. monuimus.

C. Schedulam quandam *Exhortatoriam* ipsius *Senatus Argentinensis* ad Concionatores Evangelicos datam, ut hi suam doctrinam Verbo divino consonam esse, scripta quadam Apologia declarent, quæ tantò est notabilior, quod in hac schedula non modò ipsorum *Reformatorum Argentinensium* nomina specifice recensentur, sed & brevissime *primaria* indicantur *capita controversiarum*, quin imò etiam, quod ablegantur ad solam *Scripturam sacram*, controversiarum Judicem; secus ac Pontificii volebant Doctores, inter quos admodum impudenter *Thomas Murnarus*, etiam pro concione dixisse fertur: *Dicere vobis aliquid deberem de institutione sacramenti; sed vos creditis Evangelio, ego verò illi non credo, sed solum iis quæ recepit Ecclesia.* vid. SECKEND. L. I. §. 173. p. 301. Ipsos autem Reformatores huic admonitioni morem gessisse patet ex libro quem sub finem A. 1524 publicarunt atque Friderico Palatino dedicarunt, uti §. XLVII. pag. 111. observavimus: Qui vero in hac Schedula appellatur *Zymprien Altbiesser*, is est, Symphorianus Pollio, & qui *Diebelt Schwartz* vocatur, est Theobaldus Niger;

D. Epistolam *Wolfg. Fabr.* CAPITONIS ad *Ambrosium Blaurerum* d. IV. Maji 1524. datam, in qua quæ ab Episcopo & Canonicis ipse cum aliis passus sit, memoratu digna legi possunt: Hanc ex apographo quodam vetusto manu ipsius Sculteti scripto, hic exhibemus, uti quandam ejus partem & quidem primariam, in Annalib. Evangelii renovati adducit SCULTETUS p. 199. sqq.

E. Epiſtolam *Dominici* SLEUPNERI ad Capitonem, quam ex ipſo autographo juxta fidem datam §. LII. p. 118. hic legi volumus. Erat vero *Dominici Sleupneri* apud Noribergenſes in templo Sebaldino Paſtoris ea ætate celebritas magna. vid. SECKEND. L. I. §. CXXXIX. add. I. p. 241. & §. CLXXIII. add. I. p. 300.

A.

Formula Evocationis ab Epiſcopo Argentinenſi miſſa ad omnes Epiſcopatus ejus Eccleſiaſticos. 1524.

WILHELMUS Dei Gratia Epiſcopus *Argentinenſis*, *Alſatiæque* Landgravius, Univerſis & ſingulis divinorum ſeu eccleſiarum parochialium rectoribus aut locatenentibus eorundem plebanis, viceplebanis, ceterisque presbyteris, curatis & non curatis, notariis quoque & tabellionibus publicis quibuscunque per civitatem & diœceſin noſtras Argentinenſes ubilibet conſtitutis ſalutem in Domino, & præſentibus noſtris ordinariis firmiter obedire mandatis; Auribus noſtris quod dolenter referimus jamdudum allatum eſt, qualiter quidam *Wolffgangus Sculteti* presbyter noſtre diœceſeos, qua temeritate ac erroris ſpiritu ductus neſcitur, ſeſe contra ſancte matris eccleſie precepta ac in ejusdem & totius ſtatus clericalis contemptum & honeſtatem, contraque ſanctisſimorum patrum ſanctiones, & ſancte ſedis jam dudum fulminatas cenſuras, tum denique, contra glorioſisſimi invictisſimique principis & domini noſtri domini Caroli Romanorum imperatoris ac totius Romani imperii ſtatuta, mandata & concluſiones matrimonium cum quadam u. taliter qualiter contraxerit illudque in facie eccleſie publice (ut inter laicos fieri conſuetum eſt) ſolennizaverit, per hoc Divinam Majeſtatem atque Catholicam religionem offendendo & contra clericalem honeſtatem publice agendo, ſacrorumque canonum ſtatuta & ordinationes temere violando, cui vehementi morbo & malo exemplo ut ex injuncti paſtoralis officii noſtri debito tenemur obviando, vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſancte obedientie & ſub ſuſpenſionis ab officiis veſtris divinis, diſtincte precipiendo mandamus, quatenus mox viſis & receptis preſentibus acce-

accedentes quo & ubi propterea fuerit accedendum & auctoritate nostra ordinaria publice, diligenter & peremptorie citetis & citare curetis supra dictum Wolffgangum Schulteti, quem nos auctoritate nostra ordinaria tenore presentium sic citamus, sic vocamus, quatenus decima quinta die post presentium presentationem sibi factam si dies Juridica fuerit, alioquin, proxima die sequente, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo & reliquos quinque dies eidem pro tertio ac peremptorio termino ac monitione canonica præfigimus & assignamus, coram nobis in oppido nostro *Zabern* in aula nostra personaliter & in propria personata compareat visurus & auditurus, ipsum propter pretactum, pretensum & de facto contractum matrimonium, quod quidem ita publicum est, ut ob sui notorietatem nulla tergiversatione celari possit, per nostram sententiam & juris declarationem omni privilegio clericali exuendum & privandum esse, exuique & privari atque de facto exutum & privatum esse decerni & declarari dicti citati absentia sine contumacia in aliquo non obstante. Datum in oppido nostro *Zabern* sub secreto nostro presentibus appenso, die septima mensis Januarii anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

B.

Ejusdem Episcopi Argentinensis Epistola ad *Senatum Argentinensem* data contra Ecclesiasticos Uxoratos.

WILHELM Bisschoff zu *Strasburg*
von Gottes genaden
und *Lantgraff in Elsas.*

Unseren, frintlichen Grusſ zuvor ersame wisen, lieben getruwen, und besunderen, gut frind, uwer schriben, unsers abwesens, von zaberen, geantwort, die Priester, so sich vermeinlich echicht verhiratet belangen, haben wir unserer ankunfft, alles inhaltz verstanden, und als ir anfangs, begerent in furgenommen terminen, nit zu procedieren, besunder, dieselben biss usgang jetzigs Richstags zu erstrecken, und zu prorogieren, konnen wir es erfarhen so von uwen

uwen gesanten, die in disser sachen halb, bie uns gehoipt anzeigen lossen, mit nichten thun. So wissen wir auch khein fryheit oder vertreg, die sollichem unserem angefengten rechlichen furnemen gegen gedachten Priesteren zuwider oder entgegen syen. Darumb wir gegen inen wie sich gebiert im rechten fürzuschryten gedenken, haben wir auch uff uwer schriben genediger meinung, nit wollen verhalten, und uch sunst genedigen frintlichen willen, zu bewizen sint wir gezeigt.

Datum Zabern an Sontag Judica anno 1524.

Inscriptio est:

Den Ersamen, Wisen, unseren lieben getruwen und besunderen guten frinden Meister und Rhat der Stat Strassburg.

C.

Senatus *Argentinensis*
Exhortatio ad Ecclesiastas Evangelicos directa ut suæ doctrinæ Apologiam conscribant.

Das man Doctor Wolffgangk *Capito*, Doctor Caspar *Hedio*, Her Martin *Butzer*, Meister Mathies *Zell*, Meister Antheng *Fyrn*, Her Zymprien *altbiesser*, und Meister Diebolt *Schwartz* beschicken und inen sagen sol, das sie der spennigen puncten, als, die empfahung der Sacrament under beyder gestalt, Item, die vererung und anruffung unser Frauwen und der heyligen, Item, die pfaffen Ee Item, das fleisch essen uff gebannen tag, Item sunst den Bann, Bychten, vasten und ander mer puncten belangen, wie sie dan solche gepredigt, und zu vil malen sich erbotten uss der heyligen geschryfft zu bewisen, und solch jr meynung und Ratslag wie die uss der Gottlichen Apostolischen und Bybelschen geschryfft approbiret und gehandthabt werden mögen, Im tütsch und latin schryfftlichen mit allegierung der selbigen geschryfft vergryffen, und innerthalb fünff wüchen einen Ersamen Rat zustellen sollen.

Huic

Huic schedulæ exhortatoriæ Capito sua manu subscripsit:
Perlata d. 1. Octobris.

D.
Wolfg. Fab. CAPITONIS
Epistola ad Amb. *Blaurerum*
ex MSS. edita.

Gratia & Pax Christi. Dum inter nos hodie apud Math. *Zellium* convenissemus, commodum egresso Hedione, meque jam egressuro, tuæ cum aliis amicorum literis redduntur, quas coram resigno, aperio, lego, & pleraque palam, nimirum quod omnium ut scirent, interesse putarem. Tuas autem, mi Blaurere, vix dicere queo, quanta omnes exceperint adlubescentia, non tam quod elegantes erant, qui elegantiæ sermonis paulo negligentiores sumus, quam quod singularem speciem pietatis præberent, profitentem nimirum pure & simpliciter, atque argutè nos cohortantis ad diligentiam aliquanto acriorem, quam certè exacuis obliquo isto ductu facillimæ dictionis. Nam quid aliud quam cohortatio est, quod ais, vos Deo agere gratias propterea, quod nos in communionem Evangelii vobiscum venerimus adeoque quod jam simus liberis civitatibus. Talibus Elogiis nostram incitas tarditatem, visque persuadere ut bonum præbeamus odorem iis qui foris sunt: Nostrum itaque erit, precari Christum, ut efficiat in nobis ne frustra videaris cohortatus. Verum quid in nos machinetur inimicus, quanta Deus nos clementia prosequatur, & quæ nostra sit imbecillitas, non verebimur paucis indicare, quæ omnia clarè perspicies, postquam quæ acciderint percipies à discessu *Zwiccii*, præsertim insigniora, nam singula persequi foret nimis prolixum, cum raro dies sine novis insidiis prætereat.

Episcopus Argentinensis supremæ autoritatis est, quam tuetur dexteritate quâdam in rebus agendis, ut in Ecclesiastico rarâ & singulari. Adhæc sibi aliquis esse videtur, & nihil iniquius fert, quam se negligi. Jam vero crescente Christo suæ putat æstimationi fieri detrimentum, quod hinc cadit inanis formido de Episcopali stomacho, terribili quodammodo, dum stultitia & error vulgum possideret.

Is negotium fecit maritis Sacerdotibus, quos pro templis palam devovit diris, idque tum, cum omnia tuta speraſſemus. De induſtria enim quiddam placiditatis præ ſe tulerat, ut ſic incautos, & quod ajunt, in utramque aurem dormientes opprimeret. Summa conſilii fuit, inter ſe cives committere, dum pars fulmen iſtud Epiſcopale horrerent, pars magnifice contemnerent. Sub idem tempus à Senatu per dolos Canonici ad D. Petrum impetrarunt, ut a Parochia illorum providenda me abſtinere juberent. Præterea via inſtituta fuit, qua maritos fratres ex urbe deturbandos omnes putaſſent, inprimis autem *Bucerum*. Subornatus eſt Comes de Lynigen ſenior, qui mihi præſenti toties manus inferre tentaret, dictis prius in os multis contumeliis atrociſſimis, idque intra urbem, intra ædes Papiſtici Prælati. At nos omnibus ex his periculis Chriſtus eripuit, Nam ubi Epiſcopus excommunicationem publicaſſet, nos intra eandem noctem Appellationem fratrum nomine effinximus. Poſtridie appellatum eſt præſente Notario, mox excuſa omnia prodierunt. Quo remedio, populus ne quid ſuper excommunicatione diſceptaret, cavimus: expectarat enim noſtram in ſe viciſſim ſententiam Epiſcopus, qua ſe cum complicibus damnaremus, quæ res ad manifeſtam deſiiſſet ſeditionem. Talia ſunt ingenia, hæ artes Epiſcoporum, tranquillos inter ſe committere. Quarta die ejus hebdomadæ mihi per Senatum Parochia renunciatur, qui mihi videbar Senatus autoritate pridem ingreſſus. Statim fit rumor, ejiciendos verbi præcones, concurritur, quiritatur, incuſantur vulgo ſacerdotes, jaciuntur convitia etiam in Senatum, ſed ab extrema tantum plebe. Proceres aliqui à minis ægre temperabant, quin ſacerdotibus peſſima quæque, ſi nos excludi contingeret, denunciarent. Tot rebus ſimul concluſis tamen adnitor omnia expedire; do negotium, iis quos gratos populo noram, verbis tranquillis plebem ab inquietudine contineant, me eſſe curaturum apud Senatum, ne quid Evangelio decedat, nec rem tam eſſe deploratam, ut imperitis videri poſſit: reſcindi ſæpius levi momento ſententias æquiores, & perſpicuum ſatis, Curtiſanos tanti non haberi, ut in illorum gratiam Senatores velint poſthabere ſuos cives in cauſa tam pia, atque alia id genus. Quibus peractis ſtudia

pau-

paulisper continuimus, quoad super certioribus consiliis dispiceremus. A Consilio igitur agendi apud Senatum facultatem imperro. Statuitur dies sabbathi. Interea ecce nova tragœdia. Capitulo meo S. Thomæ datur spes, ut ferebatur, à Senatu, Bucerum non fore tutum apud templum Aureliæ, quod maritus. Ibi cura nostri opus fuit, ne quid hinc incommodi. Porro Comes de Lynigen crudelia magis commovit, sed aliunde, ut videtur, incitatus. Nam ut eram causa conficiendæ componendæque litis ad illum admandatus, die Jovis ejus septimanæ], placide satis respondit, & rem perduxit in diem posterum. Iterum me sisto intra curiam Domini ab Henneberg. Tum ille mox iracundè multa, Domino ædium cum nepote & tota familia inspectante, infandis contumeliis petitum & clamoribus furiosis audiendo defatigatum interficere admolitus est, nemine omnium prohibente, quoad me Deus tandem eriperet. Periculum, mihi crede fuit anceps. Sed præter animi formidinem vultum non mutavi, iisdem fortiter vestigiis inhæsi, recordatus in eodem articulo, omnes capitis mei capillos numeratos, casurum aut evasurum, ut patri visum esset: qui filio nihil incommodi velit, neque quam velit, illi posse quicquam incommodius accidere. Appetebat Sabbatum, magna libertate ago cum Senatu, rejectis adversariorum argumentis, quæ conjicere oportuit. Magnum erat omnium silentium, ut fit, dum quisque sibi deplorata causa cavet. Deliberarunt itaque in horam prope quintam, neque sine Deo deliberarunt. Nam qui nudius quartus Parochia me abdicarant, illi iidem iterum addicunt, ad natalem usque Johannis Baptistæ: nam aliter mihi addicta non erat. Præterea convenerat cum Parochiis omnibus Christianè providendis. Nec tamen interim, dum parochiis potiti sumus, eluctati sumus, ut libere ab adversariis Christum liceat asserere. Mira mutatio: Curtisanis, qui missis undique literis nos pridie expulsos gloriati sunt, vultus mœrore concidit. Piis ex dispensatione mens erecta. Civium & Senatus concordia facta, quæ tamen revera nec dum diffuta fuerat. Propter excommunicationem Episcopi nemo sacrificulus, nulla mulier commota est: tam commode cecidit appellatio. Senatus agit causa mei cum Comite, neque aliud captamus, quam utcunque diluerem objecta crimina: omnia mihi salva, sed inquieta satis, etiam post fata-
 lem

lem illam ſeptimanam, in quam tanta negotia ſimul inciderunt. Jam expectamus interdictum novum Imperii, vaticinium Cæſareum, vim Cacodæmonis univerſam, quæ ſpero inania concident, & in nervum erumpent. Nam propius, ſi perget, cum Epiſcopo agemus, ſiquidem ultima experturus videtur, & nos ceu cum devoto hoſte decernemus.

Hæc ſatis prolixè. Cuperem tamen coram prolixius omnia. Verum me hic remoratur expectatio technarum Epiſcopalium et Parochiarum incertitudo, quibus intra Natalem Baptiſtæ providebitur. Ad Epiſtolam tuam propius. *Zwiccius* te prædicavit beniguiſſimè; ſed es major ex tua epiſtola, quam illius prædicatione, tam elegans, tam pura tam pia eſt, quam facilè, ſi non ſuperat certè æquat *Paraneſis Germanica ad Senatum Conſtantienſem*, quam poſt literas, mirabundus legi. Quod ſi ad verbum docendum te dimitteres, quid præſtares obſecro? Neque eſt quod jures, ſeu parum ſuffecturus cauſeris. Sub tali provincia nemo vocatus deficiet, cum divinitus adjuvetur. Gaudeo denique auſuros vos innovare foris, quæ verbo in cordibus piorum inſtaurata noſtis. Nam evaneſcit Spiritus, ſi quæ aſſeverat, ceſſas re præſtare, etiam cunctatione tua magnum argumentum præbes incomparabilis tuæ prudentiæ. Nobis tamen hic multa præter conſilia acciderunt: profuit inquam à *Mathia Zellio* præſertim totam ſentinam abominationis Pontificiæ motam, me inſcio. Nam poſteaquam reîcirem, exploratis auditorum animis, facilè animadverti, eo loci nos redactos, ut neceſſe eſſet, aut progredi fortiter, quamvis exitum prævidere non potuimus, aut referre gradum non ſine dejectione piorum, qui frigent, qui enecantur, ubi nos duces languere ſenſerint. Perge igitur bonis avibus et auſpice Chriſto. Sine Deo enim præſente nihil moliri continget. Vide heri fratris tui *Thomæ* epiſtolam, ut auguror ſubſcripta eſt adoleſcentis Conſtantienſis, ad conſobrinum ſuum: cujus guſtus *Blaurerianam* eloquentiam h. e. facilem et ſubtilem arguebat. Eum jubeas oro verbis meis cum dilectiſſ. ſorore ſalvere plurimum, cujus nomen hic perinſigne eſt. Egregia ſanè domus, quæ tantis dotibus abundat. Amicos omnes ſalutabo, horum nomine, ego, qui ſciam quam te obſervent, reſaluto te plurimum: ſed et commyſtas verbi tuos, noſtro omnium

no-

nomine jubeas ſalvere et feliciter pergere in Chriſti negotio. Et nobis de rebus veſtris participes. *Hedioni* tuas nondum legi, qui in apparandis nuptiis occupatur, ſed ante noctem curabo ut legat. Argent. 4 Maji Anno Domini 1524.

Capitò tuus
ex animo.

E.

Dominici SLEUPNERI
Concionatoris Noribergenſis
Epiſtola ad W. F. *Capitonem*
ex autographo. 1524.

Poſt meum è Sileſia reditum accepi tuas literas, optime patrone, mihi ſemper gratiſſimas: In hoc autem quod meum ſilentium accuſas, culpam deprecor, quamvis poſſem excuſare, vix enim credis, quot nos indies actiones agunt, de quibus ut tibi ſcribam non arbitror neceſſarium fore, qui tibi eas notiſſimas eſſe cenſeam.

Quo verò in ſtatu ſitis & an Evangelium adhuc currat apud vos, prorſus ignoramus, præter id ſolum; quod vobis miniſtris *datum ſit, non ſolum ut in Chriſtum credatis ſed etiam pro ipſo patiamini.* Cupimus autem ex veſtris perſequutionibus conſolari noſtram fraternitatem, atque eo animo te oro, fac me de ſingulis, quæ ad rem ſpectant certiorem.

Nos novam peſtem olfacimus, quam (ut vocant) prophetæ ſubintroducunt, qui ſcripturæ prætextu Scripturam oppugnant, ac miſeram plebeculam miſerè dilaniant, legem rurſus & liberum arbitrium inferentes; ſcriberem pluribus, niſi fama eſſet, aliquos illorum ad vos conceſſiſſe, atque illius factionis principem *Storch* iſtic eſſe, unde fortasſis quid prætendant, ſatis intellexiſti; De quo & quid vos in hac re facitis, an diſſimulatis, aut ille taceat, etiam ſcribito.

Johannem meum, fidelem et diligentem eſſe gaudeo, adeoque magis quod à te tale meritus eſt teſtimonium.

Herniosum juvenem Sileſitam, quem mihi commendaſti, amanter ſuſcepi ac meo patrocinio, imò miniſterio, ejusmodi curam obtinuit, qualem milleſimus quisque nunquam audivit nedum conſequitur, ut ſine ferro, & ſine dolore gratuletur gaudeatque ſe ſanatum. Ipſe rem

 ape-

aperiet, quo suam gratitudinem erga te intelligas. *Osiandrum* item non possum non excusare si nihil scribat ad vos, qui ne dormire quidem certè potest, præ negotiis. Vale in Christo, et me ne desinas amare. Nurbergæ d. 2. Decembris 1524.

Dominicus Sleupner.

Num. XII.

GEORGII Brandenburgici dicti PII ad Fratrem *Casimirum* Epistola 1526. Pro Reformatione Franconica.

QUanta fuerint GEORGII Marchionis Brandenburgici, qui Juvenis admodum Ludovici Hungariae Aulae Regiae Magister fuerat, atque deinceps sibi Ducatum Jagerndoffensem in Silesia acquisiverat, Bayreuthensem verò atque Onolsbacensem Principatum, dum Frater natu major Casimirus in vivis erat, communi cum fratre jure administrabat, in Doctrinam Evangelicam merita, jam in ipso Opere à nobis est explicatum; Quippe cujus opera & *Jagerndorfensis* & *Vratislaviensis* Reformatio promota fuit & *Franconica* cumprimis Regiones ad Evangelii puritatem sunt traductae; Ne varia alia, de singulari ejus in Reformatam doctrinam studio atque pietate referuntur, commemoremus, inter quæ & illud, quod is pro symbolo fuerit usus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* itemque: *Gottes wort wär nicht schwer, wenn nur der Eigennutz nicht wär:* Prouti memorabilis plane, vereque Regia ejus in Comitiis Augustanis A. 1530. celebratis Vox fuit, qua post replicam Ferdinandi Regis paulo severiorem, is concitatior factus, manum collo admovendo, dixit. *Malle se flexis coram Cæsare genibus, carnifici cervicem feriendam statim prabere, quam Deum & sacrosanctum ejus Evangelium abnegare, falsamque & erroneam doctrinam recipere & approbare:* Cui tamen è vestigio Cæsar regessit: *Lowe Furst, nit kop ab, nit kop ab*, quasi diceret, non de cervice cujusquam ferienda jam agi.

Hu-

Hujus itaque piissimi Principis ad Fratrem Casimirum A. 1526. datam Epistolam cum SCULTETUS Annalibus suis decad. II. p. 63-67. inseruerit, eandem exinde depromere visum fuit, quod ex ea omnium optime cognoscere nobis licet, initia repurgatæ Ecclesiæ in ditionibus *Franconicis*, quæ & qualia fuerint, & quod eæ singularem nobis GEORGII piissimi Principis in promovendo Evangelio zelum, ad seram usque posteritatem commemorandum, delineant:

Ne qua autem emphasis ipsius Principis verbis dematur, eandem hic, ea qua scripta est lingua, scilicet Germanica, apponimus.



GEORG. Marggraff, in der Schlesien Hertzog, etc.

Unsern gunstlichen grusz zuvor, Edle und liebe getrewe, Wir schreiben hieneben unsern lieben brudern Marggraff Casimirn etc. Aus rechter bruderlicher und Christlicher lieb, aus mercklichen und beweglichen ursachen, wie jhr aus inligender abschrifft vernemen werdet, Und dieweil dann unser entlich gemuth und meinung ist, dasz solchem unserm zimlichen, Christlichem gesinnen volg geschehe, So befehlen wir euch ernstlichen und bey den pflichten, damit jhr uns verwandt seydt: Ob jemand were, der gnanten unsern bruder zu ychtig anders bewegen, dasz jhr getrewlich darvor seyn, und gemelten unsern lieben bruder dahin weisen wolt, sich angezeigter unsern Christlicher weisz und ausschreiben gemesz zu halten, Daran thut jhr uns gut gefallen, als wir uns auch gantzlich zu euch verlassen wollen, wiederumb zur billigkeit genediglich zu erkennen. Datum Jegernszdorff. Sambstag nach Bonifacii, Anno Domini etc. XXVI.

An HErrn Hansen von Schwartzenburg, und andere Marggräfl. Casim. zu Brandeb. Rähte zu Onoltzbach samptlichen und sunderlichen.

Freund-

* * *
* *
*

Freundlicher lieber bruder, wiewol ewr liebe, unnd wir, als die mit einander regierenden Fürsten, Dieweil wir kein gewalt und nichts anders haben, dann allein aus Gottlicher verleihung, vergangener zeit, als wir draussen bey E. L. in unser beder Fürstenthumb und landen gewest seyn, gansz Christlicher und billicher weisz befohlen haben, „ dasz allenthalben in unser beder land das hey„ lig Evangelion und wort Gottes lauter und rein gepredigt werden „ soll, und nichts das dawider ist, damit alle menschliche satzung, „ die seel und gewissen belangendt, ausz geschlossen seyndt, „ Mit dem weittern Christlichen und auch billichem erbitten, dasz wir bede miteinander regierende Fürsten, ob den reinen predigern des Gottlichen Worts getrewlich handhaben, und wieder nichts seyn noch thun wollen, das das heilig Evangelion und wort Gottes nach rechtem verstand mit sich bringe oder zulest, das ist, um die gotlosen miszbrauch in der kirchen ab zustellen, recht besserlich Gottesdienst auffzurichten, fur der Priester bubisch leben, wo sie sich nit enthalten konnen, nach der lehr des heiligen Apostels den Ehelichen standt anzunehmen, und dergleich mehr zu thun, das das heilig Evangelion und wort Gottes mit sich bringt und zulest etc.

So werden wir doch auff unser fleissig nachfrag unnd erkundigung lautter bericht, dasz nicht allein das wort Gottes in unserm Fürstenthumb an allen orten, sonder auch zu Onoltzbach in der stadt nit lautter gepredigt, unnd dem prediger im Stifft seines ergerlichen, gottlosen predigens menschen tandt und fabeln gestadt, sonder dasz auch Herren Hansen Ruerer Pfarrer in der stadt, und ander recht Christlich und Evangelisch prediger verhast und verfolgt, dasz auch unterstanden wird E. L. zu bereden, dasz die obgemelt unser Christlich und an jhm selbst zimlich erbieten, widersprechen, unnd anders teutschen sollen, dann wie der buchstab klerlich anzeigt, Gleich als hetten wir die wort, *dasz wir bede wider nichts seyn noch thun wollen, was das heilig Evangelion mit sich brecht oder zulest*, allein auffs predigen gemeint, uber und wider das wir doch

selbst

selbst offentlich ausschreiben mit stattlichen räthen beschlossen, auch erstlich unser beder underthanen in den städten, auff dem gepirg, auch folgend gemeiner Ritterschafft zu Onoltzbach mehr denn einmal, in unser beder gegenwertigkeit gelesen, abgeschrifft davon geben, und am letzten offentlich in druck auszgehen lassen, das wir dann nit allein in unsern, sonder auch in andern landen bey allen Christlichen hertzen ehr ruhm und lob haben.

Darumb und dieweil solch unser offentlich ausschreiben an jhm selbst Christlich und billich ist, auch fern von uns und allen Christen seyn soll, zu befehlen das Wort Gottes allein in einem schein lautter und rein zu predigen, und doch zu verhindern demselben mit der that zu folgen, Dann nit die, so Gottes wort hören, sondern dasselbig thun, werden seelig, Also, dasz die seeligkeit in der that oder vollziehung des Gottlichen worts, und nit allein in worten stehet. So ersuchen wir demnach. E. L. bruderlich bittend, und durch Christum unsern Herrn vermahnend, E. L. wolle all gottlose Prediger in unser Stadt zu Onoltzbach abstellen, Herren Hansen Ruerer, und ander Christlich prediger von unser beder wegen handhaben, und in gnedigen befelch halten. Auch darob seyn, das sie ihr ehrlich competentz haben, und nit allein nicht verhindern, sonder auch darob seyn, und mit fleis darzu helfen, das alle gottlose missbreuch abgestellt, und meniglich zugelassen werde, sich dem Göttlichen wort gemes zu halten, unangesehen einiger menschlicher forcht, ungunst, oder ichts anders, damit wir als recht gottfurchtige fursten erfunden werden, und uns nit auffgelegt werden möge das wir unser öffentlich ausschreiben und erbieten unchristlicher weiss handeln, oder dasselbig allein zu einem schein, und nit aus rechtem Christlichen gemüth und glauben gethan haben, dann dabey gedencken wir mit der hülff, gnad und sterck des allmächtigen Gottes zu bleiben, auch unser underthanen mit der hülff Gottes zu behalten, und also Gott in allweg mehr denn allen creaturen gehorsam zu seyn. Des versehens, E. L. sollen sich auch zu keinem andern bewegen lassen, das wollen wir wiederumb in brüderlicher lieb und trewe verdienen. Datum &c. *ut suprà*. *Georg*, &c.

An meinen gnedigen Herrn Margraff Casimir.

Num. XIII.

HULDRICI ZWINGLII,
ad Berchtoldum Hallerum Epiſtola A. 1522 data unà cum ipſius Bercht. Halleri Reſponſo.

Ex mutuo hoc quod inter Reformatores florebat commercio literario, partim ſumma Virorum quorum in Reformationis negotio Deus opera eſt uſus, pietas, atque ab omni fuco remota virtus & conſtantia conſpicitur, partim verò etiam ipſius Operis quod agebant illibata ſinceritas exinde colligi poteſt, quippe à quo omnis aberat fraudis dolique mali ſuſpicio, cum unice eſſent intenti propagandæ Veritati Evangelicæ, quam per ſordes Pontificiorum vehementer, obtenebratam eſſe perſpiciebant atque penitus conſpurcatam: Cæterum ex hac memorabili ipſius ZWINGLII ad *B. Hallerum* Epiſtola, iterum poteſt, ut id in transcurſu moneamus, colligi tempus illud genuinum Reformationis à Zwinglio coeptæ; Cum enim hæ literæ ſint ſcriptæ d. IV. Kalendar. Januar. A. 1522. atque in iis profiteatur Zwinglius, quod Evangelici muneris opus *annis abhinc quinque* exorſus ſit, jam per ſe recurſus ille ad Ann. 1516. comprobatur, qui demum verus ille eſt atque genuinus Zwinglianæ Reformationis annus;



HULDRICUS ZWINGLIUS DOCTISSIMO VIRO
Berchtoldo Hallerio Bernenſium Euangeliſtæ vigilantiſſimo, Amico ſub ſuo chariſſimo S.

SATIS ſuperque fuerat nobis honoris impenſum, Bertholde charisſime, tua iſtac brevi, ſed abſoluta epiſtola: ut ſupervacaneum fuerit argentum addere, quaſi mundum ſincerumque eloquium,

cu-

cujus argentum ſymbolum in ſacris literis habetur, iſthoc argento, quo invicem venundamus, non gratius fulſerit. Adeo viſus ſum mihi animi tui candorem ſimplicem, & ſimplicitatem candidiſſimam, hac tua puſilla quidem, ſed docta perſpexiſſe epiſtola. Verum gratiæ habebuntur tuæ humanitati: & ſi non alia re, tamen animo, ad quævis tuo nomine obeunda propenſo. Hoc enim pacto ſatisfacere Apoſtolico præcepto poterimus, dum alter alterius onera portaverimus, quanquam haud ſciam (ut Soſiæ Terentiani verbo abutar) quid nam mea ars tibi efficere poſſit: niſi quod ſcio contentum eſſe candorem tuum, ſi mihi perpetuo conſtitero, ac Euangelici muneris opus, quod, *annis abhinc quinque* ſumus orſi, Deo auſpice, perſequamur, donec ille nos rude donaverit. facturus ſum autem id lubens ac volens: modo ille dederit & velle & perficere.

Nam ut non inficior ex infirmitate nobis nonnunquam tædium obrepere, dum immeriti proſcindimur, imo ut nobis videmur optime meriti de omnibus. ita negare non poſſum, tædio pœnitudinem ſuccedere, quum calcaribus Chriſti conſcientia noſtra exagitatur: quibus ille torpentem, ac domi ſuæ deſidentem animam expergefacit, interim terrendo, interim autem pollicendo. ut cum dicit: *Quem meipuduerit coram hominibus, pudebit & me illius coram patre meo: & qui me negaverit, negabo & ego, &c. &:* Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet illam. &, Ex ore tuo te judico ſerve nequam, &c. quod non fœnus feciſſet mina ſua. &: quod ſal, quod vim ſuam amiſerit, ad nihil poſtea valeat, quam quod in publicum iter abjiciatur, & conculcetur ab hominibus. &, quod Dominus veniens, inertem ſervum ſecabit, ac ſortem dabit cum Phariſæis. Atque hæc loca de terrendo adduximus: alia quoque adducturi, ſi quæ ſunt, niſi epiſtolæ modus vetaret. Nunc proximum eſt ut adducamus ea, quibus non eximia modo, ſed æterna pollicetur merces: *ut cum dicit, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo. &, Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Et necubi ceſſaremus, quod nomen noſtrum male audiret, metueremusque perpetuo fore obprobrio, dixit: *Beati eritis, cum vobis maledixerint omnes homines* Idem tractat Matth. 5. ut ſi nomen noſtrum penitus conculcetur ab hominibus, & ejiciatur, gaudendum tamen docet, quod memoria nominis noſtri apud illos abolita,

 qui

qui nobiscum sunt mortales, scripta tamen habeatur in fastis supernorum civium. Et ne timidulos redderet Ἀπολογίας egestas, ac desperatio, quod omnium essent inexperti: securos reddidit, spiritum suum adfore contestans, quum jam apud Præsides prooemium ordiri meditaremur: & salvos dixit futuros, qui usque in finem durarent: nec vereri debere eos qui corpus trucidare possint, cum animam ne lædere quidem queant.

Hæc inquam, aliaque in consimilem usum vel dicta, vel facta mecum reputans, huc aliquando venio, ut mori pro Christo non usque adeo detrectem apud me. aliquando vero nostra hæc infelicia tempora intuens, quibus temeritas et ingratitudo, ne dicam injusticia, omnia tenent, omnia pervadunt, omnia vastant: in tam diversam trahor sententiam, ut ne mihi quidem plane constem quid sentiam: nisi quod, dum ad me redeo, divino nutu omnia hæc fieri cognosco, ut hoc pacto qui ad Deum accedere fide nolebant, deploratis rebus omnibus, ad hunc unum confugere cogantur: dum scilicet omni humana ope fuerimus destituti, huc tanquam ad Iovis κρησφύγετον concurramus.

Fusius tecum egimus, quam tempusculum illud pateretur: ut æstus tibi nostros dum ore non possumus, calamo exponeremus: & si qua parte essent usui tibi futura, non deessemus. Quanquam haud ignoro te plurimum posse, non modo teipsum consolando, sed etiam alios adhortando: ansam tamen præbui abundantiora parturiendi, & vicissim nobis communicandi: ut dum indigne audis apud tuos discipulum nostrum esse factum, omnibus non discipulum nostrum, sed præceptorem esse probes.


Petivisti jam aliquoties de fide, & de cultu sanctorum sermones ad te transmitti. quod ideo non præstamus, quia calamo nunquam excepimus: quod fortasse negociorum nostrorum rudis aliquis detestetur, tu vero, qui ea & vidisti, & audisti, boni consulturus es: quamprimum enim tantum ocii nactus ero, votis tuis etsi non satis, aliquid tamen facere studebo.

Tu interea quod à me requiris, ipse strenue exequere: ut *ursi tui ferociusculi*, audita Christi doctrina, mansuescere incipiant. quod negocium summa lenitate adgrediendum puto. Nec enim apud tuos sic agere convenit, ut apud nostros: tuorum enim aures etiamnum teneriores cum sint, non sunt protinus tam mordaci vero radendæ. quod & Christum

stum sensisse puto, quum vetuit margaritas ante porcos dissipari: qui fortasse in te conversi magna te sævitia discerperent, ac in perpetuum Euangelium Christi horrerent. Palpandæ igitur sunt *hæ feræ* lenius: & ad rarum insultum paulisper cedendum, donec patientia nostra intrepidaque pectoris constantia superatæ, *cicures* reddantur. Dedit & Petrus aliquid, quum dixit: Sed nunc scio fratres, quia ignorantes fecistis; dedit Paulus, dum Galatas lacte, non solido cibo aluit. Cesserunt omnes Apostoli sævitiæ, dum non pervicaciter Senatui obstrepuerunt, vibicibus etiam lividi: sed à prædicatione non cessarunt. sic rogo fias omnia omnibus, ne tecum Christus explodatur. serva nobis Christum apud tuos, & te nobis Christoque. Et dum nomen nostrum male audit apud tuos, patienter audi, ne mecum male audias.

Quanquam quod illi impudentius in me jactant, impudentissime confictum est: neque enim cum Franco, neque cum Cæsare quicquam commune habemus præter cæteros mortales, nisi unicum Christum: qui nescio quam sit illis cordi, dum cœlum terræ miscent, et omnia tumultibus & cædibus implent.

Salvere jube nostro nomine amicum nostrum Trempum, Sebastianum, Valerium: medicos, hunc corporum, illum animorum: Thomam Vitembachium, charissimum præceptorem nostrum, si quando ad vos concesserit, et omnia boni consule. Opto te frater in Christo valere. Ex Tig. 4, Cal. Jan. 1522.



BERCHTOLDUS HALLERUS, HULDRICO ZWINGLIO. S.

Epistolam Tuam literatissimam, integerrime Præcepter, cum obviis, ut ajunt, manibus, accepissem, non sine fænore magno legi, relegique. Admodum ea delectatus, ex ea Christianismo imbutus, ut nihil supra.

Animus enim meus nonnihil hac rerum & hominum varietate dejectus, & ad sufferendas injurias impatiens, hac Tua Epistola sic obduruit ad omnia ærumnarum genera, ut æquiorem jam illis me præbeam, qui nulla penitus injuria lacessiti (nisi Verbum Domini, ut solent, injuriam interpretentur) se mihi infestissimos præstiterunt. Nisi enim me tuis excitasses calcaribus,

torpentemque expergefeciffes hunc Spiritum meum, profecto mox officio concionandi ceffiffem, (non credis, quas bullas Magnatum quidam eructaverint) meque una cum *D. Thoma Wyttenbachio* Bafileam, literis illic politioribus, & Græcis & Hebræis invigilatum, contuliffem.

At Epiftola tua fuavi erectus, vires omnes intrepidus refumfi, idque mihi Chriftianiffima tua exhortatione certò perfuafi, fatius effe pro temporis hujus calamitate, ut Evangelizem, quam in angulis, quibusvis ftudiis inferviam; donec, Domino verbum fuum multa virtute muniente, Chriftum, cucullatis nugis longe à nobis exulem, imo in exilium propè relegatum, pro virili reftituerim.

Cæterum fermonem de Fide & Sanctorum cultu ex Tui ingenii felicitate depromtum, indies expecto.

Num. XIV.
HULD: ZWINGLII ad Epiftolam *Joh. Eckii* in Comitiis Badenfibus transmiffam Refponfio Apologetica.
A. 1524.

DE Comitiis Badenfibus atque Colloquio illic inftituto A. 1526. quantum fatis eft in ipfo Opere egimus, ut hic eam folummodò ex *Zwinglii* Operibus Tom. II. fol. 565. feqq. depromtam Epiftolam ipfius ZWINGLII, Lectori benevolo, communicare voluerimus, ex qua is de *Eckii* ingenio & ftudiis, & de caufæ illic agitatæ momento ritè queat ferre judicium. Epiftola ita fe habet ex translatione Rudolphi Gualtheri.

* * *
* *
*

GRATIA & pax à deo patre & filio ejus, domino noftro Jefu Chrifto: Quem revera nunquam non folicitis urgemus precibus, ut eam in te cognitionis lucem accendere dignetur, Joannes Ecci, qua profundiffimam illam cæcitatem tuam tandem agnofcere difcas: ne pofthac inftar negotiatorum quorundam (qui ubi omnium opum fuarum ac mercium jacturam fecerunt, apud exteras & longe diffi-

tas

tas à patria sua gentes æs alienum conflare & vorsuram solucre solent, hujusmodi artibus proximum quodque damnum cavere cupientes) tu quoque apud ignotos tibi & procul dissitos homines fraudulentis & clandestinis imposturis divini nominis gloriæ & honori non minori impudentia quam temeritate resistas: cum interim sacrosancto illo Dei nomine nunquam non abutaris, non aliam ob caussam, quam ut illius honori, qui Deo plane contrarius est, & omnium seductorum & impostorum commodis consulere queas. Ut vel nunc tandem Christi simplex populus ab impostura illa tua & intricatissimis præstigiis, quibus sacrosanctum Dei verbum obscuras & polluis, liberetur. Cæterum fiat in his voluntas domini.

Quantum enim meo judicio videre possum, permittet Dominus ut imposturas & dolos tuos eousque continuare & persequi possis, donec fortissimum aliquem & invictum veritatis vindicem tibi immittat, qui imprudens illud animi tui institutum in lucem protractum omnium oculis exponat, quemadmodum olim quoque per Petrum Apostolum Simonis Samaritani Magi (quem te quoque non inepte ad vivum quodammodo referre Tragicis illis tuis ostentationibus, dicemus) perniciosas fraudes retudit.

Quorsum enim alio illud factum tuum pertinere putabimus, quo inclytis & prudentissimis communis Helvetiæ legatis, qui Badenam ad comitia publica coierant, ejusmodi transmisisti Epistolam, in qua me clandestinis obtrectationibus & calumniis, falsæ, erroneæ & hæreticæ doctrinæ authorem esse scribis, simulque ad disputationis mecum subeundæ certamen tete offers: hæc tamen clam me omnia?

Quapropter mei officii esse arbitratus sum, ne fraudulentam illam ac longe pernitiosissimam imposturam qua nos circumvenire tentas, silentio prætercam: Caussæ enim hujus necessitas, ut digna aliqua responsione tibi occurram, postulat, non tali quidem, qualem tu merueras, sed quæ me decere possit.

Et primo quidem, illud mihi respondeas velim, quo ore, qua fronte, qua denique conscientia talem te venditare & offerre ausis, ut qui charitatis aut Dei studio motus ad inclytam Helvetiorum civitatem hujusmodi epistolam scripseris? cum non obscuris argumentis (utpote qualia ex vitæ tuæ moribus & doctrina desumere licebit) constet, te non ea animi pietate & religione præditum esse, ut Deum

esse

esse credas. Si enim Deum esse crederes hunc, quem nos qui Christi nomine gloriamur, pro Deo nostro agnoscimus, nunquam profectò temetipsum Verbo illius opponeres: cui jam annis aliquot continuis tanta cum temeritate & stultitia restitisti, ut omnes Christi fideles te ferocissimum Dei hostem esse & judicarint & re ipsa experti sint: Imò talem te præbuisti, ut ne illi quidem, qui tuas partes tuentur, tantam in te fiduciam & spem collocatam habuerint, quantam tu ab illis sperabas.

Accedit his aliud quoque longe evidentissimum signum quod ne micam quidem vel religionis, vel pietatis vel charitatis Dei in te esse docet. Si enim tale quiddam tibi inesset, debebas utique (siquidem me seductorem tantum esse noveras, qui tam propudiosis scriptis & hæreticis expositionibus scripturas sanctas divellerem & laniarem misere) amica simul & fraterna admonitione me compellavisse primum, nec tam lethali morsu me impetere. Deus enim, qui mortem peccatoris non postulat, amicis admonitionibus peccantes in viam reducere solet. Et tu quoque, siquidem Dei cultor esses fidelis & aliqua divini spiritus scintilla præditus, hunc Dei morem, imò præceptum quoque, nunquam neglexisses. Nam si peccaverit (inquit ille) frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Tu vero, homo ferocissime, communi Helvetiorum Civitati me inscio Epistolam scribis & mittis tanta turgidam arrogantia, ut huic quicquam addere sit impossibile: quamvis, si Germanici sermonis phrasim spectes, prorsus inepta sit & incongrua.

Vide ergò quam ineptum medicum te præbuisses, si quis tuam in morbo aliquo petiisset operam. De capitis enim doloribus multa querenti, tu genibus emplastrum apposuisses. Quod si membrum eram tam scelestum, nefandum ac perditum, tuum utique erat, ad me ista perscribere, me erroris admonere, me in viam reducere & à malo avocare. Porrò cum omnis fraterni amoris oblitus tam inhumaniter (ne dicam inhoneste & turpiter) me inscio hujusmodi Tragœdiam movere conatus sis, neminem latere posse arbitror, te non aliqua divinæ gratiæ scintillula imbutum esse. Qui enim è Dei familia sunt, gravissimo dolore tangi solent, si quando ejusdem corporis membra tantis morbis, quantos tu in nobis fingis, excruciari videant.

Se-

Secundo, unde quæso nova ista temeritas animum tuum incessit, ut ad inclytam Helvetiorum gentem literas dare non erubescas? Cum non desint, qui te olim Fryburgi Vatiniano ejus gentis odio inflammatum quavis de causa levissima illam conviciis proscindere solitum fuisse dicant. Quid autem de eo, quod Romæ tibi accidit dicemus? Annon enim nostratium quidam, qui tunc temporis in Pontificis comitatu & satellitio stipendia meruerunt, te crinibus distractum verberibus quoque contuderunt, fœdissimis nimirum dictis tuis iritati, quæ tu in Helvetiorum gentem contumeliose eiaculabaris? An vero domus ipsa Campanæ signo celebris, in qua ista contigerunt, memoria tua excidit?

Tertio, quid obstitit quæso, quo minus ad prudentissimum Tigurinæ civitatis Cos. & sanctum, qui illic est, Senatum literas tuas dares, cum in illorum ecclesia me doctrinam meam publice prædicare te non lateat? Quid opus erat, aliarum urbium legatos, Helvetios denique omnes, temerario isto & inepto scripto turbare? An vero aliquam ad eos utililatem hinc perventuram esse sperabas? Vel, qua ratione hoc me vel ad erroris agnitionem vel ad pœnitentiam revocare potuit, cum me inscio omne illud transegeris?

Quarto, quænam illa fuit necessitas, quæ huc te compulit, ut & tempus & locum tibi definiri velis, quo disputatorio certamine mecum possis congredi? An vero disputandi cupidine ita inflammatus es? Atqui nunquam non Tigurinæ urbis portæ tibi patent. Et nos quoque nunquam non ad respondendum tibi parati sumus. Quid? Nonne sanctissimus urbis nostræ Senatus non semel tam publicis quam privatis postulationibus imò obtestationibus, illud petiit, ut si quis vel ipsos vel doctores ipsorum erroris convincere possit, divinæ scripturæ testimoniis, illud ipsum facere non dedignetur? Quin ergo venis, quandocunque hoc libitum fuerit? Quod si aliquod hic periculum tibi jure timendum esse existimas, nunquam tibi deerimus, quotquot Tiguri Christum prædicamus, quin salvum conductum, ut vocant, qui nemini nobis contradicentium hactenus unquam negatus est, a Senatu nostro petemus, & facile (ut spero) si quid aliud tutioris præsidii esse existimas, impetrabimus.

Virum modo te præbeas, & ad iter ac disputationem illam accingere. Cæterum, cum hac occasione & commoditate antehac nunquam destitutus fueris, interim vero nec cum Tigurinis nostris, nec nobiscum, vel verbis coram vel scriptis absens agere quicquam institueris, sed reliquas duntaxat Helvetiorum civitates ad hujusmodi motus & turbas sollicites, non obscurum esse potest quid instituas, vel ê quonam animi scrinio consilium hoc promanarit, & in quem finem idem illud tendat. Cur quæso non publicis scriptis in nos invectus es, siquidem me errores docere & serere sciebas? Vel, cur non Tigurinam ecclesiam ut ab erroribus (siquidem errores sunt, ut tu pronuntias) hujusmodi sibi caveret, admonuisti? Si enim Tiguri quosdam doctrina mea seduxi, decet utique ut ibidem quoque palantes oviculas in viam reducam & meum errorem agnoscam. Quod si vero scriptis meis quidam seducti errant, idem tu quoque scriptis demonstrare debebas. Multo diutius enim in longum ævum durare solent quæ scriptis mandata sunt, quam quæ semel duntaxat inter dicendum oris claustra exiverunt.

Quinto, qualenam illud esse putemus, quod apud Helvetios Scripturæ sacræ judices vis constitui? Qua fronte hæc vel dicere vel facere audes? An vero Pontificiorum Canonum jam oblitus es, qui prohibent „ ne quis præter solum Pontificem sacras scripturas „ vel exponat, vel dirigat, vel earum sensum alteris proferat? „ Talem certe te esse video, qui nescio quem ipso Deo quoque sapientiorem nobis monstrare possis, quem tu divini verbi judicem vis constituere. Nec enim alicujus momenti erit, communem illam & vulgarem tritamque objectionem prætexere, qua multi clamitant: Atqui variis & diversis sensibus dei verbum solet accipi. Iudice ergo opus est. Quid autem aliud hinc sequi dicemus, Ecci, quam quod dei verbum in humani ingenii sensu & judicio consistet? Atqui longe aliter hæc se res habet. Dei Verbum enim & me & te & universum hominum genus judicare debet. Et si tu quando in locum aliquem offendens te illum nequaquam eo sensu, quo nos eum exponimus, accipere dixeris, nequaquem hominis alicujus sententia hic expectanda erit, quæ litem illam dirimat: sed ad alium quendam scripturæ locum recurrendum est, ut illum ceu

lu-

lumen aliquod afferamus ad eum locum, qui nobis obscurior esse videtur. Tunc enim idem ille divini verbi luce clarissime illustrabitur. Dies enim diei lucem affert, & rotæ istæ sibi invicem insertæ mutuis connexibus sustentantur. Et Christus nos scripturas scrutari, Mosen & prophetas legere jubet: nusquam vero judices super verbum ipsius constituere præcipit. Quapropter rejectis hisce nugis tuis hanc tibi conditionem offerimus Ecci. Quandocunque voles (nam certo certius spero prudentissimum Tigurinæ civitatis Senatum hoc facillime & libenter admissurum esse) Tigurum ad nos advola, ut scripturæ oracula quibus doctrinam nostram approbamus audias (disputationes quas tu tonas non multum moror. Tibi fortassis gladiatoria ista ostentatio melius convenit, qui semper inani verborum fuco instructus fuisti) & eadem illa scripturarum oracula mecum scruteris. Et uter e nobis primus a divini verbi tramite declinarit, is prudentissimis Tigurinæ civitatis Cos. & Senatui sanctissimo dignas pœnas, vel ignominiæ sempiternæ vel mortis etiam, exsolvat, prout ipsis æquum esse visum fuerit. Adhæc, uter nostrum primus aliquid protulerit, quod nulla divini verbi, veteris & novi Testamenti authoritate probari aut confirmari poterit, is similiter à prudentiss. Senatu nostro dignis pœnis adjudicabitur, Quod si vero tu reliquos etiam Helvetios huic collationi nostræ interesse volueris, lubens equidem illos tibi concedemus. Neminem autem mortalium vel tibi vel mihi divini verbi judicem constitui patiar. Illud enim per se solum judicari convenit: & uter e nobis citra hujus authoritatem aliquid proferre instituerit, pœnam meruisse judicabitur. Simul etiam hoc tibi firmiter injunctum velim, ut quemadmodum nos nostrum sensum solis scripturæ oraculis approbaturi sumus, ita tu quoque idem facias, iis in prætertim in quibus multum dubitari consuevit: & uter illud quoque neglexerit, reus esto. Tunc enim (siquidem a dei verbo ne latum unguem declinaverimus) haud dubie concordi animorum sensu convenire poterimus: quod ipsum nunquam fiet, si hominum judicia voluerimus audire. Hoc vero tu hactenus intelligere non potuisti, eo quod in hunc diem usque hominis Verbum majoris fecisti semper, quam infallibilia æterni

 dei

dei oracula : unde hæc juxta illius pronuntiata dijudicare voluisti. Atqui in Legibus scriptis adeoque jure toto illud videre licet, quod ex ipsis Legibus Legum sensus petendus est, nec ex cujusuis hominis sensu decerpendus. Porro omnia ista duabus Propositionibus comprehensa tibi ob oculos ponemus. Nusquam alibi, num dei verbum digne tractem vel minus, dijudicare vel possum vel debeo, quam coram ecclesia, cujus pastorem me esse voluit dominus. Et illa quoque Verbum abs me prolatum reijcere nullo vel jure vel authoritate potest, nisi illud dei verbum non fuerit. Et dei Verbum nemo, præter oves dei, agnoscere potest. Ubicunque ergo hæ ad dei honorem & gloriam collectæ fuerint, ut verbum illius audiant, & mea ecclesia me illuc ablegarit, lubens volensque illius jussa exequar. Jamne ergo vides Ecci, quænam inter me & dolosam illam imposturam tuam sit differentia?

Sexto, tanta Spiritui sancto fiducia inniteris, ut nequaquam dubites, quin veterem, veram & Christianam fidem contra me facile asserturus sis. Velim autem hoc loco mihi edisseras, quænam illa fides sit, quam tu veterem dicis. An vero tu fidem aliquam hac vetustiorem novisti, quæ vero Deo cœli & terræ Creatori, Iesu Christo & Spiritu sancto innititur? Vel, num fidei illius institutionem vetustiorem tu aliunde proferre potes, quam ex proprio dei verbo, quod partim ipse Deus, partim vero per Mosem, prophetas, & novissimis temporibus per filium suum unigenitum & sanctos apostolos suos idem ille enuntiavit? Nemo certe tam stultus est, quin intelligat quam tu fidem veterem hic nomines. Ceterum veterem & antiquam fidem nos eam dicemus, quæ illis, quorum modo mentionem fecimus, innititur. Et doctrina vetus ea nobis est, quam ipse Deus nobis prodidit. Atqui utraque hæc patribus tuis & ceremoniis, quarum mentionem facis, longe antiquiora sunt.

Porrò alacri & læto animo Tigurum pete ô Ecci. Tempus enim est ut desinam tandem, siquidem hactenus perperam multa docui. Multo magis vero illud quoque tempus requirit, ut fallacibus tuis dolis miserum ac simplicem Christi populum circumvenire & seducere tandem desinas, & ne posthac ullum dei ministrum & cul-

to-

tarem hujusmodi pernitiosis technis periculo involvere instituas, sed ita rem geras, ut utrinque æquitas conspici possit. Quod si te falsæ doctrinæ insimulare tentavero unquam, id ipsum vel coram ecclesia tua, vel publicis scriptis faciam nec unquam proditoriis hujusmodi artibus apud principes vel magistratum tuum tibi insidias struam. Atqui tunc me honeste simul & Christiane tecum agere arbitrabor. Eum quoque de te animum posthac concepturus sum, ut qui idem sis facturus: quod si negligas, improbitatem tuam universæ Christianorum ecclesiæ ita ponam ob oculos, ut omnes sibi abs te cavere possint. Deus misereatur tui, & exempto corde illo lapideo tale tibi inserat, in quod dei verbum queat inscribi. Tiguri pridie Cal. Augusti. Anno domini M. D. XXIIII.

No. XV.

Articuli Disputationis Rhæticæ A. 1526. ex editione Hofmeisteri in Actis illius disputationis.

Quæ ad hanc causam spectant, itidem in ipso Opere à nobis sunt exposita §. CVII. pag. 299-304. sed hos ipsos articulos tamen ob rei memoriam dignissimos judicabamus, quos lectoribus nostris hic sigillatim exhiberemus, prouti eos nobis suppeditavit Sebastianus HOFMEISTERUS, *Scaphusanus* primo dein *Tigurinus* & *Bernensis* Reformator, cujus Acta Disputationis Rhæticæ nuper utilissimæ suæ collectioni inseruit doctiss. FUESSLINUS sæpe jam à nobis laudatus Tom. I. p. 375. seq.

* * *
* *
*

Schlussreden des Pfarrers zu Chur
bey St. Martin.

I. Die chriſtliche Kirche iſt aus dem Worte Gottes gebohren, in demſelbigen ſoll ſie bleiben, und die ſtim eines andern nicht hören.

II. Die Kirche Chriſti machet keine Geſetze ohne Gottes Wort, ſondern ſie höret, was ihr Gemahl Chriſtus Jeſus geſetzet und geordnet hat; ſonſt wäre ſie geringer als die Judiſche ſynagog.

III. Aus dieſem folget, daſſ die Ohren-Beicht und ihres gleichen, ſo man Kirchen Gebote nennet, nicht weiter binden, als ſie in Gottlichen Worte gegründet und geboten ſind.

IV. Alles was von dem Fegfeuer bisher gelehrt worden, iſt nicht von Gott gekommen.

V. Die Ehe und ſpeiſen die Gott geſchaffen hat, verbieten, ſind Gebote deren, die von dem Glauben abgefallen ſind, und ſind aus Angebung der Teuflen.

VI. Welcher empfindet, daſſ er die Gab der Reinigkeit von Gott nicht habe, derſelbige mag und ſoll ſich verehlichen, wes ſtandes er immer ſeye.

VII. Bilder zur Verehrung machen, iſt wider Gottes Wort des Neuen und Alten Teſtamentes.

VIII. Alle Menſchen-Gebote und ſazungen, die die Gewiſſen fangen; ſind unnutz, abzuthun und ganz hinweg zu nehmen, dann ſie ſind ein vergeblicher Gottes-Dienſt.

IX. Die Biſchöffe ſollen ſelber predigen, nicht das weltliche ſchwert regieren, nicht groſſe Güter beſitzen, ſondern ziemliche Nahrung haben, und uber die ſchaafe Chriſti mit dem Worte Gottes wachen.

X. Die ſo genandten Geiſtlichen, wes ſtandes ſie immer ſeyen, ſollen in zeitlichen Dingen der weltlichen Gewalt unterthan ſeyn.

XI. Chriſtus Jeſus iſt ein-einiger Oberſter Prieſter des Neuen Teſtaments, der ewig lebendig bleibt, darum er keines Entſezens bedarff.

XII. Dieſer oberſte Prieſter iſt unſer einiger Mittler zwiſchen

Gott

Gott dem Vater, und uns seinen Glaubigen. Derhalben alle andere Mittler und Fursprehe aussert demselbigen ohne Grund der Heil. Schrift aufgeworffen sind.

XIII. Dieser unser oberste Priester hat ein einig ewigwahrend Opfer gethan, desshalben alle andere sund-Opfer aufgehoben sind, und nachdem dieses einist geopferet worden, mag es von seiner Volkommentheit wegen von keinen Menschen gewiederet werden.

XIV. Die Mess, darinnen man Christum Gott dem Vater fur die sund der Lebendigen und Todten aufopfert, ist der heiligen Schrift zuwider, und eine Lasterung des allerheiligsten Leidens Christi.

XV. Die Mess ist dem heiligen Evangelio und dem ganzen Neuen Testament unbekandt, aber durch die veranderung der Dancksagung (Eucharistia) in ein Opfer verwandlet worden.

XVI. Dass Christus wesentlich, wie er zu der Rechten Gottes des Vaters sizet, oder am stamme des Creutzes gehangen ist, in dem Brote der Dancksagung seye, ist ein Irrthum, und mag mit der H. Schrift nicht erwiesen werden.

XVII. Des Herren Abendmahl zum Gedächtniss und zur Dancksagung des Leidens Christi nach seiner einsetzung, sammt dem Christlichen Bann, ist hingenommen, und die erdichtete Opfer-Mess an desselbigen statt eingesetzet.

XVIII. Welcher von dem Zehenden Antwort haben will, demselbigen wollen wir uns auch nicht widersetzen. Gott seye Preiss und Ehre in die Ewigkeit! Amen.

No. XVI.
Huldr. ZWINGLII Epistola ad XII. Pagorum legatos in Conventu Badensi.
A. 1526.

ET hæc Zwinglii Epistola ex Zwinglii Operibus Tom. II. à fol. 572-575. deprompta, ut hic legeretur, erat dignissima, quod ea

ea perspicuam nobis refert status & rerum illius temporis apud Helvetios delineationem, & maximoperè facit ad retundendas adversariorum Evangelii calumnias, quasi Zwinglius etiam refugerit ulteriorem doctrinæ coram summo Helvetiæ magistratu inquisitionem, & denique nos informat de diversis aliis rebus cum ad Evangelium tum ad Zwinglium ejusque Reformationis indolem ritè cognoscendam facientibus.



Et generis nobilitate, & virtutum splendore præstantissimis viris Consulib. Prætoribus, Ammanis, Senatoribus, civibus totique populo, *Bernæ*, *Lucernæ*, *Uriæ*, *Suitiæ*, *Subsylvaniæ*, *Tugii*, *Glaronæ*, *Basileæ*, *Friburgi*, *Solodori*, *Scaffhusiæ* & *Abbatiscellæ*: horumque confœderatis & sociis, *Curiæ* & tribus fœderum consortibus *Rhetiis*, *Sangallensibus*, *Mullhusianis*, omnibus denique horum sociis vereque fidelibus, Dominis suis colendissimis,

H. ZWINGLIUS

GRATIAM & misericordiam & pacem à Deo patre & Filio ipsius unigenito, domino nostro Jesu Christo precatur. Quandoquidem non multis abhinc diebus de Disputatione quadam brevi instituenda vos consultavisse audio, prudentissimi viri, domini colendissimi & charissimi confratres, non parvas equidem laudes & gratias me Deo Patri debere fateor, easque illi offero quotidie, quod huc usque rem hanc promovere dignatus sit: simulque vos admoneo & adhortor, ut cœptum hoc consilium & institutum (siqui-

quidem nullum vel communis pacis concordiæ periculum ſub hoc latere aut celari poſſe videritis) pio, religioſo & diligenti ſtudio, vera denique & ſyncera fide exequi conemini. Nec enim dubito, quin Diſputationis hujus vel colloquii (ſiquidem ea, quæ modo memoravimus, ſtudioſe obſervata fuerint) ingens utilitas & fructus non pœnitendus futurus ſit. Quamvis vero ampliſſimus Tigurinæ Reipub. Senatus totusque populus, domini mei colendiſſimi, nulla in poſterum Diſputatione opus habeant (non ſemel enim ordinarie ſimul & Chriſtiane, vocatis epiſcoporum quoque & ſcholarum doctoribus, veſtrisque ſimul & ſociorum noſtrorum omnium præſulib. apud illos de fide & religione diſputatum eſt) non dubito tamen, quin hic quoque, ſiquidem res hæc ipſis præſentibus digne & legitime inſtituta ſimul & confirmata fuerit, operam ſuam amice præſtituri & rem ſe dignam facturi ſint. Præterea, me quoque, pro Tigurini Magiſtratus, dominorum meorum, juſſu & miſſu, omne illud facturum polliceor, quod ad hujus inſtituti promotionem facere poſſit, ſi videlicet diſputatio hæc præſentibus ſimul ampliſſimi Tigurinorum Senatus legatis legitime inſtituta, & locus ad hanc idoneus & ab omni periculo liber deſtinatus fuerit. Quamvis nullo jure aut legibus cogi poſſim, ut alibi locorum, quam in eccleſia quam docui fidei & doctrinæ meæ rationem reddam.

Cum autem in repentina illa deliberatione, quæ inſcio ſimul & inconſulto Tigurinæ civitatis Senatu (quod bona veſtra pace mihi dicere liceat) habita eſt, & non modo deſint adhuc quam plurima, quæ ad rem hanc neceſſaria requiruntur, verumetiam multa jam inſtituta & decreta ſint, quæ (niſi rite emendentur & mutentur in melius) & veritati, & Tigurinæ Reipub. & mihi fraudi eſſe poſſent, non ſine certo conſilio vobis, Viri præſtantiſſimi, quos hujusmodi rerum uſu non multum fortaſſis exercitatos eſſe arbitramur, hujusmodi errores paucis adumbrare inſtitui. Oro autem, ut hæc noſtra clementer ſuſcipere & digne intelligere velitis.

Et primo quidem illud diſertis & expreſſis verbis ſtatuendum erit, quod in hujus diſputationis congreſſu nullius ſcripturæ aliqua authoritas eſſe debeat, quam ejus, quæ Biblicis libris, Veteri nimirum & Novo Teſtamento continetur. Niſi enim hoc obſervetur

firmissime, jam nullum articulum tam contemptum & levem invenire licebit, qui non in longam aliquam concertationem diduci possit, ut vix multis annis demum finiatur. Tanta est doctorum, imò rixatorum, inter Theologos & Pontificii juris Canones copia: qui tamen plerumque cum divini Verbi veritate ex diametro pugnant.

Secundo, illud quoque cavendum erit, ne doctorum sensu & expositionibus Dei verbum vel prematur vel à simplici sensu in eum, qui alienior est, detorqueatur. Hoc enim potius curandum est, ut locus Scripturæ, si quis forte obscurior & incertior est, alio quopiam divini verbi oraculo clariori & evidentiori exponatur: quod ipsum in Cæsareis quoque legibus, omnibus denique omnium civitatum & populorum statutis & decretis fieri consuevit. Nam nisi hoc quoque singulari studio observatum fuerit, non quicquam etiam multum disputando absolvi & effici poterit. Qui enim doctrina & eruditione præstantiores sunt, in doctorum & patrum contentiones, ut modo annotatum est, incident.

Tertio, ne quis mortalium Dei verbo judex præficiatur, nec iis quoque, qui in disceptatione hac ex Dei verbo sua proferunt. Dei enim verbum amussis & regula nostra esse debet, ad cujus præscriptum nos quoque omnia transigere convenit: nec cuiquam nostrum permittitur, ut pro sui judicii arbitrio & sensu illud vel torquere vel flectere instituat: quemadmodum nec illud alicui permissum est, ut vel civitatum vel municipiorum vel gentium jura & leges privato suo judicio torqueat & invertat: quin Legibus ita subjiciuntur omnes, ut per has se & sua omnia judicari permittant. Eadem ratione Dei Verbum nostram rationem ac sensum, opinionem denique & artem moderari & refrænare debet, nec æquum est, ut nos Dei verbum docere instituamus. Præterea in disputatione hac disputantibus judices præfici nec possunt nec debent: alioqui veritas clare & evidenter nunquam in lucem proferri poterit. Singuli enim Judicum sententiam timere cogentur, quos sublimium & maxime disputabilium rerum cognitione nulla præditos esse noverunt: Adhæc, ipsi quoque Judices de maximis istis & altissimis fidei mysteriis nec quicquam pronuntiare nec veritatem agnitam quoque fateri

aude-

audebunt. Quis enim ignorat eam nunc esse hujus sæculi nostri plus quam exulcerati miseriam, ut plebeis & vulgaris notæ hominibus, qui nulla sacræ scripturæ notitia præditi sunt, nihil tam frequens in ore sit, quam quod quemvis levissimam quanque ob causam hæreseos crimine notent, & hæretico salvum conductum, promissum quoque & exhibitum negandum esse clamitent? Nec quicquam hic efficient, qui capitis periculum hujusmodi hominibus minantur: nam & hi nimium inepte istud clamitant. Christus enim dominus noster studiose monet, ne illis proponamus Verbum ipsius, penes quos nihil per hoc vel effici vel impetrari possit. *Nolite margaritas spargere ante porcos* &c. Præterea Judices hujusmodi, quales non sine gravi omnium hominum molestia Eccius & Faber tonant & urgent, nusquam vel præcepto vel exemplo aliquo constitui aut præcipi videmus. An enim vel ipse Christus, vel Apostoli, vel primitivæ ecclesiæ fideles, vel Conciliorum patres his usi esse leguntur? Quin Pontifex quoque inter sui juris Canones Scripturam sacram nobis judicis loco habendam esse palam fatetur. Sed & D. Ambrosii exemplum quis ignorat? Hic enim Valentiniano Imperatori, qui Auxentii hæretici suggestione motus, ipsum ad extera & peregrina loca evocabat, ut sub iis judicibus, quorum nomina nimis insidiose subticebantur, de doctrina sua disputaret, sic respondit: „ Quos aut quales judices Auxentius sibi delegerit, aliis „ cogitandum relinquimus, cum ipse ne nomina quidem illorum pro- „ fari audeat. Quicunque vero illi sint, coram ecclesia compareant „ velim (Mediolanensi nimirum cujus episcopum & pastorem Ambro- „ sius agebat) & una cum populo doctrinam audiant: sic tamen, ne „ quis illorum sibi Judicis personam aut officium vendicet, sed ut „ singuli pro sui intellectus & rationis facultate in sese descendant, au- „ dita ruminent, & dictorum sensum quem sequantur sibi deligant. „ Quod si de sacerdote aut doctore controversia est, & alium quen- „ dam docentem audivit ecclesia, qui ipsi clarius & commodius do- „ cere visus fuerit, ipsum sequatur libere: nec enim illos prohibere „ unquam velim. „ Diligentius autem hæc examinent velim, quotquot vere fideles & æquitatis amantes sunt, ut videant an non eædem omnino insidiæ Ambrosio olim structæ sint, quas hodie quo-

que mihi & aliis nonnullis quidam ſtruere conantur? Ea autem animi conſtantia ipſum præditum fuiſſe videmus, ut ne Imperatori quidem morem gerere vellet, nec unquam permitteret, ut Judicum hujusmodi cæcitati & ignorantiæ ſe & cauſam ſuam committere, vel alibi quam coram eccleſia ſua doctrinæ ſuæ rationem abs ſe exigere pateretur.

Quarto, illud quoque neceſſario requiri ſolet, ut palam & diſertis verbis indicetur, de quibusnam articulis diſputatio inſtitui debeat. Non multo enim abhinc retro tempore, diſputationes nonnullis in locis inſtitutas fuiſſe conſtat, ad quas ubi conventum fuerat, quidam ita ſeſe ſubduxerunt, ut de iis articulis, qui maxime in controverſiam cadebant, ne verbum quidem audire dignati fuerint. Unde factum eſt, ut plures boni & religioſi viri ingentes ſumptus fruſtra faciendo oleum & operam perdiderint.

Quinto, ut ea ſalvi conductus certitudo ſit & ſoliditas, ut nullo alicujus cavillationis prætextu, nulla occaſione aliunde deſumpta, nullis denique querelis & accuſationibus violaretur: ita etiam confirmetur, ut nemo alicujus periculi metu concuti aut terreri posſit. Niſi enim hoc quoque ſingulari diligentia caveatur, non deerunt audacibus quibusdam & temerariis ſycophantis occaſiones & cauſæ, propter quas quemvis hæreticum eſſe & hæretico ſalvum conductum negandum eſſe vociferabuntur. Hoc vero ſi fiat, quid aliud quæſo, quam communis Helvetiæ incolumitatem turbari & gravisſima disſidia oboritura eſſe, ſperabimus?

Sexto, ut iſtorum hominum incolumitas, de quibus ſummum periculum eſt, obſidibus aut vadimoniis datis, ſicubi rei necesſitas ſic poſtulaverit, redimatur & ſtabiliatur fortius.

Septimo, ut locus diſputationi huic deligatur, urbs aliqua libera, munita, bonis legibus & diſciplina civili inſtructa, quæque nullo alieno imperio ſubjecta ſit aut obnoxia: quæ ſimul bona fide & indeſeſſo ſtudio omnia ea curet, quæcunque ad defenſionem, præſidium & omnem necesſitatem ſerviunt: quæ denique viribus et potentia ſic munita ſit, ut quibusvis ſeſe opponere poſſit, ne forte vel invita quoque cogatur, ut vel ipſa alicui injuriam inferat, vel ab aliis inferri patiatur.

Hae

Hae ergo conditiones ſunt, Praeſtantiſſimi viri, domini colendiſs. chariſſimi confratres, quae et nobis et unicuique, ut ſpero, vere piorum et fidelium ad diſputationis hujus tutam certamque actionem neceſſariae omnino eſſe videntur; ut nimirum divina veritas ſyncere ſimul et imperterrite tutoque in lucem tandem prodire poſſit, nec quicquam vel inſidioſe vel dolo malo per praejudicium aliquod transigatur. Ut primum enim tale quiddam incideret, jam vel civilibus bellis Helvetiae totius pax et incolumitas quaſſanda eſſet, vel diſcordia haec longe gravior et atrocior, quam nunc fit, graſſaretur. Horum itaque omnium diligenti conſideratione habita ſinguli in hoc incumbant, ut inſtituta jam diſputatio è Badena in aliam urbem liberam, et utrique patri commodiorem transferatur. Nam quantum ad me ſpectat, jam ante coram ampliſſimo Tigurini Senatus ordine animi mei ſententiam diſertis verbis expoſui, quod ad diſputationem Badenſem nunquam acceſſurus ſim: nec mihi juſtae deſunt cauſae, quae me illud facere prohibent. Badena enim non ſui juris oppidum eſt, ſed alieno imperio parere cogitur. Et licet octo pagorum ditioni ſubjectum ſit, potior tamen pars penes Lucernenſes, Urianos, Suittenſes, Subſylvanos et Tuginos eſt, utpote qui ſuffragiorum numero reliquos vincant, et inclytiſſimam Tigurinorum civitatem è conſeſſu exire cogant: qua autem aequitate, quo jure, nunc non eſt dicendi locus. Praeterea *quinque* iſti modo commemorati *pagi* jam ante in hoc conjurarunt, ut fidem et doctrinam, quam ego docere conſuevi et illi haereticam eſſe clamitant, perſequantur. Adhaec me ceu haereticum undique proclamant et proſcribunt: quod ipſum non modo nuper factum eſt apud Griſones Rhætos et Sangallenſium populum, verumetiam non multis ab hinc diebus, idem illud in iis literis factitatum eſt, quas de Diſputatione hac inchoanda hinc inde transmiſerunt, interim vero in literis, quae ad Tigurinos noſtros erant perferendae non ſine aſtuto dolo idem illud ab ipſis omiſſum eſt: quid vero ex hoc ſuſpicari posſim, aliis aeſtimandum relinquimus. Item non multis abhinc retro annis tam ipſi quam Friburgenſes praeceperunt, ut captivus nulla communium fœderum ratione habita Lucernam abducar. Friburgi item libros meos, nulla admiſſa excuſatione, combuſſerunt.

runt. Sed & Lucernæ imaginem mei effictam publice cremarunt, hoc modo & me & doctrinam meam (quam per universum agrum suum proscripserunt) infamem reddere volentes, quis ergo pius & sapiens nobis consulere volet, ut locum aliquem adeam in quo potior rerum potestas penes quinque illos pagos esse solet? In primis, cum vel in illis ipsis scriptis, quibus disputationem hanc promulgant, palam testentur „ se non aliam ob causam hoc consilii cœpisse, „ quam ut antiquam suam religionem à patribus traditam retinere, & „ Lutheranam Zuinglianamque hæresim opprimere possint, eo quod „ hæc multorum malorum & dissidiorum causa fuerit, „ quorum tamen (Deum testor omniscium) tam author sum, quam Christus olim eorum reus erat, quæ Judæorum scribæ ipsi intentabant crimina. Quis enim non novit, quod cum gravis illa & horrenda seditio nuper per Germaniam exorta grassaretur, non ulla gens majori pace et securitate frui potuerit, quam Helvetii tunc usi sunt? Qua in re Dei gratiam non sine summa gratitudine agnosco, qui per prudentissimum Tigurinæ civitatis Senatum & eorundem Concionatores tam in agro quam urbę tanto studio & cura cavit, ne qua in illorum populo seditio moveretur. Si enim hic aliquid seditiose motum esset, haud dubie tantæ multitudini plures quoque alii sese adjunxissent. Deus Opt. Max. in posterum quoque nos sua gratia tueri dignetur. An vero par erit, ut hujusmodi præjudiciis meipsum committam iis in locis, ubi mihi quidem certum periculum immineat, interim vero nulla usquam sit spes, quod divini Verbi gloria & libertas promoveri possit? Accedit his, quod nec tanta est Badensis urbis potentia, quantam rei hujus necessitas requirit. Facile autem & hoc fieri posset, ut ingens hominum multitudo utrinque sub thermarum prætextu confluens sibi invicem insidiarentur. Sed & episcopi, qui ad Disputationem hanc invitantur, tanta satellitum & comitum turba stipati advenire possent, ut vel ab his quoque periculum esset metuendum. Quid? Eccius jam olim Badenam disputationis nostræ aream esse voluit, cum ipse interim in Bavaria agens locorum situm & commoditatem ignoret. An vero vel hinc videri nequit, qualemnam disputationem hanc esse velit? Præterea, cum me Badenam profecturum esse coram Tigurinorum

rum Senatu negarem, longe æquiorem conditionem ipse proposui, ad hunc modum, videlicet: „ Quod si non aliæ quam Biblicæ scripturæ receptæ & admissæ fuerint, nec ulli divino verbo judices præficiantur: si salvus conductus sit utrinque liber et tutus, ut paulo ante dictum est: si de primariis fidei nostræ articulis, quæ nunc in controversia sunt, disputandum est, jam prompto & læto animo ad disputationem, quæ vel Tiguri, vel Bernæ, vel Sangalli instituatur, meipsum offero. Quod si vero erroris alicujus aut falsæ doctrinæ convictus fuero, penes Tigurinos de me pœnas sumendi potestas esto. Similiter unusquisque, qui in errore aliquo deprehensus fuerit, citra omne præjudicium ad suos & ordinarium suum magistratum remittatur. „ Atqui tres istas civitates ea potentia, gloria, fortitudine & honore instructas esse arbitror, ut divino sic favente Numine, omnia illa quæ ad hanc rem idonea & necessaria fuerint, facillime conferre possint. Deinde illud quoque permisi, ut Tigurinæ civitatis magistratus alias quoque tres urbes, quarum nomina tunc exposui, proponeret (siquidem priores illas Helvetii reliqui admittere nollent) nam & sic me illorum voluntati pariturum esse affirmabam. Porrò, quod prudentissimus Tigurinæ civitatis Senatus hasce conditiones à me propositas communi Helvetiorum consessui offerre noluit, hanc nimirum ob causam (quantum ipse intelligere possum) factum est. *Primo* enim repentina quædam Comitia Badenæ celebranda sex Helvetiorum pagi instituerunt, ad quæ Tigurinorum quoque legati invitati sunt, in quibus de disputatione hac consultari posset. Ubi vero Tigurinorum legati ad Comitia pervenere, vix postremo demum admissi, & num quid à magistratu suo in mandatis accepissent, interrogati sunt. Quod ubi illi audierunt, non ulla de re cum ipsis consultandum esse existimantes domum reversi sunt, sic ut in consultatione hac non ullum Tigurinæ civitatis suffragium inciderit. *Postea* vero iidem illi pagi nova Comitia Lucernæ habuerunt, ad quæ Tigurina civitas nunquam vocata est, interim tamen ex iisdem illis Comitiis ad Tigurinos, quasi ipsorum imperio subjectos homines, literas dedere, quibus significabant, se Disputationem Badenæ habendam instituisse, præcipere igitur, ut & ipsi una cum Zuinglio suo Badenam proficisceren-

cifcerentur: ut primum enim epifcopi cum doctoribus fuis convenerint, Difputationis Judices conftituendos effe &c. Hæc (inquam) prima mihi caufa fuiffe videtur, propter quam Tigurini noftri non ullum alium locum difputationi huic deftinarint, quam propriam ipforum urbem. Si enim pro cujusque civitatis juffu & voluntate vel ecclefiæ fuæ miniftros vel alios fubditos fuos ad exteras urbes ablegare cogerentur, non parvum tandem libertati ipforum periculum inde imminere poffet. Quæ *denique* ex omnibus totius Helvetiæ urbibus tam abjecta eft & ignobilis, quæ non ridiculum effe putaret, fi Tigurinus Senatus ipforum facerdotes in fua oppida, Vitodurum videlicet, Lithopolim, aut alio evocaret? Hoc ipfum enim vel hinc videre licet, quod jam ante non femel ad colloquia hujusmodi invitati comparere noluerunt, quin & ecclefiarum fuarum præfidibus fub facerdotiorum amittendorum pœna indixerunt, ne quis illorum Tigurinas Difputationes adiret. Quis autem nunc tam hebes eft ac ftolidus, qui non videat, quam turpe & ignominiofum foret primariæ Helvetiorum civitati, fi ita jure fuo cederet, ut ad ea fe adigi pateretur, quæ nec minima aliqua Helvetiorum refpub. unquam ferret? Præterea, non dubito, quin prudentiffimus Tigurinæ civitatis Senatus ad quotidiana illa pericula & nimium minaces fermones, qui undique ftrepunt, non fallaci oculo refpexerit; è quibus non usque adeo difficile fuit conjicere, difputationem hanc graviffimi tumultus & civilium armorum caufam facile præbere poffe. Quis enim non eos rumores audiat, quibus ii pecuniam clanculo largiri dicuntur, qui antehac difputationem nunquam admittere voluerunt? Accedit his, quod inopum & cum egeftate dura conflictantium militum ingens ubique eft copia. Quod fi vero alicui injuria gravis inferretur (quod ipfum tamen ipfis magiftratibus maxime invitis fieret) & civitas injuriam paffa ad vindictam afpiraret, nonne Helvetiæ pax & incolumitas jam tum mifere turbata confpiceretur? Qua vero in re inimicis noftris, qui à prima libertatis noftræ origine nobis infenfiffimi fuerunt, gratius & acceptabilius quicquam facere poffemus, quam fi hifce infidiis fuis nos circumventos in mutuas clades ftragesque ruere viderent? Quod fi vero civitas injuriam paffa hanc impune tranfire pateretur, nonne

tota

tota jam oppressa, jaceret? Accedit his aliud quoque non leve periculum. Si enim disputatio hæc Badenæ instituta fuerit, nequaquam dubium est, quin Tigurinorum populus, ut primum alicujus periculi suspicio oboriretur, illuc concursurus esset: & quis non tunc quoque seditionis semina jacta esse & turbas orituras videat? Has (inquam) causas non indiligenter, ut spero considerantes, non ullum alium locum disputationis admittere voluerunt, interim tamen hoc nunquam negaturi, quo minus fidei & religionis suæ rationem reddant, & quid in rem maxime conveniat, consulant.

Præterea ipsi non ullis amplius disputationibus opus habent, cum jam ante tot apud ipsos habitæ sint, quot ad institutionem & doctrinam sufficere possunt: ad quas etiam omnes amicissime invitarunt & quo plures e doctorum numero comparuerunt, eo rem gratiorem sibi fieri putarunt: Interim tamen nemini mortalium, nulli denique civitati aut populo disputationes suas invident. Quapropter per dei honorem & gloriam vos admonitos velim, Viri præstantissimi, domini colendissimi, amici & confratres dilectiss' primo, ut Disputationem hanc semel institutam (siquidem ipsam communis Helvetiæ pacem & tranquillitatem nulla ex parte turbare posse videritis) summo studio & cura promovere dignemini. Secundo, ut rem istam propius paulo & studiosius consideretis, ne forte aliorum insidiis circumventi hujusmodi aleæ cœcæ & incertæ vos committatis, per quam fidelissimorum pastorum vestrorum ministerio spoliari possetis. Tertio, ut disputationem hanc a Badena, suspecto loco, vel Tigurum, vel Bernam, vel Sangallum transferatis, ut & mihi liber tutusque ad illam aditus pateat. Hoc si fiat, non diffido quin divino sic favente Numine & juvante nos vero viventis dei filio domino nostro Iesu Christo, tam Dei & Christi domini gloriam, quam communis Helvetiæ honorem & incolumitatem fortiter asserturi simus, non modo adversus Fabrum & Eccium (quorum neuter compariturus erit, si disputationis locum talem esse audiverint, ut & mihi ad hunc accessus tutus & liber sit) verum etiam adversus omnes totius mundi doctores, quotquot divino Verbo sese opponere instituerunt. Interim tamen prudentissimi Tigurinorum Senatus authoritati per me nihil

hil imminutum, aut detractum velim, quorum jussui & voluntati me semper subjicio. Si enim hæ quoque conditiones, quibus me ad exteras quoque civitates offero, legibus & libertati, adeoque fœderum quoque authoritati aliqua ex parte obesse possent, illis, ut hæc mea pro sua prudentia & consilio iminutent, liberum esse volo. Quod si vero ego, quem Deus Helvetium nasci voluit, qui denique communis Helvetiæ nomine non parva pericula, non exiguos labores sustinui, non tantum apud vos impetrare possum, ut Disputatio hæc a Badena ad tanta potentia & gloria instructas urbes transferatur, interim vero Eccii & Fabri (quos a primis annis Helvetiorum genti & libertati infensissimos fuisse constat) insidiæ tantum apud vos authoritatis obtinent, ut illorum votis & dolosis consiliis morem gerendum esse existimetis, cui non bonorum latissimum mala quæque suspicandi campum aperietis? præcipue cum Badenam mihi tam iniquam & periculosam audient.

Spero denique ex loci delectu facile animadverti posse, num ad disputationem hanc vero studio & pietatis zelo, & non insidiose potius, isti homines aspirent. Nec enim multorum sermones hic moramur: qualescunque etiam isti sint, disputatio tamen hæc mea de causa potissimum instituta est. Atqui nos quidem tres civitates vobis offerimus, quarum singulæ & gloria, & majestate, & potentia, omni denique commoditate longe præstantiores sunt, quam ea quæ mihi proposita est. Quapropter, si vero & sancto in pietatem et religionem studio istud consilii institutum est, loci mutatio illud mutare nunquam poterit. Interim vero omnes vos oro et obsecro, ne scripto nostro longe verissimo quisquam sese offendi patiatur. Dicendum omnino est, quod res ipsa jubet. Libera & aperta de rebus quibusvis oratio, veram pacem & benevolentiam conciliat. Hypocrisis & puerilior rerum enarratio semper vere infelicissimum finem sortiri & nihil non calamitatis gignere solet. Deus Opt. Max. tam Vos, quam honorem & incolumitatem vestram sibi commendatam habere, & ab omni discordiæ & dissidiorum periculo tueri dignetur,

Amen. Tiguri XXI. Aprilis. Anno
M. D. XXVI.

No.

No. XVII.

Wolfg. FAB. CAPITONIS.

Epiſtola ad Ludov. *(a)* Berum Canonicum Baſileenſem A. 1526. ex Mſſ. De Negotio Colloquii Badenſis.



GRatia Chriſti tecum & agnitio potentiæ ejus, Clariſſ. Doctor & Amice, ſuperioribus diebus ad me ſcripſit Oecolampadius, de libello ſuper diſputatione Badenſi edito ſatis ſevere & objurganter: Nimirum talibus libellis etiam vera referentibus nihil promoveri, multo minus, ſi vana oſtentent, qualia viderat in illo: Nunquam enim quenquam à ſe audiſſe, quæ tibi per authorem libelli tribuantur, tanquam aſſerta coram ſe: Cui reſpondi, quod res eſt, talibus libellis hoc duntaxat quæri, ut Acta in vulgus tandem exeant, nulliusque famam onerari; Tametſi tua interſit, ut teſteris hujusmodi à te non dicta cauſa ſecuritatis, ne cui malo hinc anſa præbeatur exhibendi tibi negocii, & cætera opinor in hanc ſententiam.

Interea Zwinglio libellum talem cum literis privatis proprio nuntio miſi, qui per occaſionem captus eſt, & ablatis literis ac libello cum dura quadam ad me Epiſtola Helvetiorum remiſſus eſt; Quid ſcripſerim neſcio, *(b)* auguror tamen gratulatum me viro optimo, quod ad Baden non venerit, ad tantum periculum, hortatum ut

O 2 for-

(a) De LUDOVICO BERO quæ ſufficiunt, indicata ſunt in ipſo Opere §. CVIII. pag. 311.

(b) Enimverò deinceps quod ipſe Capito ſuarum literarum ad Zwinglium datarum apographum receperit, liquet ex eo, quod apud me eſt,

fortiter in afferendo Chrifto pergat, cum admonitione Fabrilis technæ, quam putaram, imo prævideram, Cæfareum edictum jactaturum proximis Comitiis Badenfibus, quo fe Cæfar Evangelium funditus extirpaturum recepit, quod fit nunquam præftaturus Domino impediente, injectis undique remoris, (etiam id ipfum per fuos Gamalieles quos habet inter fuos Epifcopos & aulicos) tametfi fumus ejusmodi mediocres Respublicas turbet terreatque, quæ modo pedem videntur referre, mox fortiores redituræ. Præterea mittere me libellum de Difputatione, quem, ut de re gefta inftructior, adornare deberet convitiis Eccianis, quibus innocentiff. Oecolampadium ille profcidiffet: Nos editum curaturos, ut fic provocaremus invulgationem Actorum: Hujusmodi opinor literæ continent. Verum Faber, ut eft ore futili & jactabundo, pridie nocturno quodam convivio in Baden Marchionis exhilaratus horrendas minas efflavit, deprehenfas effe machinas noftras, patereque perniciofas artes, quas Bafileenfis Senatus magno nifu tentavit explorare, confectum atque excifum me prorfus, quem nuncium benignus Faber mihi curavit objiciendum, adacto ad hoc equite quodam, ut rem ordine mihi referret. Summa erat. Bafilienfem Senatum inexplebili odio me perfecuturum; Rem tacitus expendi: Sic mecum reputans, quid fi vera referat Thrafo ille, & Bero doleat calumnia libelli, quo ceu partim Lutheranus traducitur? Arrepto itaque calamo, has ad te delineavi, utpote amicum veterem ac familiarem præcipuum, quibus de animo meo teftarer: Sum enim qui olim, pacis atque ocii amator, quatenus cum Deo licet, qui foleam inimicos moleftiores per-

eft, ejus apographi exemplo, ipfius Capitonis manu fignato. veluti is quoque has ipfas literas eodem adhuc anno publicavit, fub titulo: *Epiftola* &c. V. in ipfo Opere §. CIX. p. 316. prouti illud apographum Capitonis manu, quoad fphalmata per defcriptorem commiffa correctum, propter rei memoriam quoque inter hæc Documenta Numero fequenti XVIII. referre voluimus tantò libentius quod ex ea Epiftola Capitonis ingenium & prudentiffimum & moderatiffimum collucefcat, & quam is ab Anabaptifticis deliriis procul abfuerit, cum tamen etiam recentioribus temporibus is per FECHTIUM, LOESCHERUM & alios, nefcio cujus cum Anabaptiftis collufionis temerariò fatis fuerit incufatus.

perferre ac vincere longanimitate, tantum abest ut amicos in me maledictis irritem. Tuum institutum nunquam mihi ita displicuit, neque ita intolerabile fuit, ut querundam, qui contentus tua sectari, in aliorum perniciem nihil acerbius hactenus es admolitus, diffides civiliter magis quam odiosè, quo nomine gaudebam quoque te præfectum Disputationi gubernandæ: Non dubitavi enim te authore per vim nihil gerendum. Utinam ista moderatione vulgus Papistarum suam fabulam saltasset, minus cruoris effusum quereretur Germania. Postquam igitur fieri non potest, ut sis noster totus & apertus Christi Professor, placuit nobis semper talem esse te, qualis es, quam ut multorum furori operam navares, qui nihil aliud nunc cogitant, quam ut innocentes Christi Professores è medio tollant. Proinde nihil causæ est, ut me volente tu traducaris odiosè, & si quid ejusmodi excidit, præter voluntatem & scientiam meam accidit. Quid igitur? Damnum daturum est Bero tam frigido libellulo? certe non est, major es, quam qui stipulis dejici de honoris possessione queas, Ego, quem Dominus variè jactavit, quam constanter contempsi multò graviores stilos, & acerbissimas contumelias, dum adfuisset occasio ulciscendæ injuriæ, neque hujus tolerantiæ adhuc pœnitet: Nam injuriam ultus odia multorum incurrissem & declarassem vulgo, dolere mihi spicula talia, qua persuasione semel suscepta, Myriades libellorum maledicorum fuissem expertus, quem odiundum susceperunt hac impetunt potissimum qua maximè patet: Vide etiam atque etiam ut rationem totam benè tecum supputes, ne quiddam simile tandem frustra deplores, dum studes accuratius tuam innocentiam assertam: Libellus obscurus est admodum, neque mihi dum ab integro relectus, nobilitabitur, graviter accusatus per te virum eximium authoritate & eruditione: Et est, quod ego me excusabo, ac tutissimè periculum propellam: Nam extra tela est, qui pleraque curavit scribenda, cujus fortè manum comperiremus, si usus feret; Quod si studium est depellendæ suspicionis adversæ, dent operam Proceres Helvetiorum, vel potius qui hanc Tragædiam per illos actores proposuerunt, ut Acta disputationis evulgentur. Lumen amant, quæ palam geruntur, & veritas vel secreta & in aurem immissa soli, publica judicia non reformidat.

 Pro-

Profecto rancidi libelli nemini sunt detrimento, si nullius bonam famam imminuunt. Hoc vehementer obest, quod Faber magnificis mendaciis passim gloriabundus deprædicabat, se vicisse, decrevisseque 12 Pagos Helvetiorum, Evangelium de finibus ipsorum ejiciendum, atque prohibendum vulgum a Lectione Novi Testamenti, quorum literas & ceræ signa hujusmodi decretum attestantia secum deferat Principi suo reddenda, quod ferè non dubitant esse certissimum. Jam verò, uti veritas & conditio Helvetiorum, qui verbum purè asserunt, tum apud eos unquam qui Fabri fabricam ignorant, vanitatis arguent. Probissimi Helvetii propter illius impudentissimi Fabri solidam vanitatem, sic mentientis illos pronunciasse sententiam, quam partim ex professo etiamnum impugnant: Nobis certè obscurum non est, quid Bernates, quid vestri imo nostri, Basileenses & quidam alii ea in re publicè meditentur. Verum sic sunt tempora, ut ignavissimis fucis apud cordatissimos sit tantum loci, tantum auctoritatis ac nominis; Erit quando technis minus tribuetur, modo sit aliquando sua dignitas futura Verbo Domini, quam certè potentia orbis hac tempestate nunquam excludet, quin oppugnata clarior elucescet semper. Hæc tecum libuit simpliciter & candidè, nolim tamen ut dicta putes metu, aut cavendi tantum negocii causa: Nolo enim quenquam quicquam mei causa vel omittere vel facere, quod in gloriam Dei, ad illustris Basileensis Senatus auctoritatem, aut ad Integritatem tuam spectet: Imò, si quis suggeret, quo pacto ipse eadem possem, partibus meis non essem defuturus. Quare observabilis Vir, esto liberum per me, ut id agas, quod acturus es, tantum annitere, ne quid præter gloriam Dei & absque decoro. Porrò, si quid est qua in re me velis, diligenter significa, multò diligentius id efficiam, modo sit quod Christianam Professionem deceat, sicut certè nihil, ut es vir bonus, petiturus videris, nisi æquissimum. Vale in Domino.

d. 8. Julii. Anno 1526.

No. XVIII.

No. XVIII.

Wolfg. FABR. CAPITONIS
Epiſtola ad
Huldricum Zwinglium
A. 1526.

Gratia tecum, dilectiſsime frater, Antichriſtus modo ſpeciem præbet ultimi conatus, nondum enim pronuntio an ſerio moliatur quæ præ ſe fert; Ratisbonenſi fœderi Cæſar mandatum dedit tuendi ſe auctoritate ſua cum magnifica pollicitatione propediem ſe adfore, Germanis ſeditioſam illam doctrinam (ſic Evangelium nominant) radicitus evulſurum. Episcopus noſter famam ſpargit ſe emere avenæ ſaccos octies mille in vicinis oppidis pro ingenti equitatu excipiendo Tabernas, atque hoſpitia inſcripſit, ædificat equorum ſtabula in ſingulis arcibus ſuis, ridicula conſilia, ſolida præterea non frangentur larvis; tametſi equeſtri excurſione lenta prœlia ducturi videantur, quod quidem conſilium quam illis tutum ſit ignoro, niſi omnino Dominus cor pavidum & ad motum foliorum trepidum dederit; Ferunt ad hæc, Brunsvicenſi Duci Heinrico datam poteſtatem atque mandatum impugnandi Saxones. Epiſcopi cupidiſſime plurima minantur, nam eſt eis vis ingentiſſima pecuniæ. Nihil dum apparet veri, Conventus Spiris inſtitutus talia conſilia confirmabit, atque in apertum producet, modo ſpes ſit illis victoriæ.

Expecto Rebus publicis acriorem digladiationem imminere quas ante diviſerunt. Nulla eſt Rhenanæ Provintiæ, quæ ex animo cum noſtra faciat, minores undique concionatores exauctorant metu perculſæ expectati mali; habent principes pro ſe edicta Cæſarea blaſphema, ne vel Scripturæ lectio relinquatur plebi, quæ quidem in ventum tandem abibunt. Sed ea, ubi nervus belli id eſt pecunia tyrannos non defecerit, ut ſunt propenſo animo ad nocendum, vicinis Rebuspublicis erunt materia bellandi. Nam dicturi videntur adverſarii, „Nos „ imperio Cæſaris juxta præſtita juramenta obſequentes prohibemus

„ novas

„ novas doctrinas, vos interim pergitis libere illas asserere, qua ex „ re noster quoque populus inficitur, necesse est, ut aut nos in ve- „ stram sententiam aut vos in nostram concedatis, ceterum, qui possu- „ mus voluntati Cæsaris ita jubentis repugnare? proinde, ut publicæ „ concordiæ consulatur, volumus ut ejectis concionatoribus pristinas „ cærimonias reducatis, quo possimus utrique edictis parere Cæsari- „ anis & in concordi religione iterum conjungi. „ Quod si ita egerint, quot putas perduraturas? certe rarissima erit; Argentina, Ulma, Norimberga in hac vicinia, & tres forte respublicæ apud Saxones & maritimas. Quæ in confinio Helvetiorum sitæ sunt eventum vestrum sequentur. Quantum modo spei de Helvetiis divisis istinc conceperint, nos hic experimur. Mutuam videres gratulationem ceu de certissima victoria, quem cursum *stulto hoc libello* remorati sunt, quo utcunque doli adversariorum ostenduntur: quod si humano consilio rem gereremus, concideremus plane, tanta timendi materia undique se aperit; verum, quia novimus quam profunde apud multos radices egerit Verbum, speramus multorum constantiam, à quibus qui modo ceciderunt propediem erigentur.

Nam sumptuosum & prolixum bellum non ferent, & mediocri nihil agent; summa summarum, pontifex cecidit cum suis satellitibus, exturbata existimatione ejus e pectoribus hominum quem leniter subfulciunt propugnatores impanati Christi. Hæc libuit de publicis turbis ad te, quas video perquam evanidas esse & minime duraturas, nisi quod molliores interim concidunt, sed fortiores resurrecturi novum bellum Gallicum timent, unde consilia pleraque in diem proferuntur. Interea Dominus verbum latius provehet: Audi novam versutiam Satanæ; Superioribus diebus ex Anabaptistis unus prorsus illiteratus ex Brunfeld (oppidum est sub ditione Senatus nostri) huc adductus est, is palam nos contumeliis proscidit, & professus est, se nos ad palinodiam redacturos. Adversarii in Senatu plausu magno stultum exceperunt, & curarunt nostris assentientibus ut ter aut quater coram senatu confertissimo ageremus; capita dogmatum sunt; „ Nullum magistratum esse Christianum. Pueros „ non baptizandos. Neminem pium suscipere arma posse ad impe- „ rium magistratus. Diabolum & impios omnes demum salvandos

fore

„ fore. „ Interea convicia in nos jactavit, impios esse papistas, nos impietate illos modis infinitis excedere, neque pejores nobis uspiam extitisse, neque etiam inposterum fore. Pronuntiavit interim, anno septimo adhinc ad diem adscensionis hora duodecima, in primo articulo horæ finiendum seculum hoc. Tandem post acrem objurgationem verbi, qua hominem gloriæ desiderio insanum flagellavimus, abmandatus est ad Brunfeld, hac lege, ne quid in vulgus de suis dogmatibus efferat, verum interea mira de se prædicavit, quemadmodum nos vicisset ac reddidisset elingues, atque eruditos omnes casuros præ spiritu suo; plerosque ad famam talem commovit. Senatus jussit ultimo, ut præfectus ejus loci hominem oppido ejiceret; Factum est; ejectus venit huc, heri adfuit concionanti *Matthæo Zellio*, & mox duo verba ægre elocuto reclamavit acerbissime; Prælecto enim loco aliquo Deuteronomii in eos qui Deo non audiunt, &c. Exorsurus sermonem futurum, dixerat. *Videte quanti periculi sit non auscultasse spiritui in scripturis loquenti:* tum ille Anabaptista, *Tu mentiris frater Matthae, in spiritum sanctum, præcipio tibi hujus virtute ut descendas & mihi de sensu spiritus veriora locuturo cedas locum;* Oboritur totius ecclesiæ commotio ad hanc unam vocem, civis quidam injecta manu furiosum ad magistratum perduxit, sequebatur ecclesia, quam *Matthæus* ægre partim retinuit, offert se nebulo ad pœnam talionis, atque ardentissime efflagitat, ut & nos in vincula conjiciamur quoad causa finem sit sortita. Exclamat de turri, prædicatores vestri cadent, imò jam ceciderunt. Vide, quantæ intemperiæ hominem simplicem & sibi confidentem agitent. Non nihil inde molestiæ sentiemus sed extra omne periculum, præmunitæ enim sunt ecclesiæ nostræ quæ summam Christianismi proprie norunt ac tenent probissime. Hæc tibi scribere libuit. *Lutherus* Suevorum syngramma in Germanicum vertit & commendavit magnifica præfatione in qua tu et Oecolampadius perstricti estis, cui velim responderi argumento tali per Oecolampadium quale ex ipso agnosces, nimirum ut rejiceret causam in Dominum nos eo modo tentantem, cum libera professione quanta dominus per illum præstitisset, ut propemodum supra hominem crederetur, proinde clementer huic malo mederi Dominum postquam eum reliquit

in tali errore & permittit ad tantam oblivifcentiam charitatis recidere ut tradat Satanæ, & Satanam dicat quos deberet lege charitatis pro fratribus agnofcere.

Nondum nobis copia facta eft nam impreffor Hagenauenfis ad nundinas usque vult celare, adornavi infidias & fpero me propediem nacturum copiam tum mox habebis, nam refpondendum erit. Mifi Oecolampadio quæ Lutherus in epiftola ad quendam fuum fectatorem; o humanam fiduciam! fic poteft erigere criftas et præ fe contemnere quemvis.

Orat impreffor nofter *το της Συζητησεως συγγραμμα*, fi quod habes ad nos mittas, aut certe ut hæc emendes, biduo potes pauculas horas operæ feriæ fubfurari, quas in hanc rem colloces. Nam vehementer opus effet ut *cataftrophe difputationis* (*a*) extaret. Oro vacuum hunc fratrem ne remittas.

Fama fed incerta vagatur primam Pannoniæ urbem a Turca oppugnatam his diebus, præterea fufos equites Suevici fœderis a Saltzburgenfibus. Adhæc Mediolanam arcem quinque millibus peditum cinctam quoad Borbonius advenerit qui Ducatum jam occupabit, quæ certo argumento funt, fatis alioqui fore quod agant homines tumultuofi. Si quæ de rebus Bernatum certa habentur aut fpes quascunque prævides, nos ut per nuntium hunc fciamus (effice,) Vale in Domino, fortiffime Chrifti miles & frater. Argentinæ XI. Junii 1526. Bucerus & fratres te falutant, præfertim Farellus.

V. Capito.

Huldrico Zwinglio fuo
in Domino Majori obfervando.

(*a*) Incredibile eft, quanta cum impudentia Faber has Capitonis literas cum eas in Germanicum idioma transferret atque ederet, in alienum fenfum detorferit: Ipfe Zwinglius Opp. Tom. II. fol. 598. refert, Fabrum his verbis de *difputationis cataftrophe* ita fuiffe abufum, ut Capitonem infimulaverit, quafi fcripfiffet: *Nos difputationem pervertere volumus.* Hunc enim in modum is hæc Germanicè reddiderat. *Dan es vaft noth feyn wird, das man die difputation verkeere.* Conf. ZWINGL. Opp. I. c. fol. 601.

No. XIX.

Theologorum ARGENTINENSIUM Epiſtola ad *Johannem Fabrum* A. 1526.

GRatiam Domini noſtri Jeſu Chriſti agnoſcere, optamus tibi, Magnifice Faber, Dedimus ad te XXIII. Maji literas, redditas non dubitamus, quibus oravimus te, obteſtatique ſumus, ut poſtquam illic depugnatum vobis eſſet, huc cum tuis commilitonibus, & nos, quorum fidem haud ignoras eſſe, quam in *Luthero* & *Zwinglio* editis libellis peſtilentiſſimam hæreſin infamas, erroris convicturus, advolares. Non quia id poſſe te arbitraremur, nam ſcimus, cui credidimus, & aliud Euangelion, ne ab Angelo quidem, nedum Fabro, Eccio, Murnero, ac iſtius farinæ hominibus audiendum; Sed ut quantum ad nos attinet, cauſam inſultandi, non dico nobis, qui tibi omni rejectamento viliores, quam laudati eſſe malumus, verum invicto & ſanctiſſimo Verbo Dei, quod certiſſimè prædicamus, amputaremus. Etenim plus quam glorioſè jactaſti te, in Dachſtein, anno ſuperiori, præſente Epiſcopo Argentoratenſi, ſi modo nobiſcum congredi daretur, os nobis minimo negocio obturaturum. Idem paucos ante menſes Auguſtæ quoque auſus fuiſti, licet præter gloriationes illas, nihil interim abs te factum, quod talem tibi eſſe animum, cuiquam fidem faceret, reſciverimus, tametſi in Dachſtein, illuſtris Princeps Georgius, Dux Brunsvicenſis & generoſus Comes Ludovicus ab Hohenloe, clementiſſimi Domini noſtri, Auguſtæ alius, qui his jure adnumeratur, affirmavit, nihil te vel in graviſſimo, atque æquiſſimo Senatu noſtro, vel in nobis deſideraturum, quo minus commodè nobiſcum, atque de controverſis dogmatis agere poſſes liberrimè. Adhæc nuper per libellos tuos, nobis omnibus, qui per Germaniam Euangelion regni prædicamus (tu nos Lutheranam vocas factionem) tanquam devicto jam Zwinglio, mirificè inſultas, ac vim tuam intolerabili ſupercilio minaris. Ne igitur, dum fumos illos, quis enim jam ignoret ingenium, ac ſupellectilem Fabri, fortiter contemnere pergimus, infimioribus

malè conciliari quidam fucum faciant, ceu parum Verbo Dei, quod tam constanter prædicamus, fidentes, te, aut tuum illud, non tam laudatum tibi, quam notum nobis, satellitium, formidaremus, unde ipsis suboriri suspicio posset, nostra non tam certa esse, atque cottidie affirmamus, operæ precium duximus, per has literas, jam pugna instructo & ferventi tibi, copiam nostri offerre, atque obnixè orare, si credas, malesanæ doctrinæ redargui nos posse, id facere haudquaquam conteris, impugnatæ à nobis superstitionis, tibi vetus religio vocatur, tantus vindex & propugnator. Hoc ipsum *secundo* (a) jam, & per hanc epistolam facimus, te per sacrosanctam gloriam ac quicquid omnino charum habes, obtestantes, si dignum existimasti tanto studio apud Helvetios agere, ut ista vobis tandem disputatio Badensis instituéretur, in hoc adversatus non solum sententiæ tuæ ipsius, quam Tiguri tuebaris, non licere nisi in generali Synodo, de negotio religionis disputare, sed etiam decretis Ro. Pontificis, cujus authoritas alias tibi admodum sacra esse solet, ut edicta Principum taceamus, hic in libera Imperii urbe, ne velis oblatum nostrum congressum respuere. Qualescunque enim nos sumus, non debes sane tantæ urbis salutem, parvo æstimare, Cui cottidie irremisso studio, ut cibum æternæ vitæ proponimus, quod tu præsentissimum toxicum calumniaris. Veni igitur, ac per Scripturam, qua sola universos veritati contradicentes, licet ἐπιστομίζειν, hujus, si potes, fac Senatui & populo nostro fidem, sic efficies, ut sumant de nobis meritas pœnas, ad quas nos ipsos toties obtulimus, si quisquam mortalium nos impostores, ac Verbi Dei depravatores convicisset, & ad tuam Ecclesiam, ultro & cupidè redeant, te perpetuò suum apostolum & servatorem prædicaturi. Ne verò caussaris, hic tibi parum commodum fore, de religione nobiscum conferre, dogmataque nostra convellere, testamur, ut & superioribus literis testati sumus, Senatui & populo nostro rem pergratam facturum, si id vel coneris, utut successerit, de quo si dubitas, experire id apud Senatum nostrum literis & vide-

(a) Miserant enim, quod in Opere quoque observavimus jam antehac quoque iidem ejusdem tenoris epistolam ad Fabrum, sed quam is non videtur respexisse.

debis nos tibi nihil vani esse pollicitos. Non securitatem modo, quam nemo unquam hic desideravit, sed & alia, quæcunque in re ad congressum hujusmodi commode requiras, exhibebunt, ut sis ipse sensurus, & veritatis studiosissimos, & humanitatis observantissimos. Cum item hæc urbs nostra, multo sit quam illud vestrum oppidulum Baden, ad hujusmodi rem, locus commodior, neque minor fructus, si verè, ab errore liberare homines, tuum propositum est, hic, quam illic possit fieri, denique non minus nobis quam Helvetiis debeas, adde quod etiam nobis arma tua tam terrificè es minatus, ut fœdum sit, pugnam affectantibus nobis, loco & tempore opportunissimis, tantum Imperatorem, exercitum habentem pugnæ copiam negare. Patere exorare nos, quod te tam æquis rationibus oramus, & veni, hic nobiscum congressurus, nisi enim hoc te exoraverimus, scito, orbi etiam testaturos, quod & superioribus literis significavimus, per nos non stetisse, ut Fabro fidei nostræ rationem coram redderemus. Proinde si non omnia quæ agis & moliris, fucus & dolus sunt, atque sanguinaria impostura, vides, quam te dedecebit, nos congressus tui, tantopere desiderati, non quam primo compotes reddere. Vale in Domino, & veni, ne & tuarum partium homines, minas & glorias tuas, fumos esse querantur. Dignare autem nos tua responsione, ut videamus, quid nobis à te & tuis expectandum.

3. Junii. Anno XXVI.

Prædicatores Evangelii Argentinæ, V. *Capito*, C. *Hedio*, Matthæus *Zellius*, M. *Bucerus*, et cæteri.

Magnifico Viro D. Johanni
Fabro, Canonico Constantiensi,
disputanti in Baden.

 No. XX.

No. XX.

W. F. CAPITONIS
Epiſtola ad Fratres Baſileenſes.
1527.

Eſt hæc Epiſtola CAPITONIS Conſolatoria ad Fratres *Baſileenſes* directa, digniſſima, quæ legatur; Neque verò eam ullibi extare recordor, niſi in ABR. SCULTETI *Annalibus Evangelii renovati* ad A. 1527. Decad. II. pag. 99 ſeq. unde eandem repetere voluimus, atque, ut hic legeretur efficere;

Capito fratribus Baſileenſibus.

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum in Domino fratres chariſſimi. Oravit hic frater, ut vobis aſcriberemus ſalutem, ac interim, ſi quid ad rem videretur, commonefaceremus. Utrumque ſuſcepi, & præſto, quatenus Dominus adeſt & ocium ſuppetit. Principio verò non poſſumus non judicare vos beatiſſimos, qui accepto verbi guſtu, de vetuſtate carnis, affliĉtionum beneficio repurgamini. Privatis enim ſermonibus quietum ſpiritum hauſiſtis, quo carent, qui uſu verbi luxuriantes, inani ocio noxiaque tranquillitate torpent. Facilius enim eſt, ſine aquis ſervare piſces vivos, quam ſpiritum tueri alacrem, inter pacem hujus ſeculi: quod affirmat, qui negat ſibi illum eſſe diſcipulum, qui ſublata cruce præeuntis veſtigia ſequi ceſſat. Diſcipuli meliore conditione non ſunt Magiſtro: illum ipſum ſunt perſecuti: & nos igitur jure perſequentur. Sic eſt ratio: ut nos mundum, & ille nos viciſſim exoſos habeat. Pari affeĉtu alteri in alteros, ſed exitu atque conſilio diſpares ſumus. Illi quidem, odio gloriæ Dei extimulati perniciem nobis admoliuntur: nos autem impulſi ſtudio ſanĉtificandi nominis Domini, id oderimus in iſtis tantum, quod miſeris mortem conciliat, & conditori creaturam vitiat, adeò felicitatem æternam pro ſubitariis illecebris, ſi ita ordo operum Dei fert, exoptamus ſedulo. Quid igitur? Ignominia notamini publica? Sed in ſplen-

ſplendidam iſtud gloriam facit, quæ inter electos Dei ſempiterna manebit. Auferuntur facultates, & fortunis omnibus ſpoliamini? Verum centuplum accipietis & vitam illic æternam poſſidebitis. Exulatis patria, & infami interim ſupplicio caditis? At in cœlo ſolida eſt patria vobis, ubi vita fruemini immortali: adeoque cum Chriſto, qui tyrannos morte ſua vincunt, citius alibi triumphant, quam corpus vel edaciſſimis flammis poſſint hinc abſumere vel etiam diligentiſſimi carnifices. Nam quod de dormitione ſanctorum ſcribitur, ad corporis otium pertinet. Ergo tantum abeſt, ut affligamur, conſtanti morte confeſſorum nunciata, quod animo gaudiis exuberanti prædicemus in illis gloriam ac potentiam Domini, etiamſi plurimi transmittantur quotidie ad Chriſtum. Nam videmus inde confirmari addubitantium pectora. Quanta itaque teſtificatio eſt exaltati Chriſti, quod qui nomine fidei præſtant, per magiſtratum contumeliæ cauſa inſigniantur nota aliqua, cujusmodi gloriæ loco merito habetur. Pauciores autem vobiscum perimuntur, quod ita Domino viſum eſt, ut ſtabiliantur ceu lenibus pluviis ac ſementis mollioribus plantulæ, in arbores maximas prodituræ. Neque dubito quin hæc Dei munera vobiscum, quam ego ſpiritu minore præditus vel prædicare ſuſtineam, auguſtiora reputetis: poſtquam deſæviente perſecutore rebusque deploratis quisque ſoleat in Deum promptus confugere, quam qui pace affluens, dotibus ampliſſimis præditus, vel ſummo conatu poſſit. Videor enim videre in abdito cordis veſtri vivam aſſurgere indies experientiam de clementia Dei erga vos, quia quotidie in acie conſiſtitis: ſicut experientia Dei præſentis exoritur certiſſima, quoties providentia patris aut ab inſidiis liberat, aut è diſcrimine ſurripit, aut eximit humanum timorem fortiori illo divino judicio. Maximè verò dum in guſtu malorum, ſed major ſenſus conſolationum: qui tum puriſſimus elucet, ubi electi cor exceſſerit omnia elementa, quali dote vos præditi eſtis, qui tanta concordia in Euchariſtia gloriam Chriſti intelligitis. Interea date operam, ut precibus a Domino efflagitetis, ne quid vos adverſus rationem gloriæ Dei & analogiam fidei amplecti ſinat. Nam variis undique libellis piorum ſimplicitas modo ſollicitatur: ut omnino opus putem cautiore ſententia, quæ eſt, ut ſpiritus, num

ex

ex Deo ſint, probemus: In qua & mirificè ancillabitur libellus *Martini Borrhai*, cui titulus eſt, *De operibus Dei*, quem oro ut accuratè & devotè perlegatis, id ex eo lecto amplexuri, quod ſpiritus calculo ſuo in animis veſtris comprobat. Nam cautio ſit maxima, nequid foris præ nobis feramus, cujus dogmatis non ſimus intus certiſſimi, alioqui enim ſine fide conaremur, quod ſanè peccatum eſt. Ex fratre Guithelmo, qui has pertulit, modum ac profectum Eccleſiæ noſtræ intelligetis, quem vobis, qui hic Domino ſervimus, diligenter commendamus. Dominus vos ſervet. Amen. Argentinæ. Septemb. Anno 1527.

No. XXI.

Reipublicæ BERNENSIS (*a*) Edictum in cauſa Religionis A. 1527.

WIr Schultheiss, klein und groſſer Rath der ſtadt Bern entbieten allen Geiſt-und Weltlichen, Prelaten, Aebten, Pröbſten, Dechanten, Leutprieſtern, Kilchherren, Pfarreren und Verkündigeren des Worts Gottes, wie auch derſelbigen Vicarien, des gleichen unſeren Schultheiſen, Schachtlanen, Vögten, allen den unſerigen in unſeren Landen und Gebieten wohnenden, denen dieſes Brief zukömt, unſeren Gruſſ, Gunſt und alles Gute zuvor, und thun euch hiermit zu wiſſen: Alsdann wir in vergangenen Jahren von wegen der zweyung und des Misſverſtandes, der in gemeiner Chriſtenheit erwachſen iſt, ein kurtz-getruktes Mandat euch in allen Kirchſpielen und Pfarreyen zugeſchickt und an die Kirch-Thüren haben anſchlagen laſſen, innhaltende, dasſalle und jede

(*a* Hoc Edictum nobis Anonymus Hiſtoriæ *Reformationis Biennenſis* ſcriptor ſuppeditat, in eadem illa Hiſtorica narratione, quam ſuæ COLLECTIONI inſeruit Doctiſſ. FUESSL. Tom. II. No. V. §. XV. pag. 310—314.

jede Predicanten in unseren Städten und Ländern nichts anderes, als die Lehre und das Wort Gottes des A. und N. Testaments frey öffentlich verkündigen und predigen sollen, wie dieses alles gemeldtes Mandat mit mehrern Worten lauter und klar enthält. Da nun solches Mandat eine gute weile bestanden und uns in der Zeit ein langes aus vielen Articklen bestandenes Mandat von andern Orten zukommen, welches wir mit den unserer Städten und Länder Botschaften auf nächst-vergangenen Pfingst-Montag zu halten bey den Heiligen geschworen haben, in der guten Hoffnung, dass daraus viel Friede und Einigkeit erwachsen werde. Nun aber hat solches gar wenig erschossen, sintemahl wir von Tage zu Tage gesehen und gehört, dass daraus je langer je mehr grosse Zweytracht, Uneinigkeit, Neid, Zank, Hader und vieles Reden bey den Unserigen allenthalben entstanden, desshalben wir sind bewogen worden, das erste und andere Mandat vor uns zu nehmen, und als wir dan solches Mandat eigentlich von einem zu den andern erdauret, und in dem letzt-geschwornen Mandat befunden, dass es in seinen Articklen zweyspältig, und je ein Artickel wider den anderen, und in vielen stucken dem Worte Gottes zuwider seye, ist unter uns das Mehr worden, das erst kurtz getruckte Mandat wieder vor die Hand zu nehmen, jedoch solches nicht zu beståttigen, es sey dann, dass ihr unseren Entschluss zuvor gehört und vernommen, und was bey euch das mehr an den Gemeinden worden, uns durch unsere gesandte Boten zugeschikt, wie ihr dann gethan habet. Nachdem wir dann euer aller Antwort eigentlich verstanden haben, haben wir vermerket, dass unter euch den unserigen zu Stadt und Land das Mehr worden, bey dem erst getruckten Mandat zu verbleiben, und dass gar wenige gewesen, die dem letzt-geschwornen Mandat angehangen. Aus dieser Ursache schicken wir euch hiermit das erst ausgegangene und getruckte Mandat mit unserem Stadt Secret-Insigel verwahret, und wollen, dass solches auf allen Cantzelen verlesen und hernach an die Kirch Thuren geschlagen werde, anbey dass alle, die sich des Predigens in unseren Landen und Gebieten unterziehen und gebrauchen, das Wort Gottes und desselbigen Lehre frey öffentlich und

unverborgen und unversperrt, und was sie mit denselbigen zu erhalten wissen, predigen und verkundigen, wenn gleich solches ihr Predigen den Satzungen und Ordnungen wie auch Lehren der Menschen (wer dieselbigen immer seyn möghten) widerwärtig wären, *dann was sie mit dem heiligen göttlichen Wortt erhalten mögen, darbey werden wir sie mit Hulffe der Unserigen, die mehrentheils darzu gute Neigung tragen, so viel uns Gott Gnade verleihet, handhaben, schützen und schirmen.* Wir wollen aber zugleich, dass niemand eigener Gewalt sich unterstehe uud fürnehme wider die sieben Sacramente, die Kirchen-zierden, Bilder, Ceremonien und dergleichen Brauche und Uebungen, imgleichen die Feyertage, das Fleisch und Eyer-Essen an verbotenen Tagen, die Ordnung und Reformation der Priester, auch die Ehehändel vermög unserer vormahls ergangenen Mandaten ohne unseren und der Unserigen zu Stadt und Land wissen und willen handle; und alsdann wir sammt euch den unserigen einen Eid des letsten Mandats halben auf nächst-vergangenen Pfingst-Montag gethan, erkhlären wir uns, dass welcher vermeynt demselbigen angehangen zu seyn, und die anderen desswegen für meineidige Leuthe achten und ihnen solches vorhalten wollte, derselbige an Leib und Gut solle gestraft werden. Damit aber die genannten Predicanten und Verkündiger des Wortes Gottes desto grösseren Fleis haben, dasselbige nach Innhalt des letsten Mandates zu verkundigen, gebeuten wir euch allen sammt und sonder gute Acht und Aufmerken zu haben auf die Predicanten, ob sie etwas predigen und verkündigen, dass sie nach dem Inhalt des ersten Mandates nicht mit lauteren und klahren Worten Gottes zu erhalten wüssen, und alsdann dieselbigen bey den geschwornen Eiden uns oder unseren Amtleuthen vorzubringen, damit wir dannethin wider und gegen sie mit Beraubung ihrer Pfründe auch anderen straffen zu handlen wissen. Wir wollen endlich, dass ein jeder dem andern christliche Liebe erzeige, damit niemand das seinige mit Gewalt oder ohne Recht von seinen Briefen, Siglen, Gewärden, Freyheiten und guten Gewohnheiten getrungen würde, und damit ein jeder Predicant und verkündiger des göttlichen Wortes gewahrnet sey, so ist an euch sammt und son-

sonders unser Befehl, solche Predicanten vor euch zu beruffen und ihnen dieses unser Ansehen vorzuhalten; Und damit männiglich hiervon Bericht empfange und demselbigen Statt und Folge thue, haben wir dieses in den Truck ausgehen lassen, damit es zu den anderen unseren Mandaten zu urkund und bestem verstand mit unseren aufgetruckten Sigel verwahret, an die Kirch-Thüren geschlagen werde. Geschehen am Montag vor der Auffahrt unseres lieben Herren Jesu Christi im 1527sten Jahre.

No. XXII.

Disputationis BERNENSIS A. 1528. celebratæ Indictio solennis. A. 1527.

Sunt Disputationis *Bernensis* d. VII. Januarii inchoatæ & d. XXVI. ejusd. mensis A. 1528. absolutæ Acta auctoritate Illustrium Reip. Bernensis Ordinum statim publicata, & quidem Tiguri apud *Christophorum Froschouerum*, quam Editionem in 4. d. XXIV. Martii ejusdem anni 1528. jam typis impressam, uti in fine libri legitur, ipse servo; Cum alioquin & apud Bernenses, nova quædam eorundem Actorum Bernæ 1608. 4. prodierit editio, quam Doctiss. RUCHATUS allegat *Histoir. de la Reform. de la Suisse* Lib. IV. Tom. II. p. 202. Nam &, sub medium seculi superioris *Christophorus Luthardus* adversus *Jacobum Schulerum* Sacerdotem Friburgensem & ejus Calumnias, quibus hanc Disputationem impetiverat eadem hæc Acta repetendo, suumque addendo Antidotum, eandem strenuè vindicavit. His igitur Actis cum solennis *Indictio*, quæ de Procerum ejus temporis pietate atque sinceritate mirificum specimen præbet ac testimonium exhibet, simul verò etiam quanta cum accuratione totum illud negotium fuerit institutum edocet, sit præmissa, tum eandem inde repetere, atque his Documentis inserere voluimus, unà cum articulis illis lingua *originali* sive *Helvetica* consignatis, de quibus ipsa fiebat disputatio;

Radtschlag unnd Uszschrybung
Diser Disputation.

Wir der Schultheis der klein unnd grosz Rhadt, genempt die zweyhundert der Statt Bernn, Embieten allen und yeden geystlichen unnd weltlichen, Prelaten, Epten, Pröbsten, Dechan, Chorherren, Lütpriestern, Pfarrern, Seelsorgern, Caplanen, Vicarien, Helffern, Verkündern des Worts Gottes, und allen andren priestern, Leyschen unnd Ordenns lüten. Darzu unsern Schultheyssenn, Tschachtlan, Vögten, Statthaltern, Fryweyblen, Amman, Weybeln, und andern Amptlüten. Auch allen unseren lieben getrüwen, unser Stetten, Landen, und gebieten, ynwonern, hindersässen, und unserer verwaltigung zugehörigen, niemants uszbeschlossen, denen diser brieff zukumpt, unsern gunstlichen grusz, und alles guts zuvor. Unnd fugen üch hiemit zu wussen: Wiewol wir hievor zu mermaln, vil und mancherley Mandaten, von wegen der zweyspaltung des gloubens, haben lassen uszgon: der hoffnung und zuversicht, solichs solte und wurde zu frid, rüw, und Christenlicher eynigkeit gedienen, Das aber biszhar nitt so vil frucht bracht, dann das fur und fur zwytracht, miszhall, widerwertig meinung, und unglych verstand uszgebrochen. Harfliessend usz dem, das die Predicanten allenthalben in unsern stetten, landen unnd gebietenn, in verkundung des Worts Gottes, unglychformiger uszlegung, und lere, sich gebruchend. Dadurch ein parthy disem, und die andre dem andren, sich anhenckt: und ein yeder was jm angnam, anmutig, und gefellig ist, beschutzen, handthaben unnd schirmen, wil: unermassen, und unerwagen Gottliche warheyt, unnd einfaltige meinung des waren Christenlichen gloubens. Das alles zerruttung bruderlicher lieb und Christenlicher eynigkeit gebirt: zu dem das darausz verderblicher nachteyl, lybs, seel, eer und guts, und abfal gemeines nutzes, frommen wäsens und stands, ouch Thyrannische regierung entspringen, Dem allem mitt hilff und gnad des allmechtigen, furzekommen, und den grund Gottlicher warheyt, Christenliches verstands und gloubens, furzebringen, und dem nach zeläben, rechtgeschaffen,

und

und in Gottlicher schrifft gegrundt Gotsdienst, zepflantzen und uben. Der menschen satzung (damit man Gott vergeben eeret) uszzeruten. So haben wir mit wolbedachtem einhällem Radt, ein gemein Gespräch und Disputation, allhie in unser statt BERN zehalten, angesechen: und deszhalb verrumpte zyt bestimpt, namlichen nachsten Sontag nach dem Nüwen jars tag, schierest kommend, sol yederman zu nacht an der herberg sin, nachvolgenden tagen die Disputatz zu volfuren. Zu welcher wir erstlich beschriben haben, die vier Bischoffen, mit namen, den von Costentz, Basel, Wallis, und Losen, deren Bistumb sich in unser stett und land strecken, „ Das die selben in eygnen personen, von wegen jrs „ ampts, als oberst seelsorger und hirten, die sy wellen geachtet und „ gehalten werden, allhie erschynen, und jr gelerten im Wort Got- „ tes mit jnen bringen, und zedisputieren anhalten, (a) und keins „ wegs uszblyben, by verlierung alles das, so sy Bischoffliches „ ampts, und wirde halb, hinder uns ligen haben. „ Demnach so ist allen und yeden unsern lieben getrüwen Eydgnossen und pundtgnossen, von stetten und landern, schrifftlich verkundung zugesandt, jr gelerten, geystlich und weltlich, welcher parthy sy doch, des gloubens halb, anhengig syend, auff die Disputatz zuverordnen, und abfertigen. Ob mit gottlicher hilff und gnad, gemeine Eydgnoschafft, so vorhin mit eydspflichten, so wyt sich lyb und gut, lannd und lüt erstreckt, vereinbaret ist, auch in eynigkeyt des waren Christenlichen gloubens, und rechtgeschaffen gottsdienst mocht gebracht werden: damit samenthafft die Eer Gottes, vorab, und demnach gemeiner Christenheyt wolfart gefurdert, und erhalten wurd: ungeachtet gehalten Disputation, zu Baden im Ergeuw. „ Dann uns und uch dernhalb nit genug beschehen, so uns „ uff vilfaltige nachwarbung, die Acta derselben wie sy in die fä-

 deren

(a) Hanc *formulam* citandi episcopos JOH. COCHLÆUS in Act. & Scriptis Lutheri ad h. ann. exagitat, tanquam *imperiosam & fastu quodam turgidam, ut quatuor* (quæ ejus sunt verba) *episcopos personaliter ita citarent ad comparendum, ut nisi comparerent simul cum doctis viris sacrarum literarum peritis, omnem jurisdictionem episcopalem in terris Bernensibus perdituri essent.*

„ deren geredt, nit haben mogen verlangen. „ Ouch nüt destminder in zweyung des gloubens beharret wirt. Wir wellen aber hiemit nit vermeynen noch verston, bemellt unser lieb Eyd, und Pundtgnossen, gemeinlich, noch sonderlich, zu haltung des so auff gedachter Disputatz beschlossen wirt, zebezwingen, noch sy von jrem furnamen zetrengen. So denne, haben wir gar eygenlich beredt, unnd entlich beschlossen, das in disem gespräch, „ khein an-
„ dre geschrifft, dann beyder Nüws und Alts testaments, so Biblisch
„ genempt wirt, und Gottes Wort ist, statt hab und gelten solle:
„ sonder das blosz, klar, und luter Wort Gottes, hierinn anzogen,
„ und gebrucht: und das es mit lerer verstand und uszlegung, wellich
„ doch die syen, nit solle ubergwaltiget, noch erlutert werden. Al-
„ lein Biblisch geschrifft mit Biblischer erklart, uszgeleyt, vergli-
„ chet, unnd die dunckle mit der heyteren erluchtet: „ Ouch niemants daruber, dann allein die gottlich geschrifft sich selbs, zeurteylen hab: „ die dann das Richtschyt, schnur, grundveste, und eyniger
„ richter, des waren Christenlichen gloubens ist Daruff und nach,
„ ein yeder Christenmensch, sin glouben und vertruwen, richten,
„ setzen, und buwen sol. Aller menschen thant, klugheyt, spitzfundigkeyt, eygen gutduncken, und meynung, hindan gesetzt. Und damit angesechne Disputation, des thogenlicher volstreckt werde, wellen wir von üch allen und yedem insonders, gehept haben, das jr mengklichen, so sich harzu verfugen wil, fruntlich empfahind, haltind und lassind, und kheinerley beleydigung weder an lyb, noch an gut, weder mitt worten noch mitt wercken zugestattind. Dann wir yedermam, frömmden und heymischen, fry, sicher geleydt, frid und volkomen sichrung, har zu uns, und widerumm hie dannen, an sin gewarsame, als wyt unser gebiet und herschafften langend, hiemit zugesagt haben, und vestenklich halten wellen. Und sidmal, gegenwurtig gespräch, furnamlich uns und üch zu gutem, ouch zu underrichtung, entscheyd, und vereinbarung geordnet. Wellen wir, daz al pfarrer, seelsorger, die so sich predigens undernemmen, und all ander geystlich oder weltlich, der seelsorg, und hirtung, der schafflinen Christi furgesetzten, die in unseren stetten, landen, und gebieten, wonhafft

sind,

sind, wellich parthy sy doch halten, sich har auff die angesatzte Disputatz verfugen, und gesprach haltind, by verlierung jrer pfiunden. Und damit mengklich der Schluszreden, so man disputieren wirt, erinnert sye, und sich guter zyt daruber beradten mög, schicken wir üch die selben hiemit zu. Daby, so lassen wir allen andern priestern und Leyen, so zedisputieren sich understan welten, fryen zugang, das zethund mogenn. Wyter so haben wir zu formklicher ynleitung, und fruchtbarem uszstrag, dises gesprachs, furschen, daz niemants geystlich noch weltlich, welicher, oder wannen har er sye, in diser Disputatz understande noch furnemme, unzucht, uffrur, zanck, noch hader, und khemerley gwalt, schmach noch laster, weder mit worten noch thatlich, zevolbringen sonders yederman sich tugenlich, fruntlich, und lieblich erzeyge, und halte, Als lieb yedem ist unser ungnad, und schwäre straaff, an lyb, und gut zu vermyden. Das ouch yederman so disputieren wirt, fry, unverholen, unverspert, on alle sorg, die warheyt gereden dorff, unnd niemants darumb forchten noch entsitzen solle. Doch das alle schaldt, und schmutz wort, ouch unnutz hadrisch geschwatz, damit die warheit verduncklet, unnd undertruckt, unnd die zyt verloren wirdt, vermitten beliben.
„ Und was dann auff solicher Disputatz, mit gottlicher Biblischer
„ geschrifft (als oblut) bewart, bewisen, erhalten, abgeredt, ange-
„ nommen, und hinfur zehalten gemeret, und beschlossen wirt, das
„ soll on alles mittel und widersagen, krafft, unnd ewig bestand haben: Ouch wir und jr, dem gestracks nachkomen unnd geläben, einanderen, daby alles vermogens (als vil Gott gnad gibt) handthaben, schutzen und schirmen, und niemants under uns und üch gestatten, darwider zereden, practicieren, thun noch handlen, heymlich noch offenlich, das zu hinderstellung, und entkrefftigung desselben reychen mocht, sonder das fur uns und unsere ewig nachkomen, stät, vest, unverbrochenlich und getrulich zehalten, all fund, arglist, geuerd, uszflucht, schirm, hilff, und was hie wider sin mocht, uszbeschlossen. Desz zu urkund, ewigem bestand, und gewarsame, mit unserm auffgetruckten Secret ynsigel verwaret. Beschehen Sontag, den sibenzehenden tag des Wintermanots. Nach der menschwärdung Christi Jesu unsers heylands, gezallt, tusent, fünffhundert, zwentzig und syben Jar.

Uber

Uber dise nachvolgend Schluszreden, wellend wir *Franciscus Kolb*, und *Berchtoldus Haller*, beyd Predicanten zu *Bernn*, sampt andren, die das Euangelium verjechend, einem yeden, mit Gott, antwurt und bericht geben, usz heyliger Byblischer geschrifft, Nüws und alts Testaments, auff angesetztem tag zu *Bern*, Sonnentag nach Circumcisionis, im jar. M. D. XXVIII.

I. Die heylig Christenlich Kilch, deren eynig houpt Christus, ist usz dem wort Gottes geborn, im selben belybt sy, und hört nit die stemm eines frömbden.

II. Die Kilch Christi, machet nitt gesatz und bott, on Gottes wort. Deszhalb all menschen satzungen, so man nempt der Kilchen bott, uns nit wyter bindend, dann sy in Gottlichem wort gegrundt und botten sind.

III. Christus ist unnser eynige wyszheyt, gerechtigkeyt, erlösung, und bezalung fur aller wellt sund. Deszhalb ein andern verdienst, der säligkeit, unnd gnug thun, fur die sund bekennen, ist Christum verlougnen.

IV. Das der lyb und das blut Christi, wäsenlich und liplich in dem brot der dancksagung empfangen werd, mag mit Biblischer geschrifft nit bybracht werden.

V. Die Mäsz, yets im bruch, darinn man Christum, Gott dem vatter, fur die sund der läbendigen und todten, uffopffere, ist der geschrifft widrig: dem aller heyligosten opffer, lyden und sterben Christi, ein lesterung, unnd umb der miszbruchen willen, ein gruwel vor Gott.

VI. Wie Christus ist alleyn fur uns gestorben, also sol er ein eyniger mitler und fursprach, zwuschent Gott dem vatter, und uns gloubigen, angerufft werden. Deszhalb all ander mittler und fursprachen usserthalb disem zyt anzeruffen, von uns on grund der geschrifft, auffgeworffen.

VII.

VII. Das nach disem zyt kein fägthür in der gschrifft erfunden wirt. Deszhalb all todten dienst, als Vigill, seelmäsz, Seelgiär, Sibend, Tryszgost, Jarzyt, amplen, kertzen, und derglychen, vergeblich sind.

VIII, Bilder machen zu vereerung, ist wider Gottes Wort, Nüws und Alts Testaments. Deszhalb wo sy in gefar der verernng furgestellt, abzethünd syend.

IX. Die heylig Ee, ist keinem stand verbotten in der geschrifft, sunder hüry und unkünschheyt zu vermyden allen ständen botten.

X. Diewyl ein offenlicher hürer nach der gschrifft, im waren bann, so volget, das unküscheit und hüry der ergernusz halb, keinem stand schädlicher, dann Priesterlichem.

Alles Gott und sinem
heyligen Wort zu eren.

Num. XXIII.

Ordinum BERNENSIUM
Literæ tres ad
Episcopum LAUSANNENSEM.

AD illustrem illam Congregationem Bernensem, quod Episcopi quatuor finitimi, quibus cum Rep. Bernensi propter viciniam quædam res erat, *Constantiensis*, *Basileensis*, *Sedunensis* & *Lausannensis*, fuerint evocati, ex ea quam modo dedimus Indictionis formula liquet, atque in ipso Opere est indicatum: De Lausannensi Episcopo *Sebastiano* de MONTEFALCONE, quædam itidem in ipso Opere à nobis sunt observata §. XC. pag. 241. Huic igitur uti arctior cum Bernensibus intercedebat necessitudo, quippe cum Bernenses ad ejus quoque Dioecesin referrentur, ita ad eum sigillatim Bernenses illam mittere Indictionem, eumque hortari, ut cum suis ei Disputationi interesse, & quæ è re veritatis atque ecclesiæ futura erant, unà decernere vellet:

Enimverò, cum is id è re sua non esse arbitratus fuisset, idque literis ad Bernenses datis excusatoriis significasset, tum hi altera vice suum urgere institutum, atque ne is suo deesset officio eum identidem instigare, atque denique cum vel ita morbum causatus, persuaderi non posset, dum ipsa adhuc durabat Disputatio, etiam novam ad eundem ablegare epistolam non desistebant; Quas omnes cum ab interitu nobis conservaverit Doctiss. RUCHATUS Tom. II. Hist. Ref. Helv. pag. 512-518. easdem inde repetere voluimus ac Lectoribus nostris exhibere:

A.

Epistola prima DD. Bernensium ad Episcopum Lausannensem data d. 27. Novemb. 1527.
Reverendo in Christo Patri & Domino,
D. *Sebastiano de Montefalcone*,
Antistiti & Principi Lausannensi,
D. nostro singulariter colendo.

SEse totos dedunt, Reverendissime Pater, Pastor vigilantissime;
„ Etsi elapsis diebus sæpiusculè propter præsentem fidei dissen-
„ sionem Mandata in publicum ediderimus, eâ spe freti ut nostræ
„ Ditioni subditos eo pacto in altam pacem & tranquillitatem repo-
„ neremus, inque Veræ Christianæ Fidei unitatem redactos, Deo
„ Optimò Maximo obtemperantes redderemus. Quod non tantum
„ fructus protulit, quin subinde dispar fidei intellectus profluxerit;
„ ob id generalem Disputationem instituere nobis conducibile vi-
„ sum est, quod ex libello, quem Vobis cum his transmittimus,
„ ediscere poteritis, obnixè precantes, ea quæ Paternitatem vestram
„ concernunt, (ut vestri est muneris,) adimplere adnitemini. Nam
„ herclè si quid per vos omissum fuerit, certum habeatis nos con-
„ tra vos acturos quæ necessitas & nostrum decretum exquirunt.
„ Ut autem Paternitati vestræ suisque Doctis Viris nulla occasio
„ detur ab hac Dissertatione se absentandi, omnibus & singulis per
„ præsentes Salvum conductum, commeatumque damus ad nos ve-
„ niendi, patriosque Lares revisendi, suis tamen sumptibus, com-
„ me-

„ meatuque erga alios servato. Hæc boni consulite, hisque locum
„ date, quum Paternitatis vestræ officium sit, non solum tondere,
„ verum etiam Christi oves pascere; Valete basilicè
Datum 27. Novembris (*) 1527.

Consul Minor Majorque Senatus Urbis Bernensis.

B.

Epistola secunda DD. Bernensium
ad Episcopum Lausannensem
d. 23. Decembris 1527.

HUmili recommendatione præmissa, Reverendissime Pater,
„ Pastor vigilantissime, Vidimus, perlegimus & intelleximus
„ ea quæ R. p^tas. V^a. literis nostris super instituta Disputati-
„ one respondet, Imprimis mentionem faciendo, R. p^tem. V. ægro
„ acerboque animo suscepisse fidei dubitationem exortam, quæ
„ coacervatis turbis ventilari debeat, absque auctoritate illius, qui
„ D. *Petri* vicem implere falsò asseritur, quum nec vitâ nec doctri-
„ nâ illi adsimilari possit, nec quantum culex Elephanto. Cæteros
„ Prælatos & Principes Christianos obmittimus, qui quantum
„ Reip. Christianæ prosint, aut consulant; omnibus, quibus veri-
„ tas cordi est, judicandum relinquimus. Quod autem Divini
„ cultus, veræque fidei doctrina sint in vulgus prodendi, vel illud
„ Evangelium demonstrat, quod Mundi Servator Christus Jesus
„ Discipulis suis in universum Orbem missis, omni Creaturæ Evan-
„ gelium prædicare commisit. Cæterum quod ad tam arduum ne-
„ gotium viros Sacræ Scripturæ peritos in promptu non habeatis,
„ non satis mirari possumus, quum & Pasturæ vestræ officium re-
„ quirat, Pastorale pedum ad oves retinendas semper paratum ha-

R 2 „ be-

(*) Ex his patet diem Indictionis non fuisse, uti *Sleidanus* & *Scultetus* perhibent d. 17. Decembris, sed Novembris, uti recte Auctor anonymus in collectione Fuessliniana habet: Et corrigi inde debent quæ pag. 338. sunt dicta de die 17 Decembris. Fraudi fuit, quod Acta habent diem 17 (*des wintermonats*) qui apud nos equidem est *Decembris*, apud Helvetios autem *Novembris*, quippe quibus December *Christmonat* appellatur.

„ bere, & veræ fidei pabulum illis omni momentò manducatum
„ præbere; Quo fit, ut nec brumæ intemperies, nec maris pro-
„ cellosa tempestas Ptem. V. ab invitatione hac avertere debeat, nec
„ in aliud tempus id prorogare possimus; Quocirca R. Ptem. V.
„ iterum atque iterum admonemus, precamur & instantissimè re-
„ quirimus, primis nostris litteris ob hanc causam illi destinatis sa-
„ tisfaciat, locumque det, ut non solum Pasturæ vestræ efficacia,
„ verum etiam commissi Gregis amor, in publicum prodeat. Gra-
„ tia & Pax Dei sit vobiscum, Amen.
„ Datum Die Lunæ 23. Decembr. 1527.

Consul Senatusque Urbis Bernensis.

C.
Epistola tertia DD. Bernensium ad Episcopum Lausannensem d. 12. Januar. 1528.

R*Everendissime Præsul*, Prævia Commendatione debita, Spes
„ nobis erat Paternitatem Vestram Disputationem nostram
„ ad illustrandam gloriam Dei & sinceritatem fidei nostrorum pro-
„ movendam, dumtaxat institutam, suo Consilio & auctoritate
„ non honestaturam tantum, sed & nobiscum moderaturam, quò
„ & decentius & majori cum fructu veritatis absolveretur. Consi-
„ derabamus enim hic cum officium *P. V.* tum nostra in eam merita.
„ Quid namque magis ex officio Episcopi, quam summam impen-
„ dere curam, quo suæ fidei commissi, in tempore cibum vitæ per-
„ cipiant, hoc est, Verbum salutis agnoscant? Quod quam fuerit,
„ non nobis solum sed toti ferè Orbi obscuratum, ne dicam pror-
„ sus sublatum, clamat inprimis vel Primorum in Ecclesiastico
„ Ordine vita. Ut igitur nihil æquè pium instituere nos potuimus,
„ quam exemplo *Beroensium* Ecclesiæ, Actor. 7. *Scrutari in*
„ *Scripturis de prædicato nobis Evangelio*; ita jure sanè optimo
„ de *P. V.* sperabamus, adjumento nobis, si non per se ipsam,
„ saltem per Doctos suos futuram studiosissimè, id quod certè &
„ nostra in illam studia atque officia meruerant. His perpensis,
„ non potuit nobis non molestissimum esse, non solum P. ipsam

„ non

» non advenisse, sed etiam quos miserat Doctos, insalutatis nobis,
» nondum ad finem Disputatione perducta, hinc abiisse. Erant
» & sitientes veritatis aures, & indubiè inter nos Dominus; qui se
» vel tribus in nomine suo congregatis adfuturum promisit. Jam
» cum illi, & sui, (nam esse Doctores Theologos intelleximus,)
» & *P. V.* (quæ præcipuum curare hoc, quod eam oravimus, ex
» officio debet,) officii immemores sese declararunt, tum expertes
» adeò omnis humanitatis, ut nobis significare abitûs sui caussas
» non sustinuerint, verendum nobis est, ut Sanctum Institutum
» Nostrum, quod illis tam displicuit, (ut ab eo præter ullam ra-
» tionem, & contra suam, & P. V. dignitatem furtim subduxerint,)
» iniquis suis præjudiciis sint infamaturi; à quo ut absterreat eos
» P^tas. V^a petimus, & Jure nostro requirimus. Si namque hujus
» quippiam auderent, prædicimus, id nos ita accepturos, ut procul
» dubio, favente Domino, futurum sit, quod tam eos, quam alios
» qui eâ in re ipsis consenserint, pœniteat. Monemus ergò in tem-
» pore. Reliqua quæ hac de re P.^tem V. scire volemus, perscribe-
» mus, ubi absoluta, favente Christo, fuerit nostra Disputatio. Ser-
» vatori Nostro Jesu Christo P.^tem V. commendamus. Datum 12.
» die Januarii 1528.

Consul Senatusque Urbis Bernensis.

Num. XXIV.

JACOBI *Monasteriensis* Sacrificuli Salodorani Epistola ad Amicum de Disputatione Bernensi d. 29. Jan. 1528.

VEritas ex ore adversariorum hausta quorum intererat eam celare, tantò est certior fideque dignior, quanto rarius, ut ex hostium ore hauriatur veritas usu venire videmus. Quum igitur JACOBUS ille hujus Epistolæ Scriptor, veritatis Evangelicæ hostis esset, & nihilo tamen secius hac Epistola veritati saltem historicæ perinsigne dederit testimonium, non potuimus

non eandem nostris hisce inserere Documentis, ejusque apud posteros conservare memoriam:

Videmus autem hic apertum & sine omni circuitione planum de *Ignorantia Cleri Romani* testimonium, ab homine Pontificio profectum, dum profitetur *eum nec scripturæ nec bonarum literarum fuisse studiosum*, unde factum sit ut hæc Disputatio tantam potuerit inferre cladem rei ecclesiasticæ: Deinceps non minus is disertis verbis testatur, quam *impietate vitæ adeo Clerici fuerint infames, ut scortorum quam studiorum fuerint amantiores.*

Sed & porrò, hic videmus insigne *eruditionis & dexteritatis* encomium tribui Reformatoribus *Zwinglio*, *Oecolampadio*, *Bucero*, quippe quos Episcopis & sacrificulis multis parasangis præfert auctor: Acceptam autem ferimus hanc Epistolam ABR. SCULTETO, qui eam primò *Annalibus* suis Dec. II. p. 136. inseruit, unde eam deinceps J. H. HOTTINGERUS Theologus Tigurinus dignam judicavit, quam insereret *Historiæ Ecclesiasticæ Seculi* XVI. Tom. III. pag. 649. &sqq. Prouti nostra ætate Doctiss. RUCHATUS eandem legi voluit in additamentis ad Tom. II. *Hist. de la Reform. de la Suisse* p. 519. sqq. Ipsa verò Epistola ita se habet

Clarissimo viro Jureconsulto, Domino SIGISMUNDO DE S. TRUDONE, Canonico & Custodi insignis Collegii apud *S. Victorem Moguntiæ*, Domino & Fratri suo observando.

„ S. P. D. Mirari te existimo, quidnam acciderit, quod serò
„ adeò ad vos scribam. Causam fuisse scito Conciliabulum vel
„ *dispuitionem*, (*disputationem* dicere volebam) *Lutheranorum*, vel
„ potius *Zwinglianorum* hæreticorum, Bernæ habitam. Utcun-
„ que enim negotia urgerent, præsertim Canonicatus apud *D.*
„ *Mauritium*, quem ante bimestre tempus Germanus meus mili-
„ tans inter Latrones Romæ mihi impetravit, (militum enim,
„ quam Cardinalium modò opera mihi utilior Romæ fuerat,) ut-
„ cunque, inquam, hæc & alia negotia me urgerent, subsistere ta-
„ men libuit: videreque, quò evasura esset rabies, & quam curæ
„ esset Episcopis nostris Ecclesia:

„ Sed quid dicam? Querimur partim de dexteritate hæretico-
„ rum, partim de conniventia Principum, permulti etiam fata in-
„ cusamus. Sed quod equidem dicere soleo, verissimè in his hære-

„ tico-

„ ticorum comitiis comperi. Ruunt res nostræ solâ nostrâ inertiâ,
„ & quia Litteratos nullos nostri Coryphæi alunt.

Effecerant quidem fidi nobis servatores Bernæ, & ii certè, apud
„ quos hactenus summa rerum fuit, ut & Episcopi, quibus est Ec-
„ clesiæ in illorum ditione jurisdictio, additis etiam minis, ad suam
„ Disputationem vocarentur, sed nullâ aliâ spe, quàm ut Eruditos
„ illi adducerent, qui hæreticos confutarent. Sed quid? Nemo
„ illorum vel ipse venit, vel Eruditos misit: Gallos quosdam misit
„ *Lausaniensis*; sed antequam congrederentur, revocavit eos. Venit
„ post aliquot dies Augustinianus quidam Frater; Provincialem sa-
„ lutabant, ac *Tragerinum* dicebant: Sed loquentiæ aliquid, eru-
„ ditionis ac eloquentiæ nihil in eo deprehensum est. Ubi enim
„ Scripturæ exigebantur, maluit abire, quàm disputare. Equidem
„ in eo nihil vidi, quàm Monachum, eumque frontosum, licet alii
„ nescio quid de eo prædicent. Clamosior alius, sed nequaquam
„ doctior Dominicaster, per dies aliquot strepuit ex Scripturis,
„ sed quam feliciter, hinc conjice. Probaturus Pontificem quo-
„ que esse Caput Ecclesiæ, adduxit id à Petro eum accepisse, qui
„ ideò fuisset à Domino vocatus *Cephas Caput:* sic enim se legisse
„ aïebat in vocabulariis. Vide, quales habeamus propugnatores:
„ & adhuc miramur, vulgò nos contemni, & passim multos à no-
„ bis deficere? Disputarunt præterea tres aut quatuor Sacrifici,
„ cum quodam Ludimagistro, quem † *Literam*, vocant. Non
„ malus homo, ut videbatur, quique unus plus studii præ se fere-
„ bat defendendi Ecclesiam & scripta Patrum, quam quotquot
„ fuerunt in illis comitiis. Sed deerant vires. A Fabro nostro,
„ Eccio, Roffensi, quæ tu scis, omnia, nequaquam tam firma aut ar-
„ guta, ut oportebat, in Hæreticos congesta, diligenter proponebat.

„ Sed Prælatorum & Capituli Bernensium audi constantiam.
„ Cum uno aut altero excepto, nemo eorum non agnosceret blas-
„ phemos illos hæreticorum articulos, omnibus tamen subscri-
„ pserunt singuli, idque in Capitulo congregati, tantum quod
„ indoctæ Bestiæ nihil possent hæreticis objicere. Si cordati fuis-
„ sent, vel mediocri dexteritate præditi, (ita valebat adhuc factio
„ nostra Bernæ,) si nihil aliud, ut in annum usque potuissent di-
„ spu-

† Est nomen Germanicum *Buchstab*.

„ sputationem extrahere. Sed sic decet nos poenas dare contem-
„ ptarum Litterarum, & neglectus studiorum. Horum verò in-
„ sanum consilium sequuti sunt in ditione Bernatium Monachi
„ & Sacrifici. Habent autem Parochias 304. præter ditissima quæ-
„ dam Cænobia & Collegia, fortè plus minus triginta, in fide Ec-
„ clesiæ perseverantia.

„ De Hæreticis fortè cupis ut scribam: sed quid mihi & tibi cau-
„ sam ingeram doloris? scribam de paucis. Facilis illis pugna fuit,
„ cum nulli instructi coram starent Antagonistæ. Ita paratos non
„ vidi, quin, si dextri homines adfuissent, & in scripturis versati;
„ si non in omnibus illos vicissent. (Quis enim vinceret quovis
„ Corinthio ære loquaciores? præsertim cum nostra omnia non
„ apertè ex scripturis probari possint,) remorati tamen fuissent in
„ dubio illorum conatus. O si vel unus *Erasmus* commissus illis
„ fuisset! vidi enim sæpè de responsionibus inter eos non convenire.
„ Vidi anxiè alii alium, quod diceret, suggerere. Vidi de germano
„ quorundam locorum sensu hærere. Ita instructo & dextro Di-
„ sputatori aptissimæ ansæ fuissent confundendi illos, auctoritatis-
„ que adimendæ illis, atque ita vastationem, quam invexerunt, re-
„ vocandi. Quamquam autem, si viros hæretici contra se habuis-
„ sent, cautius & consultius sua egissent. Suntque admodum qui-
„ dam eorum, qui ut solum *Zwinglii* vehementia tantum irâ exci-
„ tari potuerunt. Admodum enim ille continuò fervebat. Et
„ usui nobis fuisset & decorum, atque autoritatem illius immi-
„ nuissemus: Doctior tamen hæc Bellua est quam putabam. Na-
„ sutus *Oecolampadius* in Prophetis ille & Hebræa lingua præstare
„ videtur: Sed nihil illi ubertate ingenii & exponendi perspicuitate;
„ tamen in Græcis, si non major, par illi. Quid nunc impostor,
„ *Capito* valeat, non potuit dijudicari. Pauca enim loquutus est.
„ Plura *Snaphanicus Bucerus*, qui si eruditione & linguarum scien-
„ tiâ par esset Zwinglio & Oecolampadio, nobis magis metuendus
„ esset. Ita difficile commovetur Bestiola, & satis luculenter sua
„ proponit. Sed quid? Iniquissimè vides rem nostram compara-
„ tam coram exercitatissimis hæreticis. Unus & alter latravit sa-
„ crificulus, qui Vigiliis canendis, non Disputando, erant exerci-
„ tati, bonus ille Ludimagister *Littera* sanè parum litterata.

„ Quem

„ Quem autem eventum habuit Disputatio? Indignum nostrâ „ diligentiâ. Cum Disputatio finita esset 25. Januarii, utriusque „ Senatus decreto consultum est, ut omnes Aræ, Statuæ, Missæ, „ & quidquid Cultus divini & Ceremoniarum est Ecclesiæ in op- „ pido Bernæ, & omnibus Vicis & Pagis ipsorum imperio subje- „ ctis, ubi non major Populi pars id ferat, eliminentur, nec un- „ quam recipiantur. O tempora, ô mores, ô nostram socordiam! „ Quam facilè potuisset hoc malum caveri, *si studiosorum quam* „ *scortorum nostri Episcopi amantiores essent.* Sed dices: Nullane „ spes, hos nefariorum hæreticorum conatus refringendos? Certè „ perpauca. Nosti ferocitatem hujus Gentis, quam nihil aliud „ subvertit, quam quod Nemo adeò idoneus contra hæreticos pro- „ dire fuit ausus. *Lucernani* cum Primoribus Pagorum aliquot „ sedulò sanè navarunt operam: sedulìorem certè quam omnes „ Episcopi ut ista impedirentur. Sed dum malis adeò defensoribus „ nostræ partes apparuerunt, rudis plebs nudos quoque veritate „ arbitrata est, vicitque pars major meliorem. Nam *Tigurini* o- „ mnia possunt apud illos, quos scis & exercitatissimos esse dolis, „ & incomparabili pertinaciâ. Quid nunc faciant alii? Senatum „ quoque *Basiliensem* scis metu plebis suæ, quam incantat *Oecolam-* „ *padius*, non tam eruditione quam hypocrisi suâ, nihil posse. Idem „ paulo post usu veniet & aliis. Unum equidem timeo, paulò „ post Helvetios æque Pontificis excussuros jugum, atque excus- „ serunt jam pridem Cæsaris. Et utinam *Constantia*, & aliquot „ Urbes Imperii, non sequantur exemplum.

„ Res *Cæsaris* ferè sic habent in Italia, & Regis *Hungarorum* in „ Hungaria, sicut *Saxonia*, ut frustra in præsenti ab ipsis speremus „ hæreticos opprimendos. Nisi nos exscindi volumus, ad eas artes „ nobis confugiendum est, quibus primum crevit Ecclesia, eru- „ ditionem & mores aliqua saltem specie laudabiles. Sed de his satis. „ Domino *Zobelio* da has legendas, & conjunctas his da Domino „ *Leystro*, hortareque ut rem meam amet diligenter. Dominum „ *Rodolphum* dic pensionem *Lausaniensem* ad *Francofordium* empori- „ um expectare. Saluta amicos, & commenda me Domino De- „ cano. Vale feliciter cum tua *Hildegarde*, & pusione *Julio*. „ *Solothuri*. 29. Januarii. *T. Jacobus Monasteriensis.*

XXV.

JOH. OECOLAMPADII
ad Wolfg. Fabr. *Capitonem*
Epiſtola A. 1529. d. 13 Februarii
De Reformatione Baſileenſi.

BASILEENSIS Urbis Reformatio, equidem non ſine tumultu gravi ſuum accepit complementum, cum cives non vocati coirent ubique, à Magiſtratu ſibi non ſatisfactum eſſe quiritarentur, templa expilarent, imagines ac ſtatuas dejicerent, ipſumque Magiſtratum cogerent, ut ſe à parte minore, quæ Pontificiis adhæreſcebat, ſibique præterea in reliquos imperium arrogabat, ſepararet, atque hos ipſos pauciores oligarchiam exercentes miſſos faceret; Et, fuerunt quidem hæc talia quæ nullo pacto probata ſunt aut probantur à moderatioribus, qui potius ea voluisſent infecta, vel ſaltem tempeſtivius ac non tam flagranti ſtudio acta; ut tamen ſedatis fluctibus atque ſecundiore deinceps flatu vecta, præ reliquis ut commemoretur atque celebretur eadem hæc Reformatio ſit digniſſima;

Habet verò hic locum id quod THUANUS de tumultibus Belgicis Hiſtoriar. Lib. LXVIII. Tom. III. pag. 691. admodum prudenter obſervat; „ Altius penetranti & judicia divina, quantum „ homini licet rimanti in confeſſo eſſe Deum hoc facto Ordines, „ Populum, Regemque docere ac convincere voluiſſe, ſi tam grave „ periculum apud Hiſpanos cenſetur ſtatuas ac imagines lapideas ac „ ligneas frangere ac demoliri, quanti pluris apud ipſum Deum „ fuerit, ſpiranteis ipſius imagines, h. e. homines Chriſtiano no„ mine inſignitos, nullo ætatis aut ſexus diſcrimine, per tot crucia„ tus, poenas, exilia, tot annos miſerabiliter divexaſſe ac evertiſſe. „

Ut verò hæc ſe res habeat, iſta quam hic exhibemus *Johannis Oecolampadii* Epiſtola, uti ſine omni fuco eſt conſcripta, ita nobis genuinam delineat Reformationis Baſileenſis imaginem, quippe quæ ſuis quidem non caruit incommodis atque moleſtiis, viderique poſſet

poſſet admodum rixoſa, ita tamen ut in ſtatuas tantum omnis illa deſierit iracundia, Deusque etiam ex his tenebris mirabili ratione lucem eduxerit, quam ut diu diuque lucere faciat inter Baſileenſes, meritò vovent omnes.

Ipſam Epiſtolam depromſimus ex SCULTETO, Annalium dec. II. p. 185. &ſeqq.



Gratia & pax à Chriſto, mi frater. Iterum agendæ nobis ſunt Deo gratiæ, qui novos & graviores, incruentos tamen Eccleſiæ noſtræ motus pacavit, in magnam Antichriſti confuſionem. Malo nodo ſuus cuneus obvenit. Ubi enim Eccleſia noſtra intellexit, Proceres ſuos à Senatu auditos quidem, ſed non exauditos, imò repulſam paſſos, quum petiiſſent authores ipſos non ſervatarum promiſſionum e Senatu penitus amoveri: collecta in æde Franciſcanorum & expendens, quid poſthac periculi, ſi Ariſtocratia in paucorum tyrannidem degeneraret, memorque ſecum ſuæ libertatis, & cogitans, quid gloriæ Chriſti, quid juſtitiæ publicæ, quidque poſteritati ſuæ deberet, jam non, ut morem habuit, obſecrare & precari, ſed poſtulare, & Senatum ſui officii admonere, miſſis ad illum delectis ſuis in Curiam. Et principiò ſine armis occuparunt Curias quaſdam Zunfftiarum, bonâ hominum parte pervagante in foro & plateis, ne quid forte ab adverſariis inſidiarum ſtrueretur. Poſtquam autem dies inclinavit & reſponſum datum eſt, nominatos quosdam in re quidem Evangelica egredi debere è Senatu, in cæteris autem cauſis poſſe aſſidere, plebs magis exaſperata eſt, contemtam nimirum ſe videns, conteſtataque eſt ſe jam non Evangelii, ſed publicæ juſtitiæ tuendæ cauſâ adeſſe: intolerabilem ſibi poſthac tyrannidem: non detrectare tamen in aliis Senatus autoritatem. Et propterea mox totum armata forum occupavit, non quod opprimere Dominos vellet, ſed ut tuto & ſine periculo negotium tranſigeret. Hoc ſciens Senatus, non multo mitior factus eſt. Ita etiam ſequens dies alioquin Gentilium more inſaniæ ſacer, *Eſchermittwoche*, Carnisprivia

 vo-

vocant, vidit plebem ferventem, & in armis, Curias & forum occupantem. adversariorum autem nullus se opponere ausus fuit. Consul *Meltingerus* cum *Oeglino Offenburger* Senatore, clam conscensa navicula, nescio Senatu, elapsus est: quod illum sibi parum benè conscium indicavit. Adhuc tamen Senatus ad postulationem plebis obsurdescebat, & ad arbitros quosdam, qui in hac causa pronuntiarent, provocabat: quod tamen plebs non detrectabat, hac scilicet conditione; ut plebs ex publico ærario litiget & accuset, illi vero suo sumptu rei sint. Interim habita est magna portarum, turriumque vigilia: nec minor erat civium circumspectio, quam in medio hostium. Joannes *Irmus* plebis nomine apud Senatum oravit mira constantia & fide, & non minus plausibiliter apud plebem. Senatus itaque cunctando patientiam plebis frangere studebat, & in minoribus petitionibus occupabatur: Nam qua ratione & modo *Thilamonius* noster (G. Tyllmannii) summo templo restitueretur concionator, & similia cogitabant. Accidit autem, ut quidam armati perlustrantes civitatem ingrederentur templum summum, & cum Hellepardis quasi per lusum aperirent armarium idolorum, unumque idolum educerent, quod in multas partes statim collapsum est, & occasionem illis dedit & alia idola comminuendi, licet nihil se tale facturos cogitarent. Prohibere autem hoc cœperunt quidam Pontificii: unde nostri contendere, nedum pugnare volentes, egrediuntur. Sed nescio quis rumor aliis interim factum insinuavit. Statim enim ex nostris armati trecenti ex foro affuerant, fortasse anxii de his, qui rem tantam affectarint: hi vi irruperunt in templum summum, & omnia idola deturbarunt: & deinde perrexerunt in templum S. Petri, Prædicatorum, & Albani, nec non Huldrici similiterque in omnib. templis egerunt. Superveniebant Senatores, qui prohibebant: sed non curabantur. Imo audiebant graviter: „ De „ quo vos per triennium deliberastis, nihil efficientes; nos intra horam „ omne absolvemus. „ Quæ vox cum similibus ita eos terruit, cæterosque Senatores, ut jam prorsus nihil dubitarent, cedendum in hac parte plebi: unde mox omnia, ut postulata erant, obtinuit Ejecti enim è Senatu duodecim: *Meltinger* Consul hujus anni, Wilhelm *Zieglerus* tribunus plebis superioris anni, *Juncker Bernhardus Meijer*, alias Baldinsdorf, *Juncker Oeglin Offenburger*. Ex Curia, id est, tribu

tribu Croci, Oberrieth frater Præpositi in summo templo, & Lucas Iselin sororius Ludovici Beri: Ex Curia Clavis, *Hansz zum Brunn, Stathalter*, *Franciscus Beer*, Ex Curia Ursi, Andreas Episcopius, qui etiam ex Berorum familia, & Sylbergerus quidam vetulus, item *Joan Stolts* & Thurnisen: omnes insignes adversarii. Decretum, ut posthac communibus suffragiis creent scabinos, (quos vocant *Sechser*) singuli in suis Curiis, & posthac Diœcesium suffragio eligatur magistratus summus, & Senatores ejusanni confirmentur. Decretum, ut eo ipso die in civitate & agro Basiliensi tollantur idola, abrogataque sit prorsus Missa in omnibus templis ac domibus. Denique, quæ vel ad gloriam Dei, vel ad pacem Reipub. pertinent, cum Diœcesiis & ex plebe assumptis circiter sexaginta optimatibus, disponenda sunt absque ulteriori cunctatione. Atque sic his conditionibus plebs læta domum redit, sub ipsum noctis crepusculum. Hic multi fortassis, mi frater, nostris varia crimina imponent haud dubie, sed falso, Nulli nec obolum abstulerunt: tantum in templis ulti sunt injurias quasdam, ita nimirum volente Domino. In die cinerum, cum idola secta distribui inciperent pauperibus, quidam importunius illa petebant, ita ut vulnerarint se mutuò, eapropter visum est nostris, ut idola omnia in cineres redigantur eo ipso die Cinerum. Accensæ sunt igitur pyræ novem in campo Monasterii. Tristissimum, me hercle, superstitiosis spectaculum! *Sie hetten blut weinen mogen.* Et, ita sævitum est in idola. Ac Missa exspiravit præ dolore. Duodecima Februarii autem Diœcesii cum optimatibus Senatus consulta approbarunt, & conciliati sunt. Hodie in singulis Curiis plebeji denuo obedientiam exhibebunt. Mox assunt Tigurinorum, Bernatium, Soloturensiumque legati, Sed in tempore venerunt, confecto scilicet divina ope tempestive negotio. Vides, mi frater, ut res nostræ habent. Ipse tamen nescio, an magis quieti simus futuri. Ni fallor, plus laboris, plusque curarum nobis incumbet, quam unquam. Adversarii me fontem omnis hujus rei vocant. Sunt aliqui, abitionem parantes, ex quibus est *Glareanus*, homo ad maledicentiam & inepta scommata natus. Proficiscitur cum suis discipulus *Friburgum*. Ludovicus *Berus* ante mensem hinc abiit, Saluta fratres omnes, præsertim *Bucerum* ac *Hedionem*. *Eusebius* meus non tam valentulus est quam pro-

procerulus, catharro penè enecatur ac tussi. Forsitan Dominus illum puerum adhuc ad se vocabit. Saluta & uxorem. Basileæ raptim 13. Februarii, anno Reformat. 1529.

No. XXVI.

Ejusdem J. OECOLAMPADII
Epistola ad Wolfgangum Fabritium.
Capitonem 1529. die 6 Martii ex autographo.
De Ecclesia Solodurienſi.



Salutem in Christo. Hoc magis gratulandum est nobis Capito chariſſime ablatum missæ papisticæ excelsum isthoc, quo majori molimine fortis ille atrium suum munierat non expectans à veritate quæ fortior est se triumphandum.* Donet Dominus ut et hic & illic cetera quoque componantur & tales apud nos sint Ecclesiæ quæ cum rugas tum maculas nesciant & adjiciat benedictione sua Dominus, ut ex his odoriferis vineis propagines se dilatent. Speramus sane adversariorum novos conatus irritandos (*) & gloriam regni Christi fulsuram.

Jam serio & enixe precor ut diligenter circumspicias si Virum aliquem eruditum eloquentem coelibem paratumque ad gloriam Christi promovendam invenias, quem *Solodurum* mittamus ut & illinc perturbatur antichristus. Sunt ejus civitatis viri quidam optimates qui Apostolum optant, curaturique sunt ut audiri apud ipsos tuto possit & sic quam primum Satanæ tollatur impietas. Res hæc negligenda non est. Mitteremus illuc ex fratribus qui hic, sed invisiores sumus & adhuc domi res non satis adornatæ sunt, ita ut & hic detrimentum non parvum expectemus & illic parvum ex nobis proventum. Propediem vos inviset urbis nostræ Scriba qui

(*) Vult dicere *irritos futuros*.

qui ſuper hac re vobis loquetur latius, vellem vos præmonitos & Virum quempiam quem Dominus elegerit ad iter accingi. Mesſis multa & operarii pauci. Quis enim doloſos proditores & & ignavos ventres quibus plenus eſt mundus pro operariis habeat? ipſe nunc experior quid oneris ſit Eccleſiis episcopos quærere. Sæpe bonos & optimos refutat (*) plebs, deteriores (*) autem favet. Neque plebis utilis eſt electio neque primatum, niſi optime Chriſtum teneant & ejus ſolius gloriæ ſtudere velint. Hinc nimirum maximum periculum. Quam prodeſſet paucos eſſe bonos & ferventes quam innumeros tepidos. De his ſatis.

Placet quod *Bucerus Heſſorum* Principi ſcripſit, utinam pro ſuo arbitrio impetret, confido enim in Domino ſi audiri contingat nos, hinc & inde, fructum non parvum etiam hac occaſione fidelibus acceſſurum. Si Dominus me in miniſterio eo voluerit uti, obliviſcar parvitatis ac infirmitatis meæ ne ei obluctor ſi forte & hujus voti compos fiam videns tam pernicioſarum diſcordiarum finem.

Ceterum domus mea per gratiam Dei ſat bene habet, pater licet moroſulus auditu tamen Evangelii etiam ſenex tolerabilior efficitur. Uxor ea eſt qualem ſemper optavi neque aliam vellem. Non enim rixoſa vel garrula eſt vel vaga ſed domi ſua curat, ſimplicior, quam ut ſuperbiat, prudentior quam ut à ceteris contemnatur. *Euſebius* per omnia quietus puellus eſt, niſi quod famis ac ſitis ſordiumque impatiens quod & ipſum bonum ac gratiſſimum indicium bonæ valetudinis, pituitæ ac tuſſi obnoxius. Scripſi hæc ut petitione tua te non fruſtrer. Alius hæc ſcribentem rideret ſed amicus omnia boni conſulit. *Chunradus* miniſter meus iſthuc ſequenti hebdomada deſcendet; Tu cum uxore ac *Bucero* ceterisque omnibus bene vale.

Baſileæ ſexto Martii Anni 1529.

Oecolampadius.

(*) *Reſpuit.*
(*) *Deterioribus.*

No. XXVII.

No. XXVII.

J. OECOLAMPADII & SIM. GRYNÆI

Epiſtolæ Amoebææ De Grynæi vocatione Baſileenſi.

A.

JOH. OECOLAMPADIUS SIMONI GRYNÆO

Græcarum literarum Profeſſori, & pietate & doctrina celebri.

SALUTEM in Chriſto. Quæ ſuperioribus diebus hic acciderint, *Grynæe* doctiſſime, quum totus orbis norit, ocioſum foret loquaculis literis tibi obtundere τὸ ἐξέχειν. Alii utcunque interpretentur, equidem ſine numine patris cœleſtis minime eveniſſe, certus ſum: ita enim arcano ac miro conſilio res humanas temperat, ut curas noſtras parum frugiferas, & cogitationes inſipientes, ſua ſapientia declaret, impoſſibilia poſſibilia facit: & quorundam temeritate, operi pulcherrimo viam ſtruit. Diu, & non ſine ſcandalo, inter Eccleſiaſtas corrixatum eſt: nunc uno ore docetur Chriſtus. Eccleſiæ intra mœnia ſciſſæ erant, nunc conjunguntur: idola paſſim proſtabant, nunc cum cultu ſuo in cineres & voragines terræ conciderunt, nimirum à facie formidinis adventus Domini. Gymnaſium literarium negligebatur, nunc illud non modo inſtaurare, ſed nobilitare cogitamus, cupientes cum pietate bonas plantari literas. Atque ob eam cauſam, bonos eruditoſque viros, quotquot alere poterimus, advocamus, invitamuſque: juſtis etiam ſumptibus neutiquam parſuri, ſed dignis ſtipendiis incitaturi. Porrò quoniam per amicos cognovimus, quo pacto iſtic res tuæ habeant, & quam non abhorreat à ſynceritate fidei animus tuus, quæ pleriſque conceſſa non eſt: unde ſpei quippiam eſt, te quoque induci poſſe, ut huc migres, profeſſione Græcarum literarum functurus. Quod muneris hic obire ſi non detrectabis, dabimus operam, ut non pœnitendo ſalario hic agere queas, & ampliore quam ulli profeſſorum hactenus noſtri numerarunt, ita enim mihi de benevolentia Senatus perſuadeo. Tribunus plebis, nunc primariæ in hac urbe autoritatis, (*a*) ante annum cum legatum civitatis noſtræ apud Principem

a) Is eſt idem ille de quo in opere diximus, Jacobus MEYERUS, deinceps Conſul Reip. Baſileenſis Ampliſſimus.

pem vestrum ageret, morum tuorum suavitate, sermonis comitate, ac boni nominis fragrantia, adeò benè erga te affici cœpit, ut nihil non quod honeste poterit, tuo nomine, in tui gratiam facturus sit. Te enim (ut pios omnes) amat ac observat, etiam desiderat: eoque conscio tibi scribo, et per fratres Argentinenses scribi curavi, beatos nos existimans, si te collegam habituri simus. Quam vellem tibi commodum ac integrum esset isthinc solvere, & huc advolare. Equidem tametsi minimæ frugis homo sim, si nobis contingeres, nihil omitterem officiorum, quæ ab amicissimo expectantur. Multa sanè hic commoda habiturus esses. Cœlum salubre, urbs amœna, plebs nunc per Christum pacis studiosior, ac simplicitatis observantior, typographorum ad manum prompta facilitas, loci claritudo. nec dubito quin si laboris non pigeat, nobilium adolescentulorum catervam brevi collecturus sis, è quibus non parum tibi utilitatis. Habuit hoc perpetuò Basilea, ut doctis gratissima fuerit civitas. Quid putas *Erasmum* hic detinet? invenisset sanè & alibi locorum typographos. At quid te moror multis? Si liberum tibi est *Heydelbergam* relinquere, & animus huc migrandi, quamprimum vel ipse veni, vel literis tuis spem adventus tui nobis facias: & tum de stipendio, de laboribus, deque habitaculo tractaturi sumus. Sin minus tibi animo sedet, & addictus es tuis: ne sit grave humanitati tuæ, etiam id ipsum significare nobis, ut de alio cogitemus. nam expectabimus quid tu responsurus sis. Quod obsecro mox facias: poteris sane per Argentinenses, etiam nullo sumptu, certiores nos reddere. Ignosces autem audaciæ meæ, quod hoc mihi permitto, ut tanta abs te petere audeam. Verum excusabit me facile apud tuam sinceritatem, pietas animi tui, qui ut candidus est, non poterit non interpretari in bonam partem, quod in gloriam tuam, citra omnem fraudem agitur. Bene Vale, mi Simon, venique statim: vel, quid expectandum nobis, per literas indica. Basileæ, pridie Cal. April. Anno 1529.

B.

SIMON GRYNÆUS JOANNI OECOLAMPADIO
Suo ſal.

Scribit ad me *Jacobus Bedrotus* Pludentinus, (*a*) Argentinenſis profeſſor, amicus meus, datum ſibi à Bucero negocium, ut certiorem me reddat, conditionem mihi à Baſilienſibus offerri, Græce iſtic prælegendi, liberalem, neque conducturos alium, niſi nolim ego; ſtudium denique illorum erga me vehementer prædicans, monet ut quàm ocyſſime, quid facere cogitem, reſcribam. Equidem, quanquam ſumma Bedroto apud me fides eſt, ſumma etiam inter meos amicos autoritas, ut neque de iſtis promiſſis quicquam dubitem, neque communicare illi meam ſententiam verear: tamen eam omnem tibi, quàm illi exponere, viſum eſt eſſe commodius, ne longius ea vel tibi, vel ipſi Senatui foret ex aliis aliisque pervestiganda: ſimulque Bedrotus meus, & Bucerus, & tu ipſe quoque, labore hoc toto exoneraremini.

Erit id eo facilius, quod alioqui ſcripturus ad te neceſſario fueram: & περι Ευχαριστιας, quod dudum facere (nimis fortaſſe magnifice) promiſi, meam tibi cogitationem ſemel univerſam effuſurus. Nam illa mihi ſententia poſtquam ſemel inſedit, non ſolum non commota ab adverſariis eſt, ſed magis magisque placet: adeo profecto, ut qui mihi temperaverim hactenus, ne quis me duce eam ſequeretur, quod etiam Epiſtola ad te ſcripta cavi, jam poſthac illam profiteri non dubitem. Chriſtus Jeſus faxit, ut ne vos viciſſe, ſed veritas videatur, ac ut in humilitate timoreque Domini ſapiamus. De natura humana, quod ſcribis, corporis dimenſionumque rationem obtinere, cupio ut eum locum undique firmiſſime habeas communitum, ut conſcientiæ etiam ſuper eam petram inædificare tuto poſſint. Nam cæte-

(*a*) Fuit is eo tempore Profeſſor Græcæ Linguæ apud Argentinenſes, qui *Flori Hiſtoriam Romanam* non tantum, ſed *& Athenæi Dipnoſophiſtica*, unà cum *Chriſt. Herlino* emendatius edidit. Obiit A. 1536. V. CONR. GESNERI Bibl. Univ. & PANTAL. Proſopog. T. II. fol. 173.

cætera omnia consistunt, περι τροπων, quod ἐν μεσημβρια λυχνον διαζητοῦσι, omnem prorsus apud me fidem in hac causa amittunt. Sed de his satis. nam scribam alias.

Consilium urbis vestræ de Schola instauranda ut vehementer probo, sic de me sum vehementer dubius. Christum voco testem, non aliter me tecum de rebus omnibus deliberaturum, quam mecum soleo ipse. Primum omnium quanquam istud tenuius fortassis est, quam ut rationem habeat ullam, tamen considerandum esse puto, uxori, socrui, affinibus hæc est patria: quorum fortuna quanquam ita est ut in me respiciat, tamen nescio quo pacto solatio mihi sunt multo maximo, & ego illis (nisi fallor) majori, videbor patriam, parentes relinquere ego, isti filium. Verum ut hæc extra negocium sunt, sic minus me movent.

In meis viribus, in meo ingenio cardo omnis vertitur. Græca sic didici, ut aliud semper egerim, si quis exigat ut Græce loquar, Scythicam à me linguam exiget; scribere nunquam tentavi. Intelligo quæ lego fortassis magna parte omnia, sed non sine conatu & labore. Summa, rerum quam verborum aut linguæ peritior esse, haberique studui semper: neque ejus me consilii dum pœnituit. At qui hoc pacto est animatus, vix linguam recte docebit. Accedit illud, quod ætas mea jam hujusmodi est, quæ abhorrere propemodum à docendo incipit. Videtur enim omnino genus hoc totum profitendi suam quandam habere ætatem, dum ostentatio & contentionis calor viget, supra quicquid est, certum amat, solidumque studium, & rerum cognitione graviore solatium quærit. Excessi ego jam annum tricesimum quartum, miserque mihi videri incipio, nugis posthac si sit opera collocanda. quanquam nugæ fortassis sunt, etiam seria quibus occupamur.

Verum rei familiaris necessitas, illa summa, cogit quantumlibet infimam conditionem tentare. Atque ut intelligas non ita pridem captum hoc mihi deferendæ professionis hujus consilium, libros Galeni dudum omnes comparavi, & in Aristotelicis de natura libris ita jam aliquandiu fui occupatus, ut qui serio medicinam sequi, & vitam omnem in pulcherrima rerum illarum cognitione traducere decreverim: non quæstus gratia, Deus novit (sic enim de pectore meo so-

ſolum teſtari poſſum) ſed quia gravis illa profitendi ratio, moleſtaque eſſe videbatur, & major omnino quam cui diu præeſſe poſſem: & hoc ſtudium ſimul & pium, & multis utile futurum, & ad vitam reliquam ſuſtinendam ſatis idoneum putavi, tum ad ingenii mei rationem proxime accedens. natura enim ſcrupuloſiore & exacta rerum cognitione gaudeo, & quæ ab oſtentatione quam longiſſime abſit. Ad eam rem plurimum educatio illa ruſtica, & fortunæ tenuitas fecit. Iſtuc igitur dum animo volvo, relinquere meam illam conditionem cogitabam, & in iſtis Comitiis (a) quærere patronum aliquem, qui mea mihi ſtudia triennium ſaltem foveret, aleretque. Sperabam hoc pacto, imo polliceri poſſem, minime protritam vulgaremque rerum medicarum cognitionem indipiſci. Multum refert, quo te ferat ingenium. Sed dum patronum circumſpicio, & meam ſortem in omnes eventus libro, incredibile eſt quam me omnis deliberatio hæc habuerit ancipitem.

Facit primum περὶ Ευχαριςιας mihi non amplius diſſimulanda ſenſentia, ut locum tutum inter noſtrates, quod equidem ſciam, nullum habeam. & ut diſſimulare illam poſſim, et me ferre Princeps aliquis poſſit (quod utrumque tamen video impoſſibile) tamen aula terret, extra quam regreſſus quam ingreſſus eſt difficilior. Neque vero ſimul et efficere quod volo, & conditioni priſtinæ præeſſe poſſum. ita fit, ut patrono habeam opus: et tamen qui me ferre, vel quem ego poſſim, video neminem, quam calamitatem Chriſti doctrinæ debemus, quæ nos undique (Deo gratia) vel ejicit, vel certe excludit. Intelligis ingenium, intelligis animi voluntatem, & conſilium.

Jam illud eſt quod mirifice mihi ad vos migraturo obſtabit: Excitandum denovo ſtudium, magna novæ ſcholæ exſpectatio, gravis eorum qui urbe vel pulſi ſunt, vel ſponte veſtro conſilio offenſi diſceſſerunt, invidia, omnia in me incumbent. Facit etiam periculoſa inter ipſos Helvetios diſſenſio; quæ quidem omnia eadem illa animi con-

ſtan-

(a) Comitia intelligit Spirenſia quæ A. 1529. celebrabantur, quandoquidem huc referri etiam ſingularis illa *Grynæi* ex periculo quod *Jo. Faber* ipſi ſtruebat liberatio quam §. LXXXVII. p. 226. expoſuimus, debeat.

ſtantia ferenda eſſe, qua tu tuam fers conditionem, intelligo, ſi ulla in me iſtas ad res idonea ſit facultas. Experior quotidie meas vires, minus quotidie (ſic me Deus amet) reperio, quam ſperabam ipſe, quam tribuant amici. Animo concutior, quoties ad prælegendum acceſſi. Sunt hæc in illa parte. Nunc vide quæ ſint in altera.

Primum omnium, eſſe, ubi verbo Dei ſit locus, percupio, effugere Phariſæorum conſuetudinem vellem, eſſe tecum vellem, in iſta urbe vellem: in ea gente, quæ eadem & humaniſſima, & fortiſſima ſemper fuit: neque me ulla res moraretur, niſi me mei ingenii tenuitas, & toties periclitatæ vires ſuaderent, ut ab hoc munere mihi temperarem, ad ſtudium privatum quod me aleret deflecterem. Hæc ego nec lucri, nec liberalitatis veſtræ tentandæ gratia ſcribo. ſic mihi Chriſtus teſtis eſt. Sed ut tuo conſilio uterer: cui rem omnem ita committam, ut quicquid tu ſtatuas, id ego quantum omnino licet, ſim maxime ſecuturus, quod ſi mihi, literis, ſibi, veſtra Reſpub. velit bene conſultum, ſic ego cenſeo, ut à tuo conſilio nusquam deflectat. Vale. Heidelbergæ, Cal. Aprilib. 29.

C.

JO. OECOLAMPADIUS SIMONI GRYNÆO

Graecarum Literarum Profeſſori Heidelbergenſi percharo amico.

GRATIA & pax à Chriſto. Lectis quam diligentiſſime literis tuis, Grynæe dulciſſime, quantum exhilaratus ſim, quantum geſtierim, dicere non poſſum: ſpero enim Deum aliqua ex parte votis meis reſpondere, ut propediem ad nos migres. Nam dum confero, hinc quæ te abſterrent, & inde quæ te invitant, multo amplius momenti in his video ſitum, quæ te nobis ſtatuant, quam in his quæ à nobis abſtrahant.

Gaudeo ante omnia, animo te præditum ad divinam vocationem tam facile ſequaci, ut nec patriæ fines, nec parentum ac amicorum conſuetudinem ſpectes, morarive te ſinas, ſi quo vocet Dominus plane ſpes eſt, huc te, illo potiſſimum jubente,

accersiri. Quæ enim certior vocatio, ut quam si illuc, ubi suam gloriam, plurimorumque utilitatem per te promoveat, inviteris? Minime autem dubito, ut apud exteras nationes urbs hæc clarissima est, & primarii nominis, libera item, & Christo addictissima: ita si tuo in ea officio functurus sis, hinc veritatis puritatem ad multos ubere cum fructu dimanaturam. Est enim non nihil, candelam super candelabrum constitui.

Nolim autem te tibi ipsi terrori esse, ut immodica modestia animum tuum sic dejicias, quasi huic provinciæ impar sis. Permitte hoc meo & amicorum judicio, qui non ignorant, quid & quantum à te expectant. Si in te erramus, nostro periculo erremus. Græce cupimus ut prælegas, non injungemus tibi ad Athenas delicatas legationem, & proinde haud opus est ut causeris, quod facis. Neque molestum esse debet, quod adhuc ad annos aliquot pauculos in tua professione versandum, quam nos non sordidam, sed longe honestissimam utilissimamque esse arbitramur, etiamsi in ea consenescendum sit. tametsi nec iste animus noster est, ut in pistrinum perpetuum te mittere velimus.

Uteremur autem opera tua, donec ex te alia planta felix pullulet, cui lampadem tradas, quæque feliciter succedat. Tunc enim rei Medicæ idoneus futurus esses Professor. vel Galenum, vel Hippocratem, vel alium insignem ad Græcam veritatem cum judicio prælecturus: ita enim eam professionem institui desideramus. Vide annon & hac ratione, tuo instituto magis consulatur, quam si patronus privatus quispiam obtingat: quem tamen ægre comperies, quæ nunc potentium in bona ingenia fovenda iniquitas.

Minus vero te detineat æs alienum, si quod contraxisti. Loquutus enim sum ea de re Tribuno plebis, (a) viro cordatissimo & pientissimo, qui mihi de his sciscitanti & admonenti, respondit: etiam si floreni 60. vel 70. tuo nomine dinumerandi sint, ut à creditoribus libereris, civitatem nostram non negaturam. Imo hoc tibi certo polliceri possum, si huc migraveris, & deinde honestum sala-

(a) Is erat JAC. MEYERUS deinceps Consul Basileensis, plus semel jam laudatus.

salarium, ut cum uxore agere possis commode. ut taceam commodum, quod ex convictoribus accedere potest.

Deinde non gravet, quod quidam hinc migraverint: nisi fallor, brevi pœnitudine ducentur non parva. Nos illis carere poterimus. *Marius* & *Pelargus* autores malorum & tumultuum, ut aperti hostes Euangelii absunt: de quibus vindicavit me Dominus, cui ultionem permisi. *Glareanus* etiam ipse maledicentiæ morbo obnoxius, absens quam præsens utilior erit. Quod si & alii abscedant malevoli, tanto commodius habebit corpus, si ulcera purulentiam omnem excreverint. Nemo hinc vi exactus est: sed quoniam Christum hic regnare dolent, alibi degere malunt. Abiturus est & *Erasmus*, id facturus nimirum in gratiam Principum, quibus devinctus est. sed non perpetuo aberit, ut opinor. Verum in illos non respicimus, quandoquidem Academiam novam, & feliciorem meditamur.

Præterea non tibi soli incumbent labores omnes: nam & alios collegas in numero justo instituemus. Utinam autem nunc adesses, & bonos viros indicares, quos tibi adjungeremus.

Helvetios inter se dissidere, prorsus periculo caret. potentissimæ civitates confœderatæ sunt ad tuendam Euangelii gloriam: quæ repugnant, pauciores sunt & longe inferiores: agiturque apud illas non tam plebis in Euangelium odio, quam Oligarcharum tyrannide, quæ pœnam certo luet, ubi se aperte Deo opposuerint.

Itaque nihil video mi Grynæe, quod te morari debet: imo omnia te potius extimulare debent, ut oblatam conditionem non respuas. Accingere igitur ad iter: spero enim ubi veneris, pro sententia animi tui cessura omnia. Quod si omnino non licet, fac ut & idipsum quamprimum significes. De cæteris coram loquemur, si Deus volet. Is tibi angelos suos comites adjungat. Vale: Basileæ, 11 Aprilis. Salutabis ex me *Martinum Frechthum*, cui plurimum gratulor, quod Ulmæ Christum pie docturus est, cui si ad nos migrandi fuisset animus, prospexissem etiam de loco opportuno. Iterum rogo, ne Penelopes telam texas. Ascensurus, oro, ita res tuas componito, ut si res postulet, per nuncium expedire cætera, & singula advehere queas. Scis enim præter alias difficultates, itinera veritatis amicis minus tuta. Atqui Christus deducet, ac tuebitur suos.

Ite-

Iterum Vale cum uxore, & omnibus amicis. Nihil decedet ex his, quorum tibi ſpem facio.

D.

JOH. OECOLAMPADIUS SIM. GRYNÆO.

Græcarum literarum Profeſſori apud Heidelbergenſes, amico ſingulari.

SALVE in Chriſto: Mi Grynæe. In tempore venerunt mihi tuæ ad Bedrotum literæ nos non parum exhilarantes, & quaſi de adventu tuo certiores reddentes. Noveris itaque, te Senatus Baſilienſis decreto deſignatum hic Profeſſorem Græcarum literarum, id quod factum eſt 8 Maii. Miſſus autem eſſet ad te tabellio publicus, niſi bona fortuna jam ad iter accinctus Martinus ille noſter, obvius fuiſſet. Itaque hiſce meis non minorem, quam publicis literis fidem habeto; & advola quamprimum potes. expectaris enim à nobis magno cum deſiderio. Nam ubi veneris, etiam reliqua, quæ ad uſum gymnaſii pertinent, ordinabimus, ſi quo pacto inſtaurare valeamus. Sicut ſuperioribus literis ſcripſi, quo commodius hic vivere poſſis, honeſtum ſalarium tibi conſtitutum eſt. Et ad futuras nundinas Franckofordienſes creditoribus tuis quinquaginta floreni dinumerabuntur. Proſpiciemus etiam de domo tuis ſtudiis apta.

Itaque eam conditionem ne reſpuito. labores tolerabiles erunt, periculorum nihil: ubi adveneris, digna nominis expectatio, jucundus fratrum convictus. Cave arrogantiorem Norenbergam Baſileæ ſimpliciori prætuleris. Hic & Pietati, & Muſis locus ſanctior eſt. Funes ne ablaquees, ſed deſeces rumpeque moras omnes. Vale. Cætera Martinus. Agam omnia tuo nomine, quaſi res meæ eſſent. Iterum vale, Baſileæ 10. Maii. Supervenerunt obſignaturo & aliæ tuæ literæ per Bucerum, quibus ſumptum quem petis, indicas: de hoc ſcias nihil tibi adimendum, ſed adjiciendum potius. Veni igitur, hic domicilium habiturus. Vale iterum. *Phrygio* collega, qui literas reddidit, te ſalutat.

No. XXVIII.

No. XXVIII.

BASILEENSIUM Epistola ad MULHUSANOS.

MULHUSANORUM in reformando singulare studium in ipso Opere nostro §. XCVIII. pag. 267. 268. prædicavimus: Eorundemque simul in fide bonoque opere constantiam, atque in retundendis adversariorum calumniis prudentiam & moderationem §. CXVII. p. 348. 349. laudavimus:

Interea verò, cum simultas illa inter *Ottonem Binderum* & ejus collegam *Jacobum* loco citato commemorata, adhuc A. 1529. nondum sopita esset, OECOLAMPADIUS nomine *Ecclesiastarum Basileensium* exquisitam *ad Pastores Mulhusanos* mittere Epistolam d. VI. Novembris 1529.

Eam, quod singularis inde Reformatorum nostrorum conspicitur virtus atque pietas, posteritati meritò in exemplum ponenda, hic inter *Monumenta pietatis veterum* legi voluimus, addita illa fiduciæ professione, neminem quenquam Lectorum nostrorum id difficulter esse laturum, neque quenquam qui eam legere, perlegere atque relegere voluerit, se oleum & operam perdidisse unquam esse conquesturum; Adeò illa Parænesis est eximia lectuque & seria pensitatione dignissima (*a*)



(a) Legitur ea vero in Epistolis *Zwinglii* et *Oecolampadii*, Libro quarto fol. 202. et 203. unde eam hic repetimus.

OTTHONI, AUGUSTINO, & JACOBO,

Ecclesiastis Milhusanis, Ecclesiastæ Basilienses.

Gratia & pax Christi vobiscum. Tametsi charitas optima quæque sibi de fratribus polliceatur, & in bonam interpretetur partem, etiam si quid audiat de illis minus honestum: anxia tamen & sollicita de salute aliena non minus, quam de sua, si quid admonendo vel emendare vel commodare posse sperat, alienum a se arbitratur, si aut dissimulet, aut occasionem ullam negligat.

Eadem, Fratres ac domini in Christo charissimi, nos, quum de vobis (quos alioqui ob vitæ ac doctrinæ sinceritatem non vulgariter diligimus) quædam accipimus, quæ si vera essent, ut constanter asseruntur, non parvum incommodum, tum vobis, tum Ecclesiæ vestræ, si & non multis aliis afferre poterunt: Eadem scilicet charitas nos urget, ne silentio fortasse pernicioso fraterni officii obliviscamur: maxime cum vestra modestia facile dijudicet, quo animo quæque scribantur. Nos sane non ut nobis in vos autoritatem arrogemus, neque ut stomacho indignabundo indulgeamus, hæc scribimus: sed, quod a vobis vicissim expectamus, sicubi fuerit opus, id nequaquam erga vos negligere audemus.

Convenerunt nos quidam è civibus vestris, viri fide digni, qui tantum non lachrymantes, quoniam nos bene erga vos affectos norunt, narrarunt, tantas inter vos simultates gliscere, ut etiam pro suggestu vobis mutuum non parcatis, sed nominatim detrahatis, non sine magno plebis offendiculo, divinique Verbi contemptu. Obsecrabant autem illi per charitatem, qua sibi Ecclesiæ nostræ junctæ sunt, ut id mali nostra sollicitudine curaremus quamprimum è medio tolli. Itaque in hebdomadali congregatione nostra, cum hæc à quibusdam proponerentur, nullisque nobis non toto corde doleret, & quibusdam non minimis, frustra videretur vobis scribi, eo quod admonitiones quædam,

quæ-

quæ olim ab ipsis præcessere, (a) non solum nihil profecere, sed etiam contemptæ sunt: Attamen quandoquidem, quod nunciabatur, V 2 gra-

(a) Sic enim jam à nobis in Opere §. CXVII. p. 348. observatum est, quod Jo. OECOLAMPADIUS A. 1527. duplicem Epistolam, alteram d. 7 Septembris, alteram ejusdem anni mense Octobri, illuc ad Otthonem Binderum, Ecclesiasten Mulhusa-sanum miserit, quæ utraque, cum in eodem illo Epistolarum *Zwingl.* et *Oecol.* volumine rarissimo exhibeatur fol. 205 ex 207. digna est quæ hic non minus legatur!

Prior ita se habet.

„ In domino Jesu, gratiam & pacem. Mi frater: Etiamsi neque „ Argentoratenses fratres, quibus te percharum scio, te mihi com-„ mendarent, neque Milhusanus populus, quem suo verbo Chri-„ stus erudiri per te voluit, tam dilectus mihi esset: satis me fer-„ vor atque zelus, quo tua provincia strenue fungeris, me ac-„ cendunt, ut te diligam, colam, observem, tibique omnem meam „ operam, sicubi illa opus fuerit, addicam Proinde ne dubites, „ literas tuas una cum lucrubatione mihi fuisse gratissimas: partim „ quod eruditæ sunt, partim quod sincerum tuum erga me animum „ testantur, tametsi, ut nunc mea negotia sunt, libellum vix de-„ gustare datum est, & multo minus judicare, brevi tamen, si-„ quidem opus fuerit, pluribus scribam. Iam mihi consultius vi-„ detur, quamvis facillimum sit, non indicasse videri velle: quo „ minus arrogans censear, et vos facilius simultates subglilscentes „ deponatis.

„ Fieri enim solet, ut invitius post gravem conflictum „ a prælio recedatur, quam dum prælium vix initum est. Sane „ pacem sanctam & sinceram inter vos, ut maxime necessaria est, „ ita firmissime constare vellem. Scribo itaque Iacobo, ut & ipse „ quæ pacis sunt, quantum veritas patitur, sectetur.

„ Certe idolum illud Missæ, pietati veræ, quam Christus docuit, „ non consonat. Unde et nos his qui euangelium docemus, magna „ sedulitate instamus, ut abhorreat populus, quod tam pestiferum „ hactenus fuit. Speramus autem & Senatum propediem aliquid „ super re missaria definiturum, a quo tamen nos non pendebi-„ mus,

gravius videbatur, quam ut contemni vel debeat vel possit, placuit tandem omnibus, ut amice scriberetur vobis.

Id enim omnino Euangelicum, ut privatim inter se fratres admoneant, antequam quicquam attentent gravius. Gravissimum autem fuerit, si quos tanquam ethnicos & demortua membra negligant, sicque res aliorum, quasi nihil ad se attinentes contemnant. Quo nihil ingratius, nihil molestius utique esse deberet. Idcirco charitatis hortatu digni habiti estis, qui admoneremini.

At non censemus opus, vobis commemorare multis, quantum ma-

„ mus; A Verbo enim quod annunciandum suscepimus, discedere non licet. Cæterum te oro mi Frater, ut ita veritatem prædices, ne infirmiori & tardiori forsitan fratri insultare videaris. Efficacius docebis, siquidem charitatis fueris tenacissimus. Nolim te tacere, & minus clamare contra abominationes, sed admonuerim, ut necessarii collegæ, quibus potes viis, auxilium tibi jungas. Precandum erit Deo, qui est pax nostra, ut rem omnem in sui gloriam moderetur. Vale, septima Septembris. Anno, 1527.

P. S. „ Si Iacobus te accesserit, exhibe te humanissimum: vere oblitus, si qua intercesserunt iniuriarum, imo quære viam ut illum blande alloquaris: & si permittat, rem exponas. Scribe dein, ut res habeant, scripsi enim illi ut par est, et propediem etiam cæteri fratres scribent. Curate concordiam.

Posterior ita se habet.

„ Pax Christi tecum. Charissime Ottho, frater iste exul, fidelis ac pius, ne cuipiam onerosus sit, cupit artem aliquam manuariam addiscere, & spem habet, quod illic inveniat virum à quo edoceri possit: ea propter commendatitias à me petiit, quas lubens illi dedi & oro te per charitatem nostram, ut illi quatenus potes, adsis. Non est enim ex his, qui vagando aliis molesti sunt. Porro quod rarius ad te scribo, ne succenseas: nescis enim quantum mihi sit occupationum, & non videntur quædam tanta, ut & mihi & tibi tempus furer. Iacobus symmista tuus morositate sua nec tibi nec verbo oberit: modo tu, ut soles, strenue pergas, id quod absque dubio facturum te confido. Vale, Basileæ, 14 Octobris.

malum ſit Simultas, quidve incommodi ſecum adferat odium. Ipſi edocti eſtis, ipſi ante oculos vidiſtis, ipſi alios docetis, ipſi alios admonetis. Non eſt feſtuca contemptibilis, ſed tignum prominentiſſimum: & ſi quidem in aliis feſtuca eſſet, in ſacerdotibus tamen Chriſti tignum foret. Non eſt humanæ traditiunculæ contemptus, ſed totius divinæ Legis prævaricatio, & obliteratio.

Nam ſi lex & prophetæ in charitatis præcepto & recapitulantur & implentur. utique per neglectum illius, lex & Prophetæ repelluntur & exinaniuntur. Proinde ille qui in hac imprudens eſt ac oſcitans, quid ei cum Euangelio Chriſti & cum pietate commune? An non illi fabula & vanitas, quicquid habet ſcriptura? an non ludibrium Chriſtus ipſe, qui ſanguine ſuo pacem commendavit, odium infamavit? Atqui ut diximus, non docemus, legiſtis ipſi, ad plebem hæc & copioſiora teſtimonia protuliſtis ipſi. Per ſe palam eſt, quam abominabiles ſint Eccleſiaſtarum contentiones.

Hortamur autem in Domino, ſiquidem vera ſunt quæ narrantur (quæ vaniſſima eſſe optamus, atque etiam ſuperfluam hanc admonitionem) ne poſthac audiantur. Hortamur nihilominus vos, & vobiſcum etiam nos ipſos, ut expendamus bene, quo in loco nos Dominus conſtituerit: quanti in nos reſpiciant, quot ubique obſervatores, quot communes inimici, quot calumniatores, etiam ſi innocentiſſime vixerimus, quam tenellus grex, quanta undique diſcrimina. Negocium agimus non noſtrum, ſed Chriſti, idque non vulgare, ſed ſummum, quo etiam ipſe ut præcipuo functus.

Caveamus igitur ne functionem noſtram parvam putemus. Sed plane contemnemus, ſi non ea cum gravitate puritateque, qua decet, obibimus. Non enim hi ſoli verbum Dei cauponantur, qui adulterina dogmata ſerunt, ſed & hi, qui ſuis affectibus inter concionandum indulgent: dumque fratres invidia gravare quærunt, ſe invidia laborare produnt. Aut quis locus eſſe poterit contentionibus, ubi nihil aliud quam quod ad Chriſti gloriam pertinet, prædicatur? Hoc autem conſultum vobis, ut ſi quis frater abundet ſenſu ſibi ipſi primum abundet: & ſi habet quod Eccleſiæ profuturum &

proponendum, id sine fratris in eadem vinea, Christum fideliter docendo, laborantis, præjudicio proponat: ne dum zizania, quæ fortassis zizania non sunt, eradicare studet intempestivis studiis, simul etiam bonam segetem, non alterius tantum, sed etiam suam, imo neutrius, sed Christi conculcet.

Qua re quid deplorabilius? quid calamitosius? si diu laboratum fuerit, & jam jam messis ampla invehenda in horreum, suos labores incendere ac perdere, modo fratrem aliquo modo, vel irritando vel infamando noceat. Quis hos fideles dixerit operarios? quid dicet illis agri Dominus? At necesse est ut tales sint, qui simultatum morbo obnoxii.

Igitur dilecti fratres, per Christum, perque communem nostram docendi provinciam, perque omnia chara & sancta obsecramus, si quid humani in hac re patimur (ut sumus fragiles omnes, non valentes universos Sathanæ astus prævidere) post hac prudentius, purius, ac sanctius agamus. Ante omnia autem, omni odio posito, si quid admissum est, mutuo condonemus, propter Christum, qui decem millia nobis remisit: ut amicos & cooperarios Christi mutuum nos salutemus, agnoscamus, observemus. Et si quid inter concionandum inciderit quod alii displicet, non mox ad contradicendum coram plebe prosiliamus: sed prius convenientes, de scripturis & causæ rationibus conferamus: & qui scripturarum testimoniis inferior, cum gratiarum actione cedat per quem fit doctior & cujus causa potior, & siquidem res nullius momenti fuerit, tota sopiatur, citraque revocationem in posterum melius doceatur: sin periculosior, repastinetur, quod erratum est, quanta fieri potest prudentia, nolumus enim fratres confundi.

Porro his, quibus cor humile, & a spiritu superbiæ alienum: quisque non sua commoda ad suam gloriam, sed Christi honorem quærunt, facillimum fuerit. Etenim ut fons invidiæ est superbia, timens ne satis gloriosa sit: persuasaque tantum sibi accedere, quantum aliis decrescit: et tantum aliis decedere, quantum sibi accrescit, pari modo charitas comitatur modestiam animi, qui de se sublime nihil, de proximo autem sentit honeste,

gra-

gratumque habet, per quemcunque, vel quacunque tandem occasione prædicetur Christus. Quomodo & nos affectos esse decet, siquidem discipuli & præcones Christi esse, & non gravissimam iram Dei in nos provocare voluerimus.

Confidimus autem in Domino, hanc nostram amicam adhortationem, charitati vestræ non ingratam fore, & nos posthac felicioribus nunciis exhilarandos: nempe quod nihil dissidiorum, nihil simultatum inter vos audiatur: sed unanimitas, mititas, fraternitas: ita ut medius in vobis sit Christus, sicut promisit: & desit in die Domini, inimico laborum nostrorum, quo glorietur, & quod objiciat.

Quod si secus accidat, & nihil hæc nostra profecerit exhortatio, vix poterit nobis tristius quid nunciari. Nihilominus orabimus Dominum, ut inquietis humiliorem præstet mentem: suum autem præceptum, hoc est, charitatem servantes confirmet ac benedicat. & si quid præterea jusserit charitas, quod ad emendandum tale quiddam opus, etiamsi durum videatur, non omittemus, sive quidam è fratribus isthuc mittendi sint, sive alii quorum major autoritas, implorandi. Ecclesia enim vestra adeo nobis commendata est, non solum quia vicina & jure civitatis cum nostra confœderata: sed etiam quia hactenus fidei suæ ardore, nostræ plurimum profuit: ut illius salutem, incrementum & gloriam amplificari, & omne periculum vitari, non minus quam nostræ cupimus: & pro nostra virili debemus omnem operam impendere, ut vere Christianos fratres ac cives experiatur. Et ea propter intolerabilem illam Ecclesiastarum dissensionem, isthic sublatum iri cupimus: & si quid in nobis situm, ut tollatur, conabimur. tametsi bona nobis spes sit, jam pridem in gratiam vos rediisse, & datis dextris, unanimes: aut certe hanc nostram parænesin non sine fructu lecturos, & quamprimum de vestra concordia nos certiores redditūros, ac summa læticia affecturos Valete concordes in Domino, in quo & nos amate. Basileæ. 6. Novembris. Anno 1529.

F I N I S.

SUP-

SUPPLEMENTUM

ad Num. II. pag. 6. lin. 2.

(occurrit:) Niſi quod ERASMUS, in Epiſtola ad ejus Fratrem Stanislaum Thurzonem Epiſcopum Olmut-Zenſem directa, & A. 1525. d. VII. Februarii ſcripta, hujus faciat mentionem : V. Ep. l. n. 730. p. 851. *Scio quantum debeam incomparabili Viro, fratri tuo* THURZONI, *quondam Præſuli Uratislavienſi, qui me tam procul ſemotum, & ſplendidis Xeniis & amantiſſimis literis ad amicitiam provocavit: Ab hoc ære alieno non liberat mors creditoris. Memoria perſolvendum, quod ipſi perſolvere non licuit, Succeſſiſti in germani locum &c.*

INDEX IN UTRUMVIS TOMUM.

A. Designat *Introductionem.* B. *Tomum.* II. D. A. *Documenta* Introductioni subjuncta D. B. *Documenta* Tomo II. adjecta. S. A. *Supplementa* Introductioni. S. B. *Supplementa* Tomo II. adnexa.



A.

A*bbatiscellanorum* reformatio. B. 247. 324. ad eos, itemque Tigurinos & Scaphusanos reliquorum pagorum legatio B. 265. sq. Eorum ad illam legationem responsio 272. apud eos disputatio decreta quidem sed non instituta. 273.

Actio hominis num distet ab ejus forma? B. 398.

Adelman (ab Adelmansfeld) Pirkheimeri amicus. - - A. 169. 170.

Adolphus Anhaltinus, Episcopus Misnensis Evangelio inimicus. B. 46.

Ægidii Viterbiensis Oratio 1512. habita in Synodo Lateranensi. D. A. 46. sq. Ejus eloquentia laudatur 48.

Æpinus (Joh.) Hamburgensis Theologus & Reformator. B. 200.

Agesilaus victoriæ nomen victimæ jecinori impressit. - - - A. 2.

Agricola (Rud.) de eo, ejusque in literas meritis. A. 13. 14.

Ahenobarbus (Franc.) Reformator Gorlitiensis. B. 143.

Alberi (Er.) immite de Ibachio judicium. B. 153.

Albertus Brandenburgicus Borussiam sibi vindicavit. B. 101. eandemque reformavit. 101. 169. Apologiam edit adversus accusationes quarum insimulabatur. B. 169. cum Johanne Saxone fœdus mutuæ defensionis init. - - - - - 170.

Albertus Moguntinus & Magdeburgensis archiepiscopus. A. 63. 66. Indulgentiarum commissarius. 78. Ejus aula viros doctos fovebat. 159. Ejus summaria Instructio Subcommissariorum in causa Indulgentiaria. D. A. 83. seq. cum Luthero quamvis proscripto commercium instituit literarium. B. 42. 43. Vota conjugalia meditatur. 143. Ejus ad Leonem X. responsio. D. B. 13. 14.

Albertus (Joh.) Rex Poloniæ. A. 62.

Alciatus (Andr.) A. 23.

Aleander (Hieron.) Nuntius Papalis. A. 161. B. 14. 26. Legatus Pontificis in Germaniam. D. A. 146. 147.

Alexandri VI. Pont. Rom. mores impuri recensentur. A. 27.

I N D E X.

Alfonsus I. Rex Neapolitanus, A. 10. 21.

Aligerius (Dantes) de eo. A. 15.

Alstettensis Reformatio. B. 368.

Althamerus (Andr.) Noribergensis Doctor. B. 352. Ejus calumniæ de Disp. Bernensi sparsæ. 353.

Amandus (Joh.) Borussiæ & Goslariæ Evangelista. B. 101. Zwinglio favet. 201.

Amerbachii amici B. Rhenani. A. 193.

Americus Vespucius Brasiliam detexit. A. 61.

ab *Amore* Dei incipere debet pœnitentia. - - - - - - A. 221.

Amsdorfius (Nic.) J. Jonas & Hi. Schurfius Lutheri in itinere Wormatiensi socii. B. 27. Magdeburgensium antistes per annos octodecim. 83. 129. Goslariensi Reformationi subvenit. 201. Ejus Zelus intempestivus. ibid.

Amsterdamus (Joh. Timan.) Ecclesiastes Bremensis. B. 131.

de *Anabaptisticis* turbis in transcursu agitur & earum origo inter Helvetios panditur. A. 316. seq. de Anabaptistis Ulmensibus. B. 192. Anabaptismi semina in Frisia sparsa. 207. Anabaptisticus furor immania perpetrat. 325. In eos sumta supplicia non laudantur. 336.

Anhorn (Christ.) Civitatis Curiensis Thesaurarius Evangelium apud Curienses promovet. - - B. 249.

Anhornii (Barthol.) Palingenesia Rhætica laudatur. B. 249.

Annæbergensis Reformatio. B. 135.

Antverpiensis Monasterii Prior jam A. 1519. Luthero & ejus scriptis favebat. A. 258. ad Antverpienses Lutheri Epistola laudatur. B. 138.

Aportani (Ge.) pro Evangelio studium. B. 21. 22. Ejus tractatus de mysterio Eucharistiæ. 175.

de *Appellatione* Academiæ Parisiensis à Concilio Lateranensi. A. 36. Appellatio Academiæ ejusdem adversus concordata Bononiensia inter Leonem X. & Franciscum I. D. A. 60. seq.

Aquila (Casp.) Reformator, de eo. A. 166. B. 100.

Aquilejensis Reformatio Bernensem secuta est. B. 362.

Arbenensis Reformatio. B. 368.

de *Arbitrio* libero sententia Lutheri. A. 212. de arbitrio servo liber ejusdem laudatur. B. 138. 139.

Arbogastus (Adolph.) Reformator Hanoviensis. B. 144.

Archeteles liber Zwinglii, cur ita dictus? S. B.

Arcimboldus à Leone X. præfectus Indulgentiarum nundinationi. A. 77.

Aretinus (Leon.) de eo. A. 16.

Argentinenses sibi vindicant typographiæ inventionem, sed frustra. A. 5. Argentinensis Reformatio. B. 54. 110. Argentinensis Reipubl. in Evangelio promovendo laus. 75. seq. de Argentinensis Episcopi actione adversus Senatum. 118. 119. Argentinensium apologia pro reformatione. 110. Eorum pastores matrimonium legitimum misso cœlibatu contrahunt. 113. Eorum urbs perfugium fratrum exulum. 127. Eadem propter decretum Reformationis è catastro urbium Imperii est exclusa. 218. Argentinensium Canonicorum Decanus Sigismundus Hohenloënsis Evan-

Evangelio favet. 157. 158. Argentinenses A. 1525. formam celebrandæ Eucharistiæ definiunt. 157. Iidem A. 1528. & 1529. reformationem stabiliunt invito Episcopo & Canonicis. 204. 205. Eorum cum Helvetiis A. 1529. pactum singulare fœdus. 219. - - - - - Fabrum evocant ad disputandum. 317. Eorum Reformatio Helvetiis fuit addictissima. D. B. 68. ad eam spectantia quædam Documenta. 69. seq. Argentinensis Senatus exhortatio, ut ministri soli verbo Dei doctrinam suam inædificent. 72. Argentinensium Reformatorum Epist. ad J. Fabrum provocatoria ad disputationem. 115.

Argyropylus Doctor græcarum literarum. A. 12. 140.

de *Aristotele* judicium Lutheri. A. 88. adversus eum theses Lutheri. 137. 138. Ejus auctoritas Ecclesiæ noxia. B. 11.

apud *Arnstadienses* in Thuringia annunciatur doctrina Evangelica 1522. B. 87.

Arroviensis Pax inter Reformatos & Pontificios. B. 396.

Ater an albus sit, nescio, adagium. A. 324.

Athesina vallis, (vulgo *Etschland*,) de Lutheranis in ea. B. 83.

Augustanæ urbis primus Evangelista Oecolampadius. A. 260. in ea Evangelium prædicatur. B. 77. Ejus reformatio per Jo. Speiserum promota. 108.

de *Augustano* colloquio inter Cajetanum & Lutherum. A. 225.

Augustinus num fuerit Monachus. A. 187.

in *Augustum* & Mauritium A. 1548. Electoralis est translata dignitas. A. 63.

Aureæ rosæ donum à Pontifice Principibus missum. A. 231. est munus singulare. D. B. 10.

Auricensis primus Evangelista Henr. Brunus. B. 21.

Aurifaber (Egbert) avus Ubbonis Emmii. B. 178.

Aurogallus & Bugenhagius Lutheri in transferendis Bibliis commilitones. B. 90.

Autographa Lutheri sunt libelli ipso vivente, & sub ejus auspiciis emissi. B. 99.

Avenionensis (Lamb.) cum Zwinglio contracta amicitia. A. 278. Ejus elogium. 278. Ejus colloquium cum Zwinglio 1522. institutum de Invocatione sanctorum. 278. Ejus Paradoxa Cæsari exhibentur. B. 211. in causa Eucharistica Zwinglio accessit. B. 216. vid. *Lambertus*.

B.

per *Badensem* disputationem Joh. Eckii conamina sufflaminandi reformatorum consilia. B. 276. eam Tigurini refugiunt. 280. de eâdem disputatione ao. 1526. 306. seq. ejus acta difficulter à Pontificiis sunt publicata, nec satis fideliter. 313. 314. Eorundem actorum inspectionem Basileenses & Bernenses frustra expetunt. 323. de Badensis colloquii negotio. D. B. 107.

Balingius (Nic.) Scholæ Curiensis præfectus reformationem promovet. B. 305.

Balmæ (P.) Episcopi Genevensis, raptus puellæ &c. B. 365.

Bandellus scriptor historiarum Tragicarum. - - - - - - A. 205.
de *Bannisiis* (Jac.) Hutteni amicus. A. 159.
Barbarus (Herm.) de eo. A. 15.
Barnimus Pomeraniæ dux Luthero favet. A. 255. idem & Georgius Pomeranus Evangelio faventes. A. 65.
Bartholomæus & Herm. Bereboem subcommissarii erant Tetzelii. A. 81.
Barzinonensis fœderis inter Cæs. & Papam summa. B. 216.
Barzizius (Casp.) de eo. A. 16.
Basilea A. 1501. fœderi Helvetico accessit. A. 62. Ea jam 1522. multos Evangelii confessores habebat. B. 256.
Basileensis confessio variata & invariata. B. 235. - - - Magistratus in reformando moderatio laudatur. 268. 269. - - - disputatio G. Farelli, ejusque theses. 269. -- disputatio de matrimonio & cœlibatu. 271. ordinatio ecclesiastica. 381.
apud *Basileenses* A. 1525. Evangelii successus. B. 268. 270. 293. 371. sq. Ipsi reformationem promovent, sed cautè, propter optimates plurimos Papismo adhuc faventes. 345. 346. Basileenses cives reformationem urgent. 368. eorum ad Mulhusanos epistola. D. B. 154.
Bavariæ principes Evangelio infesti recensentur. A. 65.
de *Bayreuthensi* Reformatione. B. 121.
Bedda (Natal.) eruditionis hostis, Fabri Stapulensis adversarius. A. 24. 177. Idem adversarius Erasmi. 24. Ejus annot. in Erasmum & Fabrum inter libros rariores recensentur. 177.
Bedrotus (Jac.) Prof. Argentinensis. D. B. 146.
Beierus (Leonh.) Lutheri respondens in disp. Heidelbergensi. A. 213.
Bellarmini testimonium de corrupto Ecclesiæ statu, tempore Reformationis. A. 25. de doctrinæ Lutheranæ progressu. D. B. 146.
Beneficia Gallis non sunt à Rom. Pontifice petenda. D. A. p. 60.
Bereboem (Herm.) subcommissarius Tetzelii. - - - - - - A. 81.
Bernensium in Papatu superstitio incredibilis. A. 124. Eorum edictum primum in reformationis causa anno 1523. B. 238. in agro Bernensi Reformatoris Ge. Brunneri laus. 238. Bernensis reformationis progressus. 251. 264. 344. Ejus impedimenta. 251. in agro Bernensi abbatia Königsfeld reformatur. 251. Bernensium procerum decretum 1524. sapientissimum circa reformationem cœnobii Königsfeldani. 252. Bernenses Lausannensi episcopo adversantur. 255. 263. in uxoratos sacerdotes æque ac in scortatores decernunt graviter. 263. Eorum decretum religionis tertium. 263. decreta nova in rebus religionis. 264. novum de religione edictum 1525. edunt. 291. Eorum studium pro concordia mutua. 292. Ipsi se à Tigurinis abalienari passi non sunt, etiam priusquam ipsi Reformationem susciperent. 299. veteri religioni se A. 1526. per juramentum adstringunt. 312. à quo præstito A. 1526. iterum recednnt. B. 320. 337. novum A. 1527. pro reformatione edictum promulgant. B. 337. D. B. 120. Bernensis disputationis solennis in-

dictio. B. 338. D. B. 123. seq. disputationis hujus articuli. B. 339. ad eandem impediendam adversariorum molimina, 342. 351. eadem enarratur. 352. seq. ejus leges æquissimæ. 353. & processus. 353. 360. Bernensium mascula responsio hostibus Evangelii data. 343. inter Bernensis agri Clericos multi nuptias contrahunt. 343. Bernensium circa Reformationem edicta laudantur. 360. Academia erecta. 361. Ipsi veniam concedendo delinquentibus testantur suam erga Deum pro reformatione gratitudinem. 361. an columnam in monumentum reformationis erexerint? 362. Eorum moneta A. 1528. & 1670. reformata. B. 362. collatio Gallica inter Farellum & Sorbonistam. 362. Ipsi suadent reformationem Genevensem. 365. reformationem in communibus præfecturis urgent. 369. etiam moribus reformandis intenti. 386. Ordinum Bernensium literæ ad Episcopum Lausannensem. - - D. B. 129.

Bernhardus & Ernestus Duces Badenses. - - - - - - - A. 65.

Beroaldus (Phil.) A. 16.

Bersius (Marc.) Basileensis. A. 193. præco Evangelii apud Basileenses. B. 268.

Berus (Lud.) vir doctus Basileensis. A. 151. 193. Evangelio adversabatur. B. 269. de eo singularia quædam. 311. cum eo Capitonis simultas. 315. Basileâ relictâ Friburgum concedit. 374. ad eum Capitonis epistola. D. B. 107.

Bessario, de eo. A. 11.

Bibliorum Latinorum, Germanicorum, Belgicorum editiones primæ. A. 5. 6. Complutensia edita. 14. 15. de biblico opere Lutheri. B. 87. seq. bibliorum Lutheri volumen integrum. A. 1534. demum prodiit. 89. de Bibliorum versione Tigurina. A. 324. & S. B.

à *Bibra* (Laurent) Episcopus Wurtzburgensis Evangelio amicus. A. 211.

Bidermann (Wolfg.) Ecclesiastes Scaphusanus. B. 226.

Biennensium reformatio. B. 297. seqq. Ipsi de bonis Ecclesiasticis egregiè disponunt. 367. Confœderationi Reformatorum accedunt. 388.

Bildius (Beat.) vide Rhenanus.

Billicanus (Theob.) Wilæ Evangelium docet. B. 78. Reformator Nordlingensis. 193.

Binderus (Otto) Reformator Mulhusanus, laudatur. D. B. 155. ei cum collega Jacobo lis. B. 348.

Bipontini Ducatus Reformatio. B. 99. 100.

Bischoffsheimii oppidi Palatinatûs inferioris reformatio. B. 193.

Blanschii (Mart.) Doctoris Tubingensis pro invocatione sanctorum miserrima disputatio. A. 284.

Blaurerus (Th.) Reformator Constantiensis. B. 239.

Blaurerus (Ambros.) Reformator Constantiensis. B. 239. Ejus fata & in doctrinam Evangelicam merita. 260. 261. ad eum epistola Oecolampadii & Capitonis. 261. Ejus studium in promovendo apud Constantienses Evangelio. 290. 389.

Blaurock (Georg.) Anabaptista Tigurinus. B. 336.

Boccacius (Joh.) de eo. A. 15.

Bodelwinus (Joh.) de eo. A. 246.
Bodler (Joh.) plebanus Lucernanus. B. 236.
Boehmer (Hector) Ecclesiastes Noribergensis. B. 121.
de *Bohemis* Lutheri judicium. A. 225. Eorum ad Lutherum epistola. ibid.
Bonnivardi (Franc.) Genevensis antistitis oratio gravis & pia. B. 365. 366.
Bononiensis congressus inter Cæsarem & Papam. B. 217.
Borria (Cath) Lutheri cum ea conjugium. B. 141.
Borussiam sibi vindicavit & reformavit Albertus Brandenburgicus. B. 100. 145. 169. Ejus reformator Georg. de Polentia. 101. de ejus reformatione Sigismundi I. Poloniæ regis epistola. 145. Borussica ordinatio ecclesiastica à Georg. à Polentz, Episcopo Sambiensi & Erhardo, Pomesaniensi composita. 169.
Botzhemii (Joh.) epistola ad Lutherum. B. 6.
Boxschotius (Adr.) Antverpiensis. B. 134.
de *Brandtio* (Seb.) Navis stultiferorum auctore. A. 52.
Bremensium primus Evangelista Henricus Zutphaniensis. B. 73. 131. Bremensis reformatio. 132. Eorum Canonici Stephaniani sibi ipsis imponunt silentium. 175. Bremensis scholæ initia referuntur. 198. ad Bremensem Reformationem analecta. S. B.
Bremogartensis reformatio. B. 392.
Breulius (N.) Chartophylax, de eo. A. 268.
Brentius (J.) Halæ Suevorum docet. B. 79. 107. 108. Ejus virtus & dona. 79.
Briecenses in provincia Bernensi Evangelio adversantur, conatu frustraneo. B. 370.
Briserus (Nic.) vir doctus Basileensis. A. 193.
Brismannus (Joh.) in Borussiam missus Evangelium annunciat: Ejus Theses, de quibus disputavit: Ejus matrimonium: Ejus sermo Cotbusii in Lusatia habitus. B. 101. 102. ad eum epistola Lutheri. S. B.
Brissonetus (Gul.) Episcopus Meldensis, Evangelii confessor, sed minimè constans. B. 269.
Brunneri (Ge.) Reformatoris in agro Bernensi laus. B. 238.
Brunnerus (Frid.) vide Fontejus.
Brunsvicensis reformationis semina jacta. B. 132. ipsa reformatio. 197.
Brunus (Henr.) primus Evangelista Auricensis. B. 21.
Buceri (Mart.) ad B. Rhenanum epistola de disputatione Heidelbergensi. A. 213. & D. A. 175. sq. Weissenburgi Evangelium annunciat. B. 78. Argentoratenses informat. 110. Ejus relatio de disputatione Bernensi. 354. sq. Ipse & Capito disputabant apud Bernenses. 357. Ejus facilitas. D. B. 136.
Buchstab, ludimagister Zoffingensis. B. 357.
Budæus (Gul.) de eo. A. 23. 181. sq. Ejus elogium à Lud. Vive conscriptum. 181. est αὐτοδίδακτος, 182. Ejus magister in Philosophicis Ja. Fab. Stapul. 182. Ejus scripta & mors. 183. 184. Ejus summa auctoritas. 183. erga eum reverentia Jo. Bapt. Egnatii. 183. in eum favor Francisci I. 183. Ejus in-

invectiva in Ecclesiæ Romanæ corruptos mores. 184. Ejus favor in Evangelicam doctrinam. ibid. Ej. familia in Ecclesiæ Reformatæ gremium recepta. 185. mediam inter veterem superstitionem & novam reformationem tentavit viam. 185. Ejus commercium literarium. 186.

Bugenhagius (Joh.) Pomeranus, de eo. A. 244. Ejus pro reformatione labores. 245. Ei ansa conversionis fuit Lutheri liber de captivitate Babylonica. 246. fuit Lutheri in versione biblica adjutor. 247. B. 90. Ejus commentarius in Psalmos. A. 246. Scripta & mors. 247. festum translationis Bibliorum celebravit. B. 91. Ejus ordinatio ecclesiastica Brunsvicensis laudatur. 198. Hamburgensem ordinationem ecclesiasticam conficit. 200. Ejus epistola de cursu Evangelii per annum. 1529. 224. sq.

Bugislaus, dux Pomeraniæ, de eo. A. 65.

Bullingerus (Henr.) Pater Sansonio indulgentiarum nundinatori restitit. A. 125. Ejus integritas. B. 393.

Bullingerus (Henr. Fil.) per eum & Wolfg. Jonerum Capellensis Reformatio promota. B. 319. 349. itemque Bremogartensis. 394.

Burckardi Schenckii literæ ad Spalatinum. B. 19.

Burckli (Jac.) adud Rhætos reformator primus. B. 249.

Burgauwerus (Bened.) Reformator Sangallensis. B. 246. 327. Ecclesiastes Scaphusanus. 266.

Burgo (Andr.) eques. A. 197.

Burneti (Gilb.) de Moro judicium laudatur. A. 181.

Buschius (Herm.) Ulr. Huttenus & Nuenarius Comes auctores Epistolarum obscur. virorum. A. 17. de eo. A. 190. B. 186.

Buscoducensis (Nic.) & Jo. Oldenburgius Scholæ Bremensis primi doctores. B. 198.

Busius (Wolfg.) de eo. B. 80.

Butterbriefe, literæ butyricæ, quænam dictæ apud Pontificios? D. A. 224.

C.

Cadenus (Mich.) Syndicus Noribergensis mittitur ad Cæsarem. A. 210.

Cæsarius (Joh.) A. 190.

Cajetani (Tho. de vio) Apostolicæ sedis legati diploma. A. 128. liber de indulgentiis. 206. Fuit legatus Pontificis ad conventum Augustanum An. 1518. 223. Ejus instructio adversus Lutherum. 225. de colloquio Augustano inter eum & Lutherum. 225. non satisfecit aulæ Romanæ. 226. Ejus studium exegeticum laudatur. 227.

Calvinus (Joh.) de eo felix J. Fabri Stapul. augurium. A. 175.

Camerarius (Joach.) per indulgentiarum clamores est conversus. A. 86. Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. Ejus vita Phil. Melanchthonis laudatur. A. 241. Professor Erfurtensis. B. 51.

Campanus (Joh. Ant.) de eo. A. 16.

Campegius (Laur.) Cardinalis in Germaniam legatus Pontificius mittitur. B. 116.

Campius (Bernh.) Evangelio in Frisia favebat. B. 22. 23.

Canonici libri quinam à Reformatis agniti? B. 416.

Cantiuncula (Claud.) vir doctus Basileensis. A. 193.
Cantzius (Lub.) apud Leranos reformator. B. 22.
Capellensis reformatio promota per Wolfg. Jonerum & Heur. Bullingerum. B. 319. 349.
Capitonis (W. F.) cum Pellicano amicitia. A. 112. 113. Ejus & Pellicani argumenta adversus præsentiam realem corporis Christi in S. Cœna. 113. fuit trium facultatum doctor. 116. scholasticarum tricarum pertæsus concionatorem Bruchsalensem agit. 116. Ejus & Oecolampadii familiaritas. 117. Eum Erasmus laudat. ibid. apud Albertum Moguntinum præconem agit & consiliarium ecclesiasticum. 118. Ejus testimonium de Zwinglio & Zwinglianæ reformationis initio. 117. Eum Lipsienses. A. 1522. ad se adducere tentabant. 191. Ejus de Luthero judicium. 260. Ejus moderata consilia Luthero non probantur. B. 43. seqq. fuit Concionator Moguntinus. 81. 110. Ej. scriptum adversus Trægerum. 112. Ej. apologia Argentoratensis. 114. Ej. epistola ad Blaurerum de insidiis Episcopi Argentinensis. 120. Haganoam reformat. 145. cum Casp. Hedione anno 1535. ad Francofurtanos vocatur. 155. Ej. in Ecclesiam Basileensem merita. 229. Ej. ad Blaurerum epistola. 261. D. B. 73. sq. ad Ludov. Berum epistol. B. 311. D. B. 107. ad Zwinglium epistola de actis Badensibus. B. 314. Ejus cum Lud. Bero simultas. 315. defendit se adversus Jo. Fabrum. 316. Ej. epistola ad Basileenses consolatoria. 347. D. B. 118. cum Bucero disputabat apud Bernenses. B. 357. Ej. laus singularis. D. A. 23. Ej. epistola ad Utenhemium de ecclesiæ reformatione. D. A. 123. seq. defenditur adversus Fechtium & Loescherum. D. B. 108. Ej. epistola ad Zwinglium. 1526. una cum actis colloquii Badensis Argentorati editis. D. B. 111. 112.
Capitulationis Carolinæ articuli. B. 2. 3.
Capnio, vide Reuchlinus.
Caracciolus (Mar.) B. 14. D. B. 9.
Carinus (Lud.) vir doctus Basileensis. A. 193.
de *Carnis* reliquiis in fidelibus. B. 286.
Carolstadius (Andr. Bod. à) de eo. A. 235. seqq. Lutheri amicus & collega. 236. Ej. adversus Pelagianismum theses. 237. Ej. pro Luthero decertationes. 237. Ej. liber de spiritu & litera. ibid. Currus & ejus explicatio. ibid. Ej. acta in disput. Lipsiensi. 250. Ej. monitum de auctoritate Patrum. 251. Ej. laus. ibid. D. A. 199. Ej. nuptiæ. B. 58. D. B. 52. commorabatur. an. 1528. apud Frisios. B. 207. Ej. literæ ad Philippum Hassiæ, ut velit eum admittere ad dicendam causam in colloquio Marburgensi. 214.
Carolstadius (Joh. Draco.) B. 81.
Carolus Dux Munsterbergensis ad Lutherum scribit. B. 71.
Carolus V. ejus in Belgium imperium. A. 62. Ej. de Erasmo testimonium memorabile. 347. est Pirckheimeri amicus. 169. 171. Ej. electio in Imperatorem. B. 1. 2. Ej. edictum ad-

adversus decretum Noribergense. 118. Ej. fervor in edicti Wormatiensis exsecutione. 159. Ej. edictum Wormatiense adversus Lutherum. D. B. 34——47. incl.
Casimirus & Georgius Marchiones Brandenburgici in reformando Burggraviatu Noribergensi strenuè progressi sunt. B. 121. 122. Casimiri mors. 124.
Cassellanæ reformationis primordia. B. 126.
Castelli (G.) dialogus in laudem Fabri Stapulensis memoratur Wimpfelingio, sed non exstat. A. 173.
Castricus (Ludolfus) Magdeburgensis indulgentiarum adversarius. A. 85.
Castro (Alph. à) testimonium de ignorantia Paparum. A. 30.
Causæ secundæ, num verè sint causæ? B. 399.
Cellensis Reformatio. B. 133.
Cellius (Math.) vide Zellius.
Cephas, an ex eo, quod Petrus dicitur Cephas, sequitur, quod is fuerit reliquorum caput. - B. 354.
Ceporinus (Jac.) Tigurinus linguarum Professor. A. 264. moritur. B. 318.
Ceraunelateus (Jac.) & Walth. Klarer Reformatores Abbatiscellani. B. 247.
de *Cerimoniis* Papalibus querelæ Zwinglii. A. 269. in iis diversitas salva fidei unitate esse potest. B. 382.
de *Chalcondyla* (Demetr.) A. 12.
Chalybæolus (Georg.) Pastor Weinigensis. A. 270. deinceps Tigurinus, de eo. A. 264. docuit Evangelium apud Suitenses. B. 243. doctrinam suam coram magistratu Biennensi defendit. 388.
Chami Evangelium docuit Jodocus Myllerus in agro Tugiensi presbyter. B. 244.
Cheregatus (F.) legatus Pontificis in Comitiis Noribergensibus. B. 92.
Cholinus (Petr.) & Steinerus apud Tugienses Evangelio favebant. B. 243. Ej. labor in Bibliis Tigurinis edendis recensetur. B. 243. 244.
Christianus Oldenburgicus Sueciæ & Daniæ Rex, de eo. A. 61.
Christiernus sive *Christianus II.* ab utriusque regni throno deturbatur. A. 61. Evangelio. A. 1520. favet. B. 20.
Christianus III. Daniæ Rex pius, de eo. A. 61. Cimbriæ hæres, deinceps Daniæ Rex interfuit Comitiis Wormatiensibus. B. 37.
Christophorus Episcopus Bremensis Reformationi adversatur. S. B.
Chrysoloras (Eman.) de eo. A. 10. 11. Ej. epitaphium. A. 11.
Chytræus (Math.) Davidis pater, B. 80.
Ciacconii elogium Gattinariæ. A. 196.
de *Ciborum* delectu & libero esu liber Zwinglii laudatur. A. 270.
Cimbriæ reformatio. B. 71. 72. de sacris in ea emendatis. B. 185.
Cleen (Dieter. à) Albertum Ordinis Teutonici antehac magistrum, postea Ducem Borussiæ accusat. B. - - - - - - - - - - - 169.
Clementis VII. P. R. literæ ad Helvetios. A. 308. agitur de eo. B. 116. Ej. cum Gallo & Venetis conventio adversus Cæsarem Carolum V. B. 162. à Carolo V. castigatus. B. 163. 164. 180. Ej. consilia bellicosa adversus Protestantes. 217. literæ ad Episcopum Bre-

Bremensem, itemque ad Fridericum & Christianum. S. B.

Clericorum ignorantia & tyrannis. A. 9. inter clericos agri Bernensis multi nuptias contrahunt. B. 343. clerogamiam Barth. Bern. Feldkirchius (dictus Velcurio) primus ex sacerdotibus introduxit. 57. adversus eam Pontificiorum argumenta. D. B. 69. seq. vid. matrimonium.

Clichtoveus (Jod.) de eo. A. 193.

Cnophius (Andr.) Reformator Treptoviensis & in quibusdam Livoniæ urbibus. B. 55. Reformator Rigensis. 85.

Cochius (Joh. Conr.) Scaphusanus. B. 266.

Coctus (Enemund.) Gallus Luthero retulerat, Carolum Sabaudiæ Evangelio favere. B. 253.

Cochlæi (Joh.) fabula de doctrina Evangelicorum immutata. B. 189.

de *Cæcitate* temporum ante exortam Reformationis lucem. B. 275.

Cænobia in scholas conversa. B. 361.

per *Colloquia* & disputationes causa Reformationis promota. B. 299.

Comander (Joh.) Reformator Curiensis. B. 283. 292. 305. hæreseos accusatur à Pontificiis. 292. Ejus theses in disputatione Rhætica defensæ. 300. 301.

de *Cometis* Lutheri sententia. B. 194.

de *Communione* sub utraque sententia Lutheri à Pontificiis damnata. A. 257. Eandem Zwinglius inde à principio inculcavit. 281.

ad *Comparem* (Valent.) scriptum Zwinglii. B. 279. 284. seq. fuit Archigrammateus Uraniensis. B. 284.

Concilium, de Pisano priori. A. 31. de Constantiensi, ibid. de Basileensi. A. 32. Pisani posterioris literæ ad Maximilianum Imp. 32. 33. Ejusdem sententia in Julium II. lata. 33. de Lateranensi à Julio II. & Leone X. habito. 34. Tridentinum Reformationi magis obstitit, quam eandem promovit. 37. in Constantiensi fides Imperatoris publica vacillavit. 41. ad concilium Lutheri à Papa appellatio. 228. 229. de conciliis sententia Zwinglii. 276. universale habendum decernitur inter Papam & Cæsarem anno 1527. B. 180.

Concordata inter Franciscum I. Galliæ & Leonem X. inita. A. 73. S. A. Bononensia Libertati Ecclesiæ Gallicanæ infesta. D. A. 61.

de *Confessione* liber Oecolampadii. A. 120.

Conon (Joh.) Basileæ Græcos auctores interpretabatur. A. 193.

Conradus Episc. Herbipolensis Pirckheimeri amicus. A. 169.

in *Constantiensi* Concilio fides Imperatoris publica vacillavit. A. 41. Constantiensis Episcopi parænesis ad Senatum Præposituræ Tigurinæ. 272. Ejus urbis reformatio. B. 239. in Evangelio apud eos promovendo studium Ambros. Blaureri. 290. Ipsi Fabrum invitant ad disputationem publicam. 317. Eorum in reformando progressus. 363.

Contoblacas (Anton.) natione Græcus. A. 139.

Controversiarum judicem alium quam se ipsam Scriptura S. non agnoscit. D. B. 90. 91. 98.

Conzenius (Petr.) Reformator Bernensis. B. 344.

Copernicanum Systema laudatur. A. 23.
Corbachius (Joh.) Monachus, Evangelio inimicus. B. 181.
Cordus (Euric.) Doctor Marburgensis & Bremensis. B. 186.
Corduwagius (Jac.) primus Evangelium apud Gottingenses docuit. B. 224.
de *Corruptione* omnium statuum Ecclesiæ Pontificiæ. A. 36. de corrupto Ecclesiæ statu querela Frid. Myconii. D. A. 25. seq. de corruptione Ecclesiæ una omnium vox. D. A. 47.
Corvinus (Anton.) Reformator Goslariensis. B. 202.
Coster (Laurent.) Harlemensis typographiæ inventor. A. 4.
Cotbusii Lusatiorum Joh. Griesmann evangelizat. B. 78.
Cragius (Nicol.) Reformator Mindensis. B. 222.
Cramerus (Henr.) Reformator Jeverensis. B. 135.
Crato (Ad.) seu Craftius concionator Hassiæ aulicus. B. 166.
Crautwald (Valent.) Silesiæ Reformator. B. 107.
in *Creichgoa* annunciatur Evangelium. B. 80.
in *Creilsheim* oppido Adamus Weis docebat Evangelium. B. 78.
Crocus (Rich.) de eo. A. 14. Græcarum literarum Doctor apud Lipsienses. A. 190.
Cronenberg (Hartm.) Eques Reformationi favet. B. 148. de eo. B. 272.
Croppius (Godesch.) de eo. B. 133.
Crotus (Joh.) Rubeanus, Hutteni amicus. A. 159.
de *Cruce* in cœlo visa à Ducibus Saxoniæ narratio Melanchthonis. A. 59.
Crusius (Godesch.) de eo. B. 133.
Cujacius (Jac.) de eo. A. 23.
Curiensis Reformator Joh. Comander. B. 292. 305. Curiensis civitatis apud Rhætos primariæ reformatio. 253. 304. 305. Curiensibus Evangelicis structæ insidiæ deteguntur. 370.
Cusani (Nic.) Cardinalis de scripturis explicandis juxta currentem Ecclesiæ ritum; effatum. A. 32.
de *Cyclope* (Wolg.) von Zwickau, Magdeburgensi & Cellensi reformatore. B. 130. 131. 134.
Cygneensis reformatio. B. 135.
Cyprianus (E. S.) notatur. A. 323.

D.

Dantiscanæ seu Gedanensis urbis reformatio. B. 85. 103----105. Dantiscanas turbas sedat Sigismundus I. Rex Poloniæ. 105. de Dantiscano Gymnasio historia. 106.
Decembrius (P. C.) de eo. A. 16. Ejus querela de Indulgentiis. 86.
de *Decretis* Pontificum Lutheri mens. A. 234.
Demuth (Nic.) Reformator Halensis. B. 190.
Dezius (Jo.) Jesuita Argentinenses missam restituere debere, evincere voluit edito tractatu de Reunione Protestantium. B. 206.
pro *Disciplina* ecclesiastica inter Reformatores Helvetiæ contentiones. B. 422. sq.
Diepholdiana reformatio. B. 197.
Diepholtus, Kettenbachius & Eberlinus Ulmæ annunciant Evangelium. B. 77.

Dieſſenhofenſium reformatio. B. 389.
per *Disputationes* & colloquia cauſa Reformationis promota. B. 299. diſputationem non refugiebat Zwinglius. D. B. 103.
Dockenſpoell & Tezelius erant Arcimboldi ſubcommiſſarii. A. 78.
Doctrinæ ſumma in Friſia Orientali &c. - - - - - - - - B. 207.
Doeringius (Joh.) Paſtor Hembergenſis. B. 274.
Dominicani in negotio indulgentiario Franciſcanis ſunt ſubſtituti. A. 79. Eorum ſcelus in urbe Bernenſi perpetratum commemoratur. D. A. 172.
Dringenbergius (Ludov.) Wimpfelingii magiſter. A. 187.
Dungersheimius (Hieron.) dictus Ochſenfurt, de eo. A. 233.
apud *Duſſeldorpienſes* Frid. Myconius Evangelii ſemina ſpargit. B. 181. diſputatio ibidem habita. 181. 182. in Duſſeldorpienſi colloquio Myconii oratio anno 1527. 183. 184.

E.

Eberbachius (Phil.) de eo. B. 55.
Eberlinus, Kettenbachius & Diepholtus Ulmæ annunciant Evangelium. B. 77.
Ebernburgenſis arx aſylum teſtium veritatis. A. 161. 164. de illius reformatione epiſtola Joh. Oecolampadii. D. A. 149.
Eberus (P.) ad eum epiſtola Frid. Myconii de primordiis emendatæ religionis. - - D. A. 28. ſeq.
Eccii (Joh.) Officialis Trevirenſis actio Wormatienſis cum Luthero. B. 27. 28.
Eccleſia, inter eccleſiam repræſentativam & virtualem diſtinctio inepta. A. 217. de ejus theſauro, Pontificiorum doctrina. 226. de ejus ruinæ planctu tractatus. D. A. 3-19. Ejus arma, non gladius, ſed verbum. D. A. 57.
Eckius (Joh.) ejus adverſus Lutherum obeliſci. A. 208. Lutheri antehac amicus fuerat. ibid. ad ejus obeliſcos reſponſio Lutheri. 219. diſputationis Lipſienſis inſtigator. 250. Ejus conamina per diſputationem Badenſem ſufflaminandi reformatorum conſilia. B. 276. ad eum epiſtola Zwinglii. ibid. accuſat Zwinglium & Oecolampadium multiplicis hæreſeos. 278. Ejus themata in Badenſi diſputatione propoſita. 307. laudabatur propter diſputationem Badenſem. 310. ad ejus epiſtolam H. Zwinglii A. 1524. reſponſio apologetica. D. B. 86. ſeq.
Edzardus Comes Friſiæ Orientalis Evangelii patronus. B. 21. 24.
Egnatii (Joh. Bapt.) erga Budæum reverentia. A. 183.
Ebingerus (Joh.) Conſul Memmingenſis mittitur ad Cæſarem. B. 210.
Eimbecca, urbs Ducum Brunsvicenſium reformatur. B. 133. 225.
Emanuël Rex Luſitaniæ, de eo. A. 61.
Emſerus (Hier.) Lutheri antagoniſta. A. 256. adverſus librum Zwinglii de canone miſſæ ſcripſit. 316.
Engelhardtus (Henr.) de eo. A. 266. 269.
Enneobolus (Phil.) Reformator Hanovienſis. B. 144.
Enno, Comes Friſiæ Orientalis reformationem promovet. B. 144.

En-

Enthusiasmum aut inspirationes Lutherus non jactavit. A. 212. D. A. 115.
Eobanus Hessus Marburgi docet. B. 186.
Episcopicellæ reformatio. B. 389.
Erasmus (Desid.) Græcè doctus. A. 12. Ejus editio Novi Testamenti Græci omnium prima. 13. 147. Ej. testimonium de Sacerdotum Roman. vitiis. 37. Ej. in ipsa pueritia ingenium ad summa adspirans. 146. Ej. itinera. 147. de eo Caroli V. testimonium memorabile. ibid. Ej. in Theologiam & in Reformationem merita ingentia. 148. Ej. commercium literarium cum Reformatoribus. 149. Ej. animus ab omni contentione alienus. 150. Ej. ad Zwinglium epistola de Luthero & ejus discipulis. 150. 151. Ejus cum Luthero lites de libero arbitrio. 151. Ej. celebritas apud Italos. 158. Pirckheimeri amicus. 169. 170. Fabri Stapulensis adversarius. 177. de ejus vita & obitu Rhenanus. 193. Ej. de Justo Jona testimonium. 248. Ej. epistola. 1519. ad Lutherum. 258. Ej. judicium de proscriptione Lutheri. B. 45. viam Reformationi fecit. 228. Ej. de Oecolampadii libro eucharistico judicium. 295. Ej. consilium Basileensibus an. 1525. datum in causa religionis. 296. Ej. ad Helvetios Badenæ congregatos epistola. 321. conqueritur de C. Pellicano & Leone Juda. ibid. Ej. fides in Ecclesiam Catholicam implicita 313. Ej. character timidiusculus. ibid. Ej. lusus in matrimonium Oecolampadii. 369. Ej. epistola de Reformatione Basileensi. 373. Ejus testimonium de Reformationis necessitate. 375. Basileæ valedicit, ibid. Ej. ad Pirckheimerum epistola de proprio versus Friburgum secessu. 376. 377. Ej. epistola ad Capitonem de renascentibus Sec. XVI. literis. D. A. 20. seq.
Erbermann (P.) de eo. B. 81.
Erfurti Evangelium prædicatur 1521. - - - - - - - - - B. 50. 51.
Ernestus Luneburgensis Pius, de eo: A. 64. - - - - - - B. 134.
Esensis dominii reformatio. B. 144.
Eslingensis reformatio per Mich. Stifelium. B. 109. ad eos Lutheri epistola. ibid.
Etschland, vel vallis Athesina, de Lutheranis in ea. B. 83.
Eucharistia, de ea Zwinglii sententia ante controversiam Sacramentariam. A. 280. Ejus celebratio in ecclesia Tigurina post abolitam missam. 326. de ea C. Honii sententia. D. A. 231----240. Ejusd. apud Tigurinos celebrandæ formula. D. A. 240. sq. apud Basileenses. B. 382.
Evangelii laus. B. 284.
in *Evangelicos* persecutio. A. 1524. decreta. D. B. 63. 64.
Excommunicatio cur non in omnibus Helvetiæ ecclesiis sit introducta. B. 423. 424.

F.

Faber (J.) Capellanus Tigurinus, de eo. - - - - - A. 270.
Faber (Jac.) Stapulensis, de eo. A. 172. seq. Ej. studium lustrandi regiones exteras. 173. Ej. superstitiones inveteratæ commemorantur.

à quibus non nisi grandæus senex recessit. 173. Lutheranismi accusatur. 175. Ej. Euthanasia memorabilis. 175. 176. Ej. scripta & mors. 176. 177. Ei Franciscus I. Galliæ Rex favet. 174. Ej. de Joh. Calvino felix augurium. 175. Ej. versio Gallica N. T. rarissima. 177. Budæi magister in Philosophicis fuit. 182. Ejus & Gerardi Rufi, Gallorum, secessus Argentoratensis. B. 127.

Faber (Joh.) Constantiensis, deinceps Viennensis Episcopus, primò adversus Indulgentias insurgit & ipse. A. 124. 261. de primo colloquio Tigurino inter eum & Zwinglium, an. 1522. 268. Ej. dictum de vita sine Evangelio transigenda exagitatur. 283. Ej. pro invocatione sanctorum argumentum. ibid. Ej. odium erga Evangelicos. B. 226. Ej. hostilia in eosdem conamina. 334.

Fabricius (Erasm.) Canonicus Tigurinus, de eo. A. 270.

Fabricius (Conr.) Commendator Cussenacensis. B. 236.

Falckius (Petr.) de eo. B. 245.

Farellus (Gul.) ejus adventus in urbem Basileensem. B. 269. Ej. disputatio Basileensis & theses. ibid. Ej. labores pro incremento Evangelii. 270. Mompelgardi, Argentorati, Neocomi & Aquilejæ Evangelium annunciat. 322. & 421. sub Ursini nomine delituit & ludimagistrum agit apud Aquilejenses. ibid. Ej. cum Sorbonista collatio Bernæ instituta. 362. apud Biennenses Evangelium docet. 389. Waldensium Synodo interfuit. 418. Ejus zelus & constantia laudantur. 421. 422.

Farerus (Blas.) Pastor Steinensis. B. 274.

Faustus (Joh.) singulare ejus fatum cum Bibliis Latinis, quæ Parisios detulerat, venumque exposuerat. A. 6. de Doctore mago fabula ortum trahit à Fausto, typographo primo. ibid.

Feldkirchius (Balth. Bern.) (dictus Velcurio) primus ex sacerdotibus clerogamus. B. 57.

Ferber (Nic.) dictus Herborn cum Fr. Lamberto Homburgi disputat. B. 166.

Ferdinandus Catholicus, Isabellæ maritus. A. 60. Ejus infestus erga veritatem animus & tyrannis. ibid.

Ferdinandus Austriacus, Hungariæ hæres. A. 62. Ejus dignitates variæ. B. 2. edictum Evangelio inimicum edit in Ducatu Wurtembergensi. 68. Ej. ad regnum Hungaricum adspiratio. 162. Ejus minæ in Evangelicos. 272.

Ficinus (Marsil.) A. 16.

Ficinus (Joh.) à Lichtenau, Reformator Hassiæ. B. 164.

Fides Imperatoris publica vacillavit in Concilio Constantiensi. A. 41. de *Fide* sententia Lutheri notatur. A. 220.

Fidei vocabulum à Zwinglio ambiguo sensu usurpatum. B. 401.

Finckenblok (Jac.) Ecclesiastes Dantiscanus. B. 104.

Firnius (Ant.) & Symphorianus reformationi apud Argentoratenses favebant. B. 55. uxorem ducit anno 1523. 113.

Fleershheim (Phil. à) Nobilis, Luthero favet. B. 5.

Fol-

Folkardus (Mammo) Reformator in dominio Efenfi. B. 144.

Fontejus five Frid. Brunnerus apud Glaronenfes Evangelium docuit. - - - - - - - - B. 254. 350.

de *Forlivi* (Chrift.) nundinatione. A. 78. 79.

Franciscani antehac fuerant indulgentiarum nundinatores, hi verò id munus detrectabant. A. 79.

Franciscus I. Galliarum Rex, eruditionis patronus. A. 20. Fabro Stapulenfi favet. 174. Ej. ergo Budæum favor. 183. à Carolo V. in captivitatem ducitur. B. 137. in libertatem reftituitur. 162.

Francifci Epifcopi Mindenfis impietas. B. 221.

Francofurtum ad Mœnum, Evangelium ibi jam. A. 1521. annunciabatur. B. 55. Ejus reformatio. 147. Ejus reformatores Zwinglio magis quam Luthero favent. 152. 156. ad Francofurtanos A. 1533. data Lutheri epiftola evincit eos tum adhuc Zwinglio magis quam Luthero addictos fuiffe. 154.

de *Franconica* reformatione. B. 121. 122. pro ea Georgii Brandeburgici dicti Pii epift. ad fratrem Cafimirum. D. B. 79. de articulis ad reformationem illam fpectantibus. B. 122.

Frauenfeldæ reformatio. B. 390. Synodus. ib. 395.

Frauentrautius (Alex.) Secretarius Georgii Brandenburgici mittitur ad Cæfarem. B. 210.

Frechtus (Mart.) Zwinglio addictus. B. 192. laudatur. D. B. 151.

Friberga Misniæ urbs Lutheri doctrinæ favebat. B. 50.

Friburgum (Brisgoiæ) receptaculum Bafileenfium quorundam, qui reformationi adverfabantur. B. 375.

de *Friburgenfium* (in Uchtlandia) refponfo ad Bernenfes dato fabula. B. 245. inter eos multi Evangelio favebant, Petr. Falckius, Joh. Haulardus, Joh. Vannius, Joh. Kotherus, ibid. Illi diffuadent reformationem Genevenfen. 365.

Frickii (Sam.) converfio ad Evangelium memorabilis. B. 284.

Fridericus Sapiens Saxo, de eo. A. 22. Ej. fomnium de Lutheri calamo coronam Pontificiam tangente refertur & excutitur. 56. feqq. Ej. laus. 63. Ej. cura ad compefcendam mercandi indulgentias libidinem. 84. pro inftigatore Lutheri nequit haberi. 98. 99. Pirckheimeri amicus. 169. 170. pro Luthero intercedit. 225. Ej. mens de caufa Lutheri. B. 12. 13. moritur. 137. Ej. refponfio ad Cajetanum. S. A.

Fridericus (Joh.) Magnanimus, Saxo, de eo. A. 63. vid. *Johannes*.

Fridericus I. Daniæ Rex. A. 61. Evangelium promovet. A. 73.

Fridericus II. Palatinus, Sapiens. A. 64.

Friderici Silefiæ Ducis Apologia pro reformatione fuarum ecclefiarum. - - - - - - - - - B. 189.

Fridericus, Comes Diepholdanus reformationi favet. B. 197.

de *Frifia Orientali* & Evangelio ibidem annunciato. B. 21. 170. feqq. 206. fumma doctrinæ in illa, &c. 207.

Fritfchbhans (Joh.) B. 83.

Fritzius (Joh.) V. D. M. Hamburgenfis. B. 107.

Frobenii (Joh.) epiſtola de propagatione doctrinæ Lutheri. A. 234.
Frondsbergius (Georg.) Eques, Lutherum Wormatiæ alloquitur. B. 35.
Froſchen (Joh.) & Amandus ab Holtzhauſen, Patricii Francofurtani Evangelio favent. - - B. 57.
Froſchhouerus (Chriſt.) primus Tigurinorum typographus, apologiam edit adverſus calumniam transgreſſionis legis de eſu carnium &c. A. 268.
Froſchius (Joh.) Auguſtanorum præco, de eo. B. 77.
Fuſſlinus (J. C.) laudatur. D. A. 209.

G.

Galatinus (P.) de arcanis catholicæ veritatis. A. 143.
Galitius (Phil.) vel Salutius, Reformator inter Rhætos. B. 283. 302.
Galli (Jod.) vita. A. 109. Rudolphi Agricolæ diſcipulus fuit. A. 209.
Gallus (Joh.) de eo. B. 80.
Gansfortius (Weſſel.) de eo. A. 43.
Gattinara, oppidum Pedemontii. A. 195. ſeq.
Gattinaria (Mercur.) de eo. A. 195. ſeq. Ejus elogium Ciacconii. 196. Ej. munera aulica apud Philibertum II. Sabaudiæ Ducem, apud Carolum III. ejus ſucceſſorem, apud Margaretham Auſtriacam, & apud Maximilianum. 196. 197. homagium præſtat Ludovico XII. Galliarum Regi, nomine Margarethæ Auſtriacæ propter comitatum Caroleſium. 197. Ej. expoſtulationes cum Margaretha Auſtriaca. 198. Ej. acta ſub Carolo V. 199. Ej. in religionem Evangelicam favore. 200. Ej. moderatio ſingularis. ibid. in Ejus funere epicedium Eob. Heſſi. 201. Proteſtantium legatos. A. 1529. Bononiam miſſos ad Cæſarem benevolè excepit. 202. Ej. votum pro ſucceſſu Reformationis. ibid. Cardinalis creatur. 203. Ejus monumentum ſepulcrale. 204. Ejus liber adv. Clementem VII. P. R. pro Carolo. V. S. B.
Gaza (Theod.) de eo. A. 11.
Gebwilerus (Hieron.) ſcholæ Seleſtadienſis præfectus. A. 193.
Gedanenſis ſeu Dantiscanæ Urbis Reformatio. B. 85. 103——105.
Geierfalck (Th.) præco Evangelii apud Baſileenſes. B. 268.
Geldenhaurius (Gerh.) Noviomagus, Doctor Marburgenſis. B. 186.
Gemmarum nomina Hebraica difficilia. B. 90.
Genevenſis Reformationis primordia. B. 363——366. Ejus Reipublicæ libertas avita. 363.
Georgius Barbatus Saxo, de eo. A. 63. amicus Pirckheimeri. 169. 170. Evangelio infeſtus. 254. B. 46. 68. adverſus eum Lutheri epiſtola acerhiſſima. - - - - B. 195.
Georgius Anhaltinus princeps. A. 65.
Georgius & Barnanimus Pomerani Evangelio faventes. A. 65.
Georgius & Ulricus, Duces Wurtenbergici. A. 65.
Georgius Marchio Brandeb. Evangelio favet. B. 71. cum fratre Caſimiro in reformando Burggraviatu Noribergenſi ſtrenuè progreſſus eſt. 121. 122. reformationi favet, eamque promovet. 124. 168. 202. Ej. epiſtola ad fratrem Caſimirum. D. B. 79.

Gerbelii (Nic.) epiſtola ad Jodoc. Jonam laudatur. B. 127.
Gerinus (Beat.) Eccleſiaſtes Scaphuſanus. B. 266.
Germanus (Mart.) B. 80.
Germanis typographiæ inventio debetur. A. 4. de Germanica natione &c. liber Wimpfelingii. 188.
Geroldſegg (Theob. à) in Evangelio conſtantia laudatur. A. 289.
Glapio (Joh.) Monachus Franciscanus inſidias moliebatur adverſus cauſam Evangelii. B. 25.
Glareanus (Henr.) Vir doctus Baſileenſis. A. 103. Ej. epiſtola ad Zwinglium. 1522. B. 248. Ej. diſceſſus verſus Friburgum. D. B. 151.
Glaronenſis urbs Zwinglium, Brunnerum & Tſchudios habuit Reformatores. A. 103. Frid. Brunnerus ſive Fontejus Evangelium ibidem docuit. B. 254. Illius reformatio. 296. ſeq. lentus in reformatione progreſſus. 350. reformatio ulterior. an. 1528. 367. 387. 419.
Goldbergæ erecta ſchola Evangelica. B. 107.
Gorlitium & Lauba reformatur. B. 143.
Gorolitius (Mart.) primus ſuperintendens Brunsvicenſis. B. 198.
Goslarienſis reformatio. B. 52. 53. 200. 225.
de *Gottingenſi* reformatione. B. 224. Gottingenſes. an. 1529. lucem veræ religionis receperunt. 225.
Grad (Alex.) monachi ineptiæ in diſp. Bernenſi prolatæ. B. 354.
Græcæ literaturæ inſtauratio. A. 10.
Grandavellis (Marc.) Fabri Stapul. adverſarius. A. 177.
Grauertus (Jo.) & Henr. Kniggius Paſtores Goslarienſes jam ab initio puriorem de ſacramentis doctrinam amplexi ſunt. B. 201.
de *Gravaminibus* centum nationis Germanicæ. B. 94.
Griesmann (Joh.) Cotbuſii Luſatiorum evangelizat. B. 78.
Griſonum reformatio. B. 283.
Groningani Epiſcopatus hiſtoriæ. A. 44. ad S.P.Q. Groninganum Ulrici Dornumani epiſtola. B. 173.
Grublerus (B.) de eo. B. 80.
Grynæi (Jo. Jac.) teſtimonium de reformatione Zwinglii. A. 121.
Grynæus (Sim.) Theol. Heidelbergenſis, deinceps Baſileenſis, inde ab A. 1529. B. 378. ereptus ex ſingulari, quod ipſi imminebat, periculo. 226. Ejus & Oecolampadii epiſtolæ mutuæ. D. B. 144. ſeq. Ejus modeſtia ib. 147.
Guicciardini de Pontificum probitate teſtimonium. A. 27.
Gulielmus, Epiſcopus Argentinenſis, Evangelio inimicus. B. 76.
Guntherus (Fr.) ſub præſidio Lutheri diſputat. A. 137.
Guſtavus, Sueciæ Rex, de eo. A. 61.
de *Guttelio* (Caſp.) Doctore Islebienſi. B. 86.
Guttembergius (Joh.) civis Moguntinus typographiam exaſciavit. A. 4. dictus quoque Genſefleiſch à Sorgeloch. ibid.

H.

Hadrianus VI. Pontifex Rom. ejus de corrupto eccleſiæ ſtatu teſtimonium. A. 29. 30. Ej. diplomata de Helvetiis in fide priſca retinendis. 307. Ejus electio in Papam.

pam. B. 58. Reformatione indigere ecclesiam non diffitetur, sed illi tamen reformationi, à Luthero & Zwinglio quæ procurabatur, erat adversus. 58——63. Ej. literæ variæ ad Fridericum Saxonem, ad Principes Imperii, ad Argentinenses, ad Bambergenses, ad Erasmum, &c. 59——63. Ej. instructio Cheregato data. 92. Ejus mors. 115. 116.

in *Hæreticos* & Lutherum mens infesta Th. Mori. A. 178. 179.

Hagæus (Nic.) Solodurienfis, apud Lucernenses. an. 1520. Evangelium annunciavit. B. 230.

Haganoensis reformatio. B. 145.

Halæ Suevorum, Joh. Brentius docet. B. 79. 107. 108. Ejus reformator Joh. Isemannus. 107. 108.

Hala Saxonum reformatur. B. 190.

Halberstadiensis reformatio. B. 52.

Hallerus (Bercht.) Reformator Bernensis. B. 236. 237. Is & Th. Wittenbachius atque Seb. Meyerus colloquium instituunt de religione & cœlibatu, cum religiosa virgine Bernensi. 251. Ej. gravis oratio ad Bernenses, ejusque in munere ecclesiastico confirmatio. A. 1526. 321. Idem & Fr. Kolbius articulos disp. Bernensis consignant. 339. ad eum epistola H. Zwinglii. an. 1522. data cum ejus responso. D. B. 82. seq.

Hamburgensis reformatio. B. 53. 107. Ejus progressus. 199. Hamburg. Scholæ initia. 200.

Handschuchsheim (Theod. de) Sickingii socer. A. 165.

Hanoviensis reformatio. B. 143. 144.

Harlemum & Moguntia de inventionis typographicæ artis laude certant. A. 3. 4.

Hassiæ reformatio. B. 125. 167.

Haslenses in provincia Bernensi Evangelio adversantur, sed irrito conatu. B. 310.

Haulardus (Joh.) de eo. B. 245.

Haurbachius (Frid.) Dillebergerus Reformator Francofurtanus Zwinglii sententiæ addictus. B. 150. 153.

Hausmannus (Nic.) pastor Zwiccaviensis, de eo. B. 50.

Hebræa & Græca lingua apud Pontificios exosa erat tempore Reformationis. B. 303.

Hedio (Casp.) Ejus de Luthero judicium. B. 6. Concionator Moguntinus. 81. 110. Ej. timiditas corroboratur. 81. Is & Capito. an. 1535. ad Francofurtanos vocati. 155. Basileæ docet Evangelium. 229. Ej. epistola ad Oecolampadium an. 1522. D. A. 148.

Heidelberga, ejus reformatio prima à Mart. Luthero est repetenda. A. 209. 210. de Lutheri disputatione Heidelbergensi. 211. seq. de ea Mart. Buceri ad B. Rhenanum relatio. D. A. 175. seq.

Heillan (Dom. de) testimonium de Waldensibus. A. 40.

Heim (Joh.) Monachus Dominicanus apud Bernenses Seb. Meyero adversabatur. B. 263.

Helffenstein (Ulr.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170.

Heltus (Joh.) per indulgentiarum clamores est conversus. A. 86.

Helvetii armis dediti. A. 99. de progressu Reformationis apud eos. B. 221. seq. à Pontifice & à Gallo urgentur ad subministrandum militem. 240. Helvetica reformatio purior, quam Saxonica. D. A. 222.

Henc-

Henckelii (Jo.) Concionatoris Aulici apud Mariam Hungariæ reginam laus. - - - - - - - B. 176.
Henrici (Herm.) Paſtor Reformatus in Friſia, & Aportani collega. B. 24.
Henricus VII. Angliæ Rex, ejus laus in politicis, in eccleſiaſticis ſuperſtitio. A. 21.
Henricus VIII. Angliæ Rex, de eo. A. 21. dictus defenſor fidei. ibid. Ejus ſcriptum. ibid.
Henricus X. Brunsvicenſis primò favit Evangelio, deinceps infeſtus fuit. - - - - A. 64. B. 133.
Henricus, Georgii Saxonis filius, de eo. - - - - - - - - A. 63.
Henricus Oldershemius, Paſtor Evangelicus. B. 171.
Henricus Pacificus Mecklenburgenſis Evangelio addictus. A. 65.
Henricus Zutphanienſis, primus Bremenſium Evangeliſta. B. 73. 131. Ej. doctrina & applauſus apud Bremenſes. 74. Ejus mors. 75.
Herborn (Nic.) Guardiani Marpurgenſis epiſtola ad Philippum Principem dehortatoria. B. 126. cum Fr. Lamberto diſputat. 166.
Herifoviæ reformatio. B. 389.
Hercules, Dux Ferrarienſis, de eo. A. 22.
Herfordiæ reformatio. B. 225.
Hermannus, Elector Colonienſis reformationem tentavit. A. 66.
Hermannus Nuenarius Pirckheimeri amicus. A. 169, 170.
Heſſus (Eob.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. Ejus epicedium in funere Gattinariæ. 201. Profeſſor Erfurtenſis. B. 51.
Heſſus (Joh.) Vratiſlavienſis Reformator. B. 69.
Heumannus (C. A.) laudatur. A. 56. 58.
Hicko (Rich.) Reformator in dominio Eſenſi. B. 144.
Hieronymus, Brandeburgenſis Epiſcopus. A. 90. Ej. ad Lutherum. an. 1518. data epiſtola. 131. Ej. cum Luthero a. 1519. colloquium. 233. Luthero admodum infenſus. 254.
de *Hieronymo* Pragenſi. A. 41. Ej. accuſatio. 42. Ej. mors heroica. ibid. Ej. vox ultima refertur. 52.
de *Hilteni* vel Ilteni (Joh.) vaticinio. - - - - - - - - A. 53.
Hipporius (Melch.) B. 81.
ab *Hoffen* (Thom.) Bernenſis, quædam acta Bernenſia publicat. B. 314.
Hoſtichius (Joh.) Ulmenſibus Chriſtum annunciat. B. 77.
Hofmannus (Conr.) Canonicus Tigurinus, declinare vult diſputationem Tigurinam. A. 291. 293.
Hofmannus (Seb.) Scaphuſanæ Eccleſiæ Reformator. A. 291. B. 249.
Hofmeiſterus (Seb.) Ejus apud Conſtantienſes pro reformatione conamina an. 1520. B. 239. Ipſe & Seb. Hofmannus Reformatores Scaphuſani. 249. Ej. Theſes de præſentia corporis Chriſti in S. Cæna. 250. ab officio apud Scaphuſanos dimittitur, ſed privatim reformationem promovet. 259. Scaphuſio decedit. 289. Ej. laus apud Tigurinos, Bernenſes & Zofinganos. ibid. Bernam vocatus. - - - 361.
Holſatiæ reformatio per Chriſtianum Ducem. B. 185.
ab *Holtzhauſen* (Amand.) & Joh.

Froschen Patricii Francofurtani Evangelio favent. B. 57.
Homburgense colloquium institutur an. 1526. B. 165. de eo Fr. Lamberti epistola ad Colonienses data. B. 167.
Honius (Corn.) Batavus, vir eximius. A. 281. D. A. 229. Ej. sententia de Sacramento Eucharistiæ. D. A. 221. Ej. epistola de sensu verborum institutionis S. Cœnæ. 231--240.
Hoogstratus (J.) Reuchlini inimicus. A. 209. Lutheri adversarius violentus. ibid. adversus eum Lutheri responsio. 220.
Hoornbekii de Tigurina Synodo judicium laudatur. A. 285.
Hospinianus notatur. A. 8.
Hottingerus (Nic.) Martyr Tigurinus. - - - - - A. 290. 296.
Hoyensis Comitatûs reformatio. B. 134.
Huberti (Th.) Leodii historia Friderici II. laudatnr. A. 64.
Hubmeyeri (Balth.) sive Pacimontani labores pro Evangelio. B. 249. de eo. 272.
Huglin (Joh.) Lindaviensis, Martyr. B. 308.
Hugo, Constantiensis Episcopus, de eo. A. 105. Ej. adhortatio, qua, ut Zwinglius in doctrina sua pergat, eundem hortatur. 262. Evangelio infestum edit libellum. 270.
Huiventhalius (Frid.) Evangelista Gottingensis. B. 224.
Hunnius (Ægid.) Lutherum propter arbitrium servum erroris reum peregit. B. 141.
Husumensis Reformator Herm. Tastius. B. 71.
Hussus (Joh.) de eo. A. 41. Ej. constantia. 42. Ejus doctrina. 42. quò minus ab Ecclesiæ Rō. placitis deviavit; tantò magis ejus ecclesiæ tyrannis apparet. 42. Ej. vaticinium de Luthero, cygno post centum annos venturo, νοθείας convincitur. 51. Nummus, ejusque effigies ex thesauro nummario Regis Bornssiæ. 51. 42.
Huterus (Theob.) Evangelii inimicus. - - - - - - B. 273.
Huttenus (Ulr.) Herm. Buschius & Nuenarius Comes, auctores epistolarum obscurorum virorum. A. 17. Ej. declamatio in Pontifices & Clerum Romanum. 26. it. 157. seq. Ej. scripta in Pontificios. 158. 160. Ejus odium erga Scholasticos. 157. Ej. itinera varia & militia. ibid. Ejus in reformationem merita. 159. Pirckheimeri amicus. 169. 170. Lutheri amicus. B. 5. 6. apud Mulhusanos reformationem promovet. 256. Ej. scripta Moguntiæ excusa. D. A. 147. D. B. 10. 12. 13.

I.

Jacobus V. Rex Scotiæ, de eo. A. 60.
Jacobi Monasteriensis, sacrificuli Solodoriensis Epistola de disp. Bernensi. B. 354. D. B. 133.
de *Jägerndorfensi* Ducatu & ejus reformatione. B. 168.
Ibachius (Hartm.) Reformator Francofurtanus. B. 56. 147. Francofurto dimittitur & deinceps Marpurgi Evangelium annunciat. 149. Zwinglio magis quam Lnthero adhæsit. 152. de eo immite judicium Erasmi Alberi. 153.

de

de *Idololatria* & ſuperſtitione pontificia teſtimonium Zwinglii. B. 287.
Jerob (Hans) Paſtor Leipenſis prope Ulmam, an. 1524. B. 191.
Jeverenſis ditionis reformatio. B. 135.
de *Ignorantia* cleri Romani. D. B. 134. Paparum, teſtimonium Alph. à Caſtro. A. 36.
Ilantium Rhætiæ ſuperioris oppidum, locus diſputationis Rhæticæ. an. 1526. B. 229.
Ilbachius (Hartm.) vid. Ibachius.
de *Ilteni* (Joh.) ſive Hilteni vaticinio. A. 53.
Imagines & Miſſam jam an. 1523. aggrediuntur Tigurini. A. 290. de eis ex templis abolendis decretum Tigurinum. 294. decreti hujus executio. 301. ſeq. de illis vera ſententia Zwinglii. B. 286.
Imbofii (Andr. Gabr. & Joh.) Pirckheimeri amici. A. 169. 170.
Immelinus (Jac.) Baſileenſis. B. 272.
Indiæ Occidentalis terra detecta. A. 60.
Indulgentiæ, adverſus eas & purgatorium Jo. Weſſeli bellum. A. 43. de eis & earum origine quædam traduntur. 74. 75. indulgentiæ Alexandri VI. 75. Julii II. ibid. Leonis X. ibid. earum fictitia virtus mirificè extollitur à Samſonio. 123. falsè irridentur. 124. 125. Pontificum auctoritate nobis innotuerunt, quod non diffitentur ſcriptores Pontificii. 208. de eis Lutheri mens. 215. 221. novo quodam edicto Leonis X. munitæ. 227. adverſus eas H. Zwinglii Zelus. 261. ſunt retia, quibus capitur pecunia ſimplicium. D. A. 30. indulgentiarum Tezelii & Samſonii quædam exempla. D. A. 70. earum impietas & profanitas. 69. in earum cauſa Alberti Moguntini ſummaria inſtructio ſubcommiſſariorum. D. A. 83. ſeq. fuerunt anſa prima Reformationis Lutheranæ. 115.
Infallibilitatem Pontificis repudiat Lutherus. A. 246.
Innocentii III. Papæ Ro. inſolentia reprehenditur. B. 163.
Inquiſitionis Hiſpanicæ tribunal. A. 60.
Inſpirationes aut enthuſiaſmum Lutherus non jactavit. A. 212.
Inſtinctus crepare, periculoſum. B. 325.
Interim (Helvetiorum) de an. 1524. B. 281. 282.
Interlacenſe Cœnobium. B. 361.
Joachimicæ vallis (vulgo Jochims Thal) reformatio. B. 55.
Joachimus I. Brandenburgicus, de eo. A. 63.
Jobi liber translatu difficilis. B. 89. 90.
Jodocus Iſenacenſis, ejus elogium. A. 88. Lutheri præceptor. 214.
Johannes, Epiſcopus Miſnenſis, ejus animus adverſus indulgentias directus. A. 85. ejus de inſtante reformatione vox. ibid.
Johannes Conſtans, Saxo, de eo. A. 63. laudatur. B. 137.
Johannes Fridericus Magnanimus, Saxo, de eo. A. 63. Ej. in reformanda Saxonia progreſſus ſatis lentus. B. 158. 167. Sibyllam Cliviacam in matrimonium ducit. 181.
Jonas Jodocus (Juſt.) de eo. A. 247. de eo teſtimonium Eraſmi. 248.

Lutheri in opere biblico adjutor. ibid. Reformator civitatis Lipsiensis. 249. ei epitaphium à Siberto positum. ibid. Lutheri in itinere Wormatiensi socius. B. 27. Is minus rectè in duas transformatur personas. S. B.

Jonerus (Wolfg.) Abbas cœnobii Cappellensis. B. 258. per eum & H. Bullingerum Cappellensis reformatio promota. - - 319. 349.

Irenicus (Fr.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. de eo. B. 80.

Isabella Hispaniæ regina. A. 60.

Isemannus (Joh.) reformator Halensis apud Suevos. B. 107. 108.

Isenacum, hic puriorem doctrinam an. 1522. annunciat Henr. Plunderus. B. 86. de ejus doctore Jac. Straussio. 114. Ejus reformatio. - - - - - - - - - - - 115.

Islebienses jam ante Lutherum se Tezelio opposuerunt. A. 86.

Islebius (Joh.) Agricola & Ge. Spalatinus in Comitiis Spirensibus. an. 1526. concionati sunt in diversoriis principum Hassiæ & Saxoniæ. B. 160.

Judæ (Leo) Pastor Einsidlensis. A. 270. vid. Leo.

de *Judæorum* libris lis inter Reuchlinum & Monachos. A. 141.

Julii II. Pont. Rom. bellicosum ingenium & malitiosa indoles describuntur. A. 28. 29.

Juramentum de re illicita neminem obligat. B. 337.

Juris studium instauratum ante Reformationem. A. 23.

Justinus Imperator illiteratus. A. 3.

Justus quinam sit, ex sententia Lutheri. A. 212.

K.

Karsthans & Kegelhans dialogus. - - - - - - - D. B. 30.

Keisersbergius (Joh. Geil.) veritatis testis eximius. A. 53. 100. Ejus vita per B. Rhenanum scripta. 193. operum ejus laus. S. B.

Kempe (Steph.) inter Hamburgenses reformatores recensetur. B. 53. 107. 199.

Kessler (Joh.) Reformator S. Gallensis. B. 267. de eo calumnia Pontificiorum denudatur. ibid.

Kessleri (P.) Basileensis presbyteri eleemosyna malè collocata. B. 383.

Kettelhut (Christ.) de eo. A. 246.

Kettenbachius, Eberlinus & Diepholtus Ulmæ annunciant Evangelium. - - - - - - - B. 77.

Kilchmeyer (Jod.) Canonicus anteà Lucernensis. A. 270. dein Lucernanus præco. - - - B. 231.

Klarer (Walth.) & Jac. Ceraunelateus Reformatores Abbatiscellani. B. 247.

Kniggius (Henr.) & Jo. Grauertus Pastores Goslarienses, jam ab initio puriorem de Sacramentis doctrinam amplexi sunt. B. 201.

Knipstrovii objectiones adversus Tezelium laudantur. A. 134.

Knutzen (Matth.) Evangelio favet. B. 72.

Κοινωνία non distributionem notat, sed communionem. B. 358.

Kolbius (Franc.) Bernam revocatur & Hallero datur Collega. B. 322. Ipse & Bercht. Hallerus articulos disputatorios consignant. 339.

Konigsfeld, Abbatia in agro Bernensi reformatur. B. 251.

Kor-

Kornius (Gallus). B. 76.
Kotherus (Joh.) de eo. B. 245.
Kraft (Conr.) Ulmensis, indulgentiarum adversarius. A. 85.
Kranzii (Alb.) de Luthero dictum. A. 132.
Kyrichius (Joh.) de eo. A. 246.

L.

Lambertus Avenionensis, de eo. B. 165. Ejus paradoxa. 166. Ejus epistola ad Colonienses data de colloquio Homburgensi. 167. Ejus mors. an. 1530. 185. Ej. ad Episcopum Lausannensem epistola an. 1522. 241. vid. & *Avenionensis*.
de *Langii* (Rod.) nobilis Westphali voce præsaga reformationem prædicente. A. 56.
Langus (Joh.) Prior Augustinianorum apud Erfurtenses, Lutheri amicus. - - - - - B. 51.
Lascaris (Const.) de eo. A. 12.
Lasco (Joh. à) testimonium de Erasmo. A. 152.
Lasius (Christoph.) Theol. Argentinensis à Lutheri doctrina de servo arbitrio secessum fecit. B. 141.
Lateranensis concilii XII. scopus. D. A. 47.
Lauba & Gorlitium reformantur. B. 143.
Laurentius Monachus Groninganus impudentiæ specimen dat. B. 170. 171. 173. Erasmi de eo testimonium. S. B.
Lausannensis Episcopus Evangelio, sed non constanter favet. B. 241. Ejus adversus illud inimicitiæ. 254. ter invitatus à Bernensibus ad Disputationem venire recusat. 351.
Lectiones publicæ Biblicæ loco Sacrificii quotidiani missatici apud Tigurinos institutæ. A. 328.
Leo X. Pontifex Romanus; ejus Conclave. S. B. Ejus erga eruditos favor. A. 22. 66. 67. item S. B. Ejus vitia recensentur. A. 29. de nævis politicis ab eo commissis in causa Lutheri. ib. & p. 205. B. 17. Ejus mores describuntur. A. 66. Ejus eruditio. ibid. Ej. facetiæ & lascivia commemorantur. 67. 69. Ej. profanitas describitur. 68. de ejus dicto ad P. Bembum, quid mihi narras illam de Christo fabulam, fides dubia. 69. Ej. judicium de animæ immortalitate. ibid. Ejus luxus & profusio. 70. 73. 74. Ej. fastus immanis. 71. Nummus cum inscriptione; Vicit Leo de tribu Judæ, exhibetur. 71. 72. Ejus sacra fames auri. 73. quæ ipsa reformationi ansam dedit. 74. Ejus indulgentiæ. 122. Ejus ad Tigurinos epistola an. 1519. 127. Ejus bulla in Lutherum cum notis Hutteni. 160. Ejus epistola ad Gabr. Venetum. 205. Lutherus eum laudat. 215. 218. 222. Ej. bulla 1. adversus Lutherum. D. A. 131. B. 14. Ej. bulla 2. adversus Lutherum. B. 14. D. B. 15. seq. Ejus mors. B. 58. Ej. diplomata duo Th. Cajetano data. D. A. 125. seq. Ej. duo Brevia ad Albertum Moguntinum. D. B. 9. seq.
Leo Judæ, Zwinglii commilito. A. 107. jam ab ineunte ætate & deinceps. ibid. Pastor Einsidlensis in Zwinglii locum. 108. 270. ad urbem Tigurinam vocatur. 108. Ejus

in Reformationem merita. ibid. auctor versionis Biblicæ Tigurinæ Germanicæ, & Latinæ. 109. 328. & S. B.

Leodius (Th.) de gestis & obitu Sickingii. A. 161.

de *Libenwerdensi* colloquio an. 1519. inter Lutherum & Miltitium. A. 235.

Lichstall oppidum Basileense. B. 271.

de *Lichtenbergensi* colloquio an. 1520. inter Lutherum & Milititium. A. 235.

Lichtensteig urbs comitatus Toggenburgensis. B. 350.

Liechtenbergeri Prognostica à Luthero edita. B. 194.

Lignitii Evangelium annunciatur. B. 71. Ejus reformatio. - 107. 189.

de *Lincco* (Wencesl.) Reformatore Noribergensi. A. 242. B. 121. Ejus cum Luthero familiaritas. A. 243. Ejus mors & epitaphium. 244.

Linguarum cognitio num doctrinæ sacræ sit infesta. A. 9. in earum studium, odium Pontificiorum. B. 303.

ὁ Λινος est carmen lugubre. A. 8.

Lippienses Evangelio favent. B. 132.

Lipsiensis civitatis an. 1539. reformator Jonas. A. 249.

de *Lipsiensi* colloquio. A. 250. seq. epistola Mosellani. A. 191. D. A. 192. seq. de eodem epistola Phil. Melanchthonis ad Oecolampadium. D. A. 203. seq.

Literarum instauratio. A. 9.

Livoniæ reformatio. B. 146. Livonicæ civitates Evangelium receperunt. 85. 106.

Loescherus (V. E.) notatur. S. A. A. 323. B. 191. 155. 327.

Lorichius (Joh.) de eo. A. 246.

Lovanienses Lutheri libros damnant. - - - - - - - - - - - B. 10.

Lubeca reformata. B. 132. 225.

Lucerna, hic an. 1524. habitus conventus adversus reformationem. A. 295. de urbe hac Evangelii radiis collustrata. 230. seq. Ejus cives Evangelium repudiant. 256. eique se præstant inimicos. 258. combusta hic Zwinglii imago. 258. Lucernense decretum an. 1524. adversus reformationem. 262.

de *Luciferi* epistola ad malos principes Ecclesiasticos. A. 34.

Ludovicus Bipontinus. A. 64.

Ludovicus XII. Galliarum Rex, ejus nummi cum inscript. perdam Babylonis nomen. A. 19. Ejus de Waldensibus testimonium. ibid.

Ludovicus, Hungariæ Rex cæsus. A. 62. B. 161. 162. Ejus truculenta in Evangelicos edicta. 176.

Ludovicus, Palatinus Elector. A. 64. à methodo Constantiensi in causa hæreticorum alienus. B. 32.

Luft (Joh.) Ejus imago quotannis Romæ in ignem conjicitur, quod is Biblia Lutheri Germanica primus impressit. A. 8.

Luneburgi reformatio. B. 226.

Lusatiæ Marchionatus reformatio. B. 143.

Luscinii (Ottom.) carmen in laudem operum Keisersbergii. S. B.

Luthardus (Joh.) Pastor Basileensis. B. 229. 268.

Lutherus (Mart.) ejus scripta brevi tempore per universum terrarum orbem ope artis typographicæ sunt spar-

ſparſa. A. 7. in ejus imaginem epigramma Joh. Majoris. 59. Ejus effigies in Bibliis quibusdam Germanicis. 59. Ejus vox prima adverſus indulgentias. 87. Ejus vita, & quod conſcientiæ ſtimulis actus indulgentias oppugnaverit, docetur. A. 87. 88. Ejus de Ariſtotele judicium. 88. Ej. iter Romanum. 89. Ejus amor in Auguſtinum. ibid. Ejus de juſtificatione gratuita & ſervo arbitrio doctrina jam ante annum 1517, 89. 90. Ejus theſes adverſus indulgentias. 91. D. A. 104. ſeq. Ej. relatio de ipſa reformatione à ſe ſuſcepta. A. 91. ſeqq. Ej. reformatio defenditur adverſus Pontificios & eorum præjudicia. 93. ſeqq. non ambitione ductus reformationem ſuſcepit. 94. 95. à Surio & Ulenbergio laudatur. A. 88. 99. Ejus theſes Pellicano jam inde à principio approbatæ. 115. Ejus reformatio pedetentim proceſſit. 129. Ejus ad Albertum Moguntinum literæ de theſibus à ſe editis. 131. Ejus theſes & earum argumentum. 132. Earundem celerrima propagatio per univerſam Europam. ibid. Eum inter & Tezelium ſtatus controverſiæ ponitur. 135. ejus ſub finem anni 1517. novæ theſes recenſentur. 136. 137. Ejus judicium de Reuchlino an. 1514. datum. 144. Pirckheimeri amicus. 169. 174. in eum & hæreticos mens infeſta Th. Mori. 178. 179. à ſe amolitur Tezelianam theſium combuſtionem. 204. non jactavit enthuſiaſmum aut inſpirationes. 212. Ejus elogium. 214. dicit, Eccleſiam Romanam eſſe Antichriſti ſedem & Babylonem. 219. 233. Ejus reſponſio ad Eccii obeliſcos. 219. Ejus ſententia de fide notatur. 220. Ejus reſponſio adverſus Hoogſtratum. 220. Romam citatur. 224. de eo teſtimonium Joh. Staupitii. 227. appellat à Papa ad concilium. 228. 229. Ejus reſponſum Cajatano datum laudatur. 230. à Friderico Saxone non in totum equidem, ſed in tantum tamen defenditur, ut is noluerit eum non auditum damnari. 231. S. A. Ejus epiſtola an. 1519. Leonem X. A. 233. in qua nimis adhuc benevolè de Eccleſia Romana judicat. ibid. Ejus mens de Decretis Pontificum. 234. Ejus liber de captivitate Babylonica Bugenhagio fuit anſa converſionis. 246. Ejus labores in Pſalmos. 256. in Decalogum. ibid. in epiſt. ad Galatas. ibid. ad eum an. 1519. epiſtola Eraſmi. 258. Ejus cum diabolo contentio. 325. Ejus epiſtola ad Carolum Imperatorem. B. 6. D. B. 4. ſeq. Ejus ad Leonem X. præfatio libello de libertate Chriſtianâ præmiſſa. B. 7. Ejus ad Lovanienſes & Colonienſes reſponſum. 10. Ejus conamina adverſus bullam primam Leonis. 15. ipſe bullam Pontificis & decretalia comburit. ibid. Ejus imago Romæ, Lovanii, Coloniæ & Moguntiæ combuſta. 16. Ejus ſcripta Indicibus librorum prohibitorum inſerta. ibid. Ejus liber de captivitate Babylonica. 17. Ejus ſtylus nimis aſper. 18. 154. Eum inauditum volebat Leo. 25. Ejus citatio Worma-

matiensis. 26. D. B. 32. Ei datus salvus conductus ibid. Wormatia abiens in itinere occultatur. 36. Ejus epistola ad Cæsarem & Ordines ex itinere. 37. Ejus ex Pathmo reditus Wittebergensis. 63. seq. Ej. liber adversus Episcoporum ordinem. 67. de ejus versione Novi Test. 88. quæ laudatur. 91. Ejus libellus ad decretum Noribergense an. 1523. 95. 96. 117. Ejus liber de potestate seculari. 97. de instituendis Ecclesiæ ministris. 98. de doctrinis hominum vitandis. 98. de abominatione Canonis Missæ. ibid. ad equites Teutonici ordinis in Borussia. ibid. Ejus epistola ad Augustanos confortatoria. 108. Ej. epistola ad Eslingenses. 109. Ejus cantiones Ecclesiasticæ. 124. cucullum abjicit, Patrisque & Fratris titulos an. 1524. respuit, posthac illo Doctoris usus. 124. 125. Ejus notæ in Deuteronomium an. 1524. conscriptæ laudantur. 138. Ejus libri admodum fervidi adversus cœlestes prophetas. ibid. Ejus epistolæ ad Antverpienses laudantur, ibid. Ejus liber de servo arbitrio. 138. 139. Ejus conjugium cum Cath. Borria. 141. de ejus conjugio calumniæ Pontificiorum. 142. Ejus epistola an. 1533. ad Francofurtanos data evincit, hos tum adhuc Zwinglio magis, quam Luthero addictos fuisse. 154. Eum Lutherani milites Romæ pronunciant Papam an. 1526. 164. Ejus expositio Psalmorum quatuor dedicata Mariæ Reginæ Hungariæ viduæ. 176. adversus eum consilia inter Papam & Cæsarem capiuntur an. 1527. 180. libellum visitatorium Melanchthonis non semel immutavit, etiam cum is antehac jam receptus esset atque impressus. 187. num quædam doctrinæ capita revocaverit. 188. 189. Ejus libellus consolatorius ad Halenses. 190. Ejus adversus Georgium Saxonem epistola acerbissima. 194. Ejus scripta polemica acerbissima. 196. Ejus erga Helvetios animus infestus obstaculum præbet Reformationi. 212. Ejus in concepta semel sententia tenacitas. 213. 215. eo fervoris est abreptus, ut in controversia sacramentaria Pontificios voluerit habere Judices. 214. amicum erga Zwinglium testatus est animum post discessum Marburgensem, sed deinceps ab Amsdorfio instigatus acriter iterum in eum scripsit. 215. Ejus fautores apud Basileenses. 229. Epistolam dat ad Carolum Sabaudiæ Ducem. 253. Mystica principia aliquo modo adamavit sub principio reformationis. D. A. 181. Ejus rigida de arbitrio planè servo sententia. 188. Ejus character. 199. Ejus animus heroicus. D. B. 3. Ejus Epist. ad J. Thurzonem. 6. 7.

de *Lutheranismi* occasione & de motibus Dominicanis Bil. Pirckheimeri epistola ad Hadrianum. VI. P. R. D. A. 170. seq.

Lutheranorum conamina in sufflaminandis Reformatorum apud Frisios Orientales sacris. B. 206. 207.

Luthius (Henr.) Tigurinus, de eo. A. 267.

M.

Macrini (Melch.) Solodurensis ad Zwinglium epistola an. 1522. B. 248. Ei cum Decano Burgdorfensi lis de sacrificio Missæ. ibid.
Magdeburgum, de doctrinæ purioris initiis in hac urbe. B. 83. 129. ad ejus reformationem spectantes articuli. 129. in ea conventus inter Saxonem & Hessum. 159. 160. reformationis illius progressus, connivente Alberto Moguntino Archiepiscopo. 189.
Majoris (Joh.) epigramma in imaginem Lutheri. A. 59.
Manuelis (Nic.) Satyræ. S. B. 451. Ejus opera in reformatione Cœnobii Wettingensis. ibid.
Manzius (Felix) Anabaptista Tigurinus. B. 335.
Marburgum, Academiæ hujus fundatio. A. 64. B. 185. de colloquio an. 1529. ibi instituto. 213. seq.
de *Maria* Scotiæ regina. A. 60.
de *Maria* vitiata virgine dicterium Tezelii. A. 81. 82. conf. D. A. 173.
de *Maria* Hungariæ Regina Vidua, quæ Evangelio favet. B. 176. 177.
Marius (Augustin.) de eo. B. 311. 345. inter eum & Ocolampadium contentiones de doctrina Evangelica. 345.
Martinus primus Daniæ Evangelista. - - - - - - - - - - B. 20.
Matrimonium Clericorum, argumenta pro illo. A. 271. Ejus rationes. ibid. argumenta adversus illud. D. B. 69.
Maurelius (Ge.) Waldensium legatus. B. 417.
in *Mauritium* & Augustum an. 1548. Electoralis est translata dignitas. A. 63.
Maximilianus I. Imperator, de eo. A. 17. Ejus encomiographi. ibid. Ejus dictum de Julio II. Pontifice. 18. Ejus edictum pro causa Arcimboldi indulgentiaria. 77. Ejus edictum contra indulgentias. 78. idem revocatum. 85. Pirckheimeri amicus. 169. 170. Ejus epistola ad Leonem X. de Luthero. 222. Ejus mors. A. 231. B. 1. Ejus edicta duo de indulgentiis sibi invicem adversa. D. A. 81. 82.
de *Mecklenburgensi* reformatione. B. 128.
Medicea gens eruditionis patrona. A. 10. Ejus in literas marita. 21.
Medicinæ cultura restaurata ante reformationem. A. 23.
Megander (Casp.) concionator Tigurinus. A. 270. Bernam vocatus. B. 361.
Melanchthon (Phil.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. de eo. 240. Ejus imago. ibid. Ejus vocatio Wittebergensis. ibid. Ejus vita per Camerarium scripta laudatur. ibid. Ejus in scriptis symbolicis Lutheranorum consignandis & dandis consiliis facilitas & prudentia. 242. Ejus ad Ocolampadium epistola de disputatione Lipsiensi. 254. D. A. 203. sq. Ejus scriptum adversus Parisienses. B. 57. Ejus summa doctrinæ Christianæ. 125. Ejus consilium pro Reformationis defensione in comitiis Spirensibus an. 1526. conscriptum. 161. Ejus de reformanda Hassia consilium. 165. Ejus libellus visitatorius laudatur. 187.

187. Ejus relatio de Sim. Grynæo, erepto ex singulari quod ipsi imminebat, periculo. 226. Ejus epistola ad J. Thurzonem. D. B. 9.
Melander (Dionys.) Reformator Francofurtanus Zwingii sententiæ favet. B. 151. 153. 154. dici nequit Doctor Lutheranus. 155.
Mellingensium reformatio. B. 390.
de *Memmingensi* reformatione. B. 191. 327. Memmingenses ad nutum Zwinglii reformantur. 333. Memmingensis disputatio & ejus articuli. 332.
Metzlerus & Windnerus Evangelium docent apud Constantienses. B. 237.
Meyerus (Jac.) Consul Basileensis laudatur. B. 379. Ejus auctoritas. - - - - - - - D. B. 144.
Meyerus (Seb.) Bernensis, ejus scriptum ad Argentinenses pro Evangelica veritate. B. 127. 128. Ejus laus. 237. Ej. libellus retractatorius ad Argentinenses scriptus. ibid. Ipse, Bercth. Hallerus & Th. Wittenbachius colloquium instituunt de religione & cœlibatu, cum religiosa virgine Bernensi. 251. Ei adversabatur, Joh. Heim, monachus Dominicanus apud Bernenses. - - - - - - - - 263.
Mezeræi testimonium de corrupto Ecclesiæ statu. A. 25.
Miegius (Dan.) Argentoratensis legatus. B. 218.
Milesius (Maurit.) Pastor Wattenwilensis. B. 274.
Milteburgensis reformatio. B. 81.
Miltitius (Carol.) ejus in Germaniam adventus. A. 230. Ejus conamina variis blanditiis Lutherum in ordinem redigendi. 231. 232. improbat mores Tezelii. 232. de eo. - - - - - - - - - - - B. 9.
Mindensis urbis Reformatio. B. 221. 225. Ejus ordinatio Ecclesiastica laudatur. 223.
Missa totius Papatûs fundamentum. A. 289. Eam & imagines jam an. 1523. adgrediuntur Tigurini. 290. de ea verbo Dei adversa. 316. Ejus abrogatio apud Tigurinos an. 1525. 318. de Missarum abusu liber Lutheri. B. 47. 48. Missam condemnant Mindenses. 223. adversus eam scriptum Oecolampadii. 346. Missa de nuptiis Carolstadii. D. B. 52. seq.
Moguntia & Harlemum de inventionis typographicæ artis laude certant. A. 3. 4. in ea Evangelium prædicatur. B. 41.
Moguntini & Merseburgensis literæ an. 1520. ad Lutherum datæ. B. 9. 10.
Moibanus (Ambr.) Reformator Vratislaviensis. B. 68. 69.
Mollens (Henr.) Reformator Wismariensis. - - - - - - - B. 128.
de *Mompelgartensis* comitatus reformatione prima. B. 204. de ejus reformatione per Farellum. 270.
Monachorum turpitudo & ignavia. A. 30. in eos odium Th. Mori. A. 178.
de *Monarchia* Ro. Pontificis disputant Lutherus & Eckius. A. 252.
de *Montefalcone* (Seb.) Episcopus Lausannensis. D. B.
Morus (Thom.) de eo & scriptoribus vitæ ejus. A. 177. sq. Ejus verba de Clericorum fastu & stultitia. S. A. Ejus commercium literarium cum variis. A. 178. Ejus in

Lutherum & hæreticos mens infesta. 178. 179. Ejus in Monachos odium. 178. num Evangelicos supplicio mortis affecerit, num verò minus? dubium. 179. 180. capite plexus. 180. Ejus scripta. ibid. Ejus Utopia laudatur. ibid. de eo judicium Gilb. Burneti laudatur. 181.

Mosellanus (P.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. de eo. 189. de eo judicium Erasmi. 190. Ejus in Evangelicam veritatem studium. 190. Ejus mors, scripta & character. 191. 192. Ejus epistola de colloquio Lipsiensi. 191. 251. Ejus ad J. Pflugium epist. de disputatione Lipsiensi an. 1519. D. A. 192. seq.

Moshemii (Laurent.) judicium de reformatione Zwinglii notatur. A. 273. 304.

de *Mozarabica* Missa. A. 15.

Mulhusanorum in Helvetia reformatio. B. 255. Eorum reformatio ulterior. 267. 268. primi fuerunt in abrogatione Missæ. 268. Eorum reformatio promota. 348.

Mundus caupona Satanæ. B. 190.

Munsterbergensis Dux Carolus ad Lutherum scribit. B. 71.

Munsterus (Seb.) Basileam vocatus. B. 377.

Murnerus (Thom.) Argentoratenses defert. B. 118. actorum Badensium editor minimè fidus. 310. ad disputationem Bernensem venire recusabat. 355. Helvetios calumniatur & scriptis satyricis impetit. 395.

Musurus (Marc.) de eo. A. 12.

Myconii (Frid.) descriptio status Ecclesiæ ante reformationem. A. 25. Ej. somnium memorabile de messe Evangelica instante commemoratur. 54. seqq. D. A. 35. seqq. per indulgentiarum clamores is est conversus. A. 86. D. A. 33. Pastor Zwiccaviensis. B. 49. libellum ad Annæmontanos edidit. 135. apud Dusseldorpienses Evangelii semina spargit. 181. Ejus Oratio in colloquio Dusseldorpiensi an. 1527. 183. 184. Ejus querela de corrupto Ecclesiæ statu. D. A. 25. seq. Ejus epistola ad P. Eberum de primordiis emendatæ religionis. D. A. 28. seq.

Myconius (Osw.) Ejus in Zwinglium animus. A. 265. Ejus vita. B. 231. ad Basileenses abit. 234. Ejus sententia de fide salvifica. ibid. an Luthero magis faverit, quam Zwinglio in causa sacramentaria, disquiritur. 235.

Myllerus (Jodoc.) in agro Tugiensi presbyter Evangelium docuit Chami. B. 224.

N.

Nauenhagius (Th.) pastor Isenacensis. B. 115.

Nebrissensis (Ant.) de eo. A. 14.

Negelin (Jo.) Pastor Ulmensis. B. 191.

Nesenus (Gul.) de eo. B. 56. Francofurti docuit, Zwinglii amicus. 155. anno 1516. Basileæ versabatur. D. A. 25.

Neuerus (Henr.) de eo. B. 129.

Nigri (Petr.) liber, cui tit. Stella Messiæ. - - - - - A. 110.

Niseus (Alb.) Reformator Mindensis senex annorum 110. B. 221.

Nordana disputatio Henr. Resii. B. 178.

Nordhusæ urbis Thuringicæ reformatio. B. 144.

* * * * * * * *

Noribergenses primi concionatores. B. 76. Noribergæ decretum Imperii an. 1523. factum exhibetur. 93. Noribergense decretum de an. 1524. 116. de Noribergensi reformatione. 120. seqq. in reformando Noribergensi Burggraviatu Casimirus & Georgius, Marchiones Brandeburgici strenuè progressi sunt. 121. 122. Civitatis reformatio per Andr. Osiandrum. 146. Ejus cives in causa Eucharistica nobis propiores fuerunt quam Luthero. 203. Eorum pro sua Reformatione apologia. S. B.

Noricarum Ecclesiarum reformatio ulterior. B. 202.

Nuenarius Comes, Ulr. Huttenus & Herm. Buschius auctores Epistolarum obscur. Viror. A. 17.

Nummi cusi quandam artis typographicæ imaginem referunt. A. 2.

O.

Obscurorum Virorum epistolæ. A. 17. quis earum auctor. 159.

Oecolampadius (Joh.) Ejus & Capitonis familiaritas. A. 117. Ejus ortus, studia & fata priora. 119. Erasmi adjutor in edendo N. T. Græco. ibid. se denuo an. 1519. in monachale claustrum abdit. 120. Ejus liber de confessione. ibid. Ejus in aula Sickingensi reformatio. 121. 166. B. 81. Ejus epistola ad C. Hedionem de Reformatione arcis Ebernburgensis. ibid. D. A. 149. Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. primus Augustanæ urbis Evangelista. 260. Ejus argumenta adversus corporalem præsentiam Christi in S. Cœna. B. 214. 215. Ejus laus. 228. D. B. 138. Ejus pro Evangelio fervor & studium. B. 257. 268. ad Blaurerum epistola. 261. Ejus studium manendi apud Basileenses. 294. Ejus liber de vero verborum S. Cœnæ sensu laudatur. 294. seq. de Ej. libro Eucharistico judicium Erasmi. 295. Ej. in colloquio Badensi virtus & moderatio. 308. Ejus libellus de tribus Martyribus. 308. Basileensem reformationem promovet. 323. 347. 377. 383. Eum inter & Marium de doctrina Evangelica contentiones. 345. Ejus scriptum adversus missam. 346. in Disputatione Bernensi actor. 359. uxorem ducit. 368. Ejus relatio de reformatione Basileensi. 373. Ejus & S. Grynæi Epistolæ mutuæ. 379. 380. D. B. 144. sq. Ej. epistola ad Wettingenses fratres. 390. 391. Ej. responsum Waldensibus datum 411. sq. Ej. error circa differentiam librorum Canonicorum. 416. Ej. pro restituenda disciplina ecclesiastica fervor. 424. Ej. epistola ad Capitonem de Ref. Basileensi. D. B. 138. sq. Ej. familia. 143.

Oemeken (Gerh.) sive *Oemichius*, Reformator Mecklenburgensis. B. 128. Is & Urbanus Regius Reformationem Mindensem promoverunt. - - - - - - - - - - 224.

Oettingensium Reformatio per W. Rus. S. B.

Oldenburgici Comites Christophorus & Antonius Reformationi favent. B. 144.

Oldenburgius (Joh.) & Nic. Buscoducensis scholæ Bremensis primi Doctores. B. 198.

de *Oldershemensi* colloquio. B. 172.
Oldesloæ Evangelium prædicatur. B. 132.
de *Onolsbacensi* atque Bayreuthensi Reformatione. B. 121.
Osiander (Andr.) de eo. B. 76. 121. per eum reformatio Noribergensis civitatis. B. 146.

P.

Pacimontani sive Balth. Hubmeieri labores pro Evangelio. B. 249.
Packii (Ott.) JCti, delationes de fœdere à Papistis in excidium Evangelicorum inito. B. 195. Ejus exilium & mors. 196.
Palatina Reformatio. A. 209.
Palingenius (Marc.) quis fuerit? B. 217.
ex *Papa* monstrum faciunt, qui eum Pontificem simul faciunt & Imperatorem. A. 217.
Papales leges de vetito carnium esu &c. abrogantur paulatim apud Tigurinos. A. 267.
Papatûs errores tres tanguntur. B. 99.
Paradisi portas suis indulgentiis reseravit Leo X. A. 77.
Paradoxorum titulus familiaris erat thesibus de veritate propositis. A. 211.
Parisiensis Facultas indulgentiis est adversa. A. 87. de Parisiensis Academiæ appellatione à concilio Lateranensi, & adversus concordata Bononiensia inter Leonem X. & Franciscum I. 36. D. A. 60. sq. Parisienses Lutheri dogmata condemnant. B. 41.
Passio Lutheri verbis ex Evangelio depromptis descripta. B. 37. D. B. 24. sq.
Patrum editiones primæ impressæ. A. 7.
Peccatum velle non potest Deus. B. 399.
Pellicanus (Conr.) Ejus vita. A. 109. cum eo Capitonis amicitia. 112. 113. Ejus & Capitonis argumenta adversus præsentiam realem corporis Christi in S. Cœna. 113. Ipsi jam inde à principio Lutheri theses approbantur. 115. Ejus cum Casp. Satzgero contentiones. B. 256. præco Evangelii apud Basileenses. 268. relicta Basilea ad Tigurinos migrat an. 1526. ibique magno cum successu literas sacras docet. - - - - - - 318. 319.
Perottus (Nic.) de eo. A. 16.
Pesler (Ge.) Ecclesiastes Noribergensis. B. 121.
Petrarcha (Franc.) de eo. A. 15.
Peutingerus (C.) Ejus cum Hutteno amicitia. A. 158. Pirckheimeri amicus. 169. 170. Ipse & Jac. Spiegelius Wimpfelingii amici. 187.
Pflugius (Jul.) Mosellani discipulus. A. 190. de eo. D. A. 192.
Pfortzhemii an. 1519. Jo. Schwebelius Evangelium annunciat primo, deinceps Reformator Bipontinus. A. 261.
Philelphus (Fr.) de eo. A. 15.
Philippus Austriacus Belgicæ ferè omnis Dominus. A. 62.
Philippus Hassiæ Magnanimus, de eo. A. 64. Phil. Melanchthonis amicus. B. 125. Ejus edictum primum pro Reformatione. ibid. Hassiam reformat. 164. Ej. copiæ militares ad evertenda Papistarum consilia an. 1528 195. Concordiam stabilire inter Protestantes annititur. 212. 213. Reformatis addictus est. 216.

Philologia renovata ante Reformationem. - - - - - - - - A. 24.
Philosophia restaurata ante Reformationem. A. 23.
Phreas (Joh.) Anglus Græcè doctus. A. 14.
Phrygio (Paul.) Vir doctus Basileensis. A. 193. Basil. Pastor, dein Tubingensis Reformator. B. 380.
Piccolominæus (Jac.) de eo. A. 16.
Picus J. F. Mirandulæ Comes, de eo. A. 17. Ejus Oratio de moribus ecclesiæ reformandis. 48. Pirckheimeri amicus. 169. 170.
Pii II. seu Æn. Sylvii de potestate Papali testimonium. A. 31. Ejus bulla retractationis. ibid.
Pirata (Ant.) Blaureri adversarius. B. 290.
Pirckheimerus (Bilib.) de eo. A. 167. seq. Erasmi exemplum sequebatur in causa religionis. ibid. primò aulam sequitur, deinceps magistratum gerit Noribergensem. 168. 169. Ejus amici recensentur. ibid. Ipse & Lazarus Spenglerus se, adversus Joh. Eccii calumnias defendunt. 170. Ei cum Oecolampadio lis de S. Cœna. 169. 171. 172. Ejus scripta. ibid. Ejus epistola de motibus Dominicanis & de occasione Lutheranismi ad Hadrianum VI. Pontif. Rom. D. A. 170. seq.
Pisani Concilii posterioris literæ ad Maximilianum Imper. A. 32. 33. Ejus sententia in Julium II. lata. 33. Ejus Prælati reliquis nihilo fuerunt meliores. ibid.
Platerus (Thom.) B. 309.
Plettenbergii (Valt.) in Reformationem studium. B. 146.
Plunderer (Henr.) Isenaci puriorem doctrinam an. 1522. annunciat. B. 86.
de *Pœnitentia* Lutheri sententia. A. 215.
Poggius (Fr.) de eo. A. 15.
Polentia (Georg.) Episcopus Sambiensis, reformator Borussiæ. B. 101. ab eo & Erhardo Pomesaniensi composita ordinatio Ecclesiastica Borussica. 169.
Politianus (Ang.) de eo. A. 15.
Polyander (Joh.) Borussiæ reformator. B. 101.
Pomeranorum reformator Bugenhagius. B. 55. Pomeranica reformatio promota. 84.
Pompa, qua Indulgentiarum nundinatores suas exponere merces consueverunt, exponitur. A. 84.
Pontificis auctoritas major auctoritate scripturæ asseritur à quibusdam. A. 207. 208.
Pontificiorum in linguarum studium odium. B. 303. Eorum in Reformatos in Helvetia odium. 397.
Pontisella (Joh.) Minister Evangelii apud Rhætos. B. 283.
Potestas Magistratus circa Sacra. A. 287.
Præpositus (Jac.) dictus Sprenger, Ecclesiastes Bremensis. B. 131.
de *Præsentia* corporis Christi in Eucharistia, disputatum in disputatione Bernensi. B. 318.
de *Prierio* (Sylvestri) Dialogus adversus Lutherum. A. 204. 207. ad eum Lutheri responsio. 217.
Proles (Andr.) reformationis instantis propheta. A. 54.
Promnitz (Balth. à) Episcopus Vratislaviensis Evangelicæ doctrinæ favet. B. 157.

Protestantes, de eorum legatione ad Cæsarem in Italia tum commorantem. B. 210. de fœdere arctiori contrahendo cogitant. 212.

Protestatio solemnis adversus decretum Spirense & appellatio Evangelicorum Principum & Civitatum nomen dedit Protestantibus. B. 209.

de *Psalmis* lingua vernacula canendis. B. 323.

de *Psalterii* versione à Luthero procurata. B. 88. 89.

Puccius (Ant.) legatus Pontificius apud Helvetios. A. 263.

de *Puppio* (J. B.) Commissarii Apostolici literæ ad Tigurinos an. 1519. datæ. A. 127.

Purgatorium an. 1518. defendebat Lutherus adversus Bohemos. A. 215.

Q.

Quinquepagicorum fœdus cum Ferdinando. B. 395.

R.

Rana (Th.) de eo. B. 81.

de *Ratisbonensi* conventu, tanquam Classico schismatis inter Principes Imperii in causa religionis. B. 117. Ratisbonensis conventus an. 1524. inter Ferdinandum & principes Catholicos. D. B. 62. seq.

Rechenberg (Conr. de) Ejus mors pia an. 1526. B. 335.

Reformatio, reformari Ecclesiam debere una omnium vox erat. A. 38. Ejus varia præludia vel præsagia. 50. seq. Ejus à Luthero susceptæ proxima occasio indicatur. 90. Eadem defenditur adversus Pontificios & eorum præjudicia. 93. seqq. itemque. B. 95. Ejus gloria quibus competat, exponitur. A. 104. Reformationis Zwinglianæ facies genuina. 273. seq. 292. seq. Ejusdem processus. B. 285.

Reformatio

Abbatiscellana. B. 247. & 324.
Alstettensis. - - - B. 368.
Annæbergensis. - - B. 135.
Arbenensis - - - - B. 368.
Argentinensis. B. 54. 110. 157. - - - - 204. D. B. 68-78.
Aquilejensis. - - - B. 362.
Augustana. - - - B. 108.
Basileensis. - B. 268. 270. 371. - - - - D. B. 138. & seq.
Bayreuthensis. - - - B. 121.
Bernensis. B. 238. 251. 264. 344. - - - - - - - 361. 386.
Biennensis. - B. 297. 367. 388.
Bipontini ducatus. - B. 99. 100.
Bischofsheimiensis. B. 193.
Borussica. B. 169.
Bremensis. B. 132. 175.
Bremogartensis. B. 392.
Brunsvicensis. B. 132. 197.
Capellensis. B. 319. 349.
Cassellana. B. 126.
Cellensis. B. 133.
Cimbrica. B. 71. 185.
Constantiensis. B. 239. 363.
Cotbusiensis. B. 78.
Creichgoiæ. B. 80.
Creilshemii. B. 78.
Curiensis. B. 304. 305.
Cygneensis. B. 135.
Dantiscana. B. 85. 103-105.
Diepholdiana. B. 197.
Diesenhofensium. B. 389.
Dusseldorpiensis. B. 181. sq.
Eimbeccensis. B. 13 . 225.
Erfurtensis. B. 50. 51.
Eslingensis. B. 109.

Reformatio
Esensis dominii. *B.* 144.
Episcopizellæ. *B.* 389.
Franconica. *B.* 121. 122. D. B. 79.
Francofurtana ad Mœnum. *B.* 55. 147.
Friburgensis in Uchtlandia. *B.* 244.
Frauenfeldæ. *B.* 390.
Frisiæ Orientalis. *B.* 170. 206.
S. Gallensis v. San-Gal.
Gedanensis V. Dantiscana.
Genevensis. *B.* 363-366.
Glaronensis. *B.* 296. 350. 367. 387. 419.
Grisonum. *B.* 283.
Goslariensis. *B.* 52. 53. 225.
Gottingensis. *B.* 224.
Haganoensis. *B.* 145.
Halberstadiensis. *B.* 52.
Halensis. *B.* 190.
Hamburgensis. *B.* 53. 107. 199.
Hanoviensis. *B.* 143. 144.
Hassiaca. *B.* 125. 167.
Heidelbergensis. A. 209.
Helvetica. A. 91. sq. *B.* 228. sq.
Herfordiæ. *B.* 225.
Herisoviæ. *B.* 389.
Hoyensis. *B.* 134.
Holsatica. *B.* 185.
Husumensis. *B.* 71.
Jägerndorfiensis in Silesia. *B.* 168.
Jeverensis. *B.* 135.
Joachimicæ vallis. *B.* 55.
Isenacensis. *B.* 115.
Laubensis. *B.* 143.
Lichtstallii. *B.* 271.
Lignitiensis. *B.* 107. 189.
Lippiensis. *B.* 132.
Lipsiensis. A. 249.
Livoniæ. *B.* 85. 146.
Lubecensis. *B.* 132. 225.

Reformatio
Lucernensis. *B.* 230. sq.
Luneburgensis. *B.* 226.
Lusatiæ marchionatus. *B.* 143.
Marburgensis. *B.* 185. 213. sq.
Magdeburgensis. *B.* 83. 129. 189.
Mecklenburgensis. *B.* 128.
Mellingensis. *B.* 390.
Memmingensis. *B.* 161. 327.
Milteburgensis. *B.* 81.
Mindensis. *B.* 221. 225.
Mompelgartensis. *B.* 204. 270.
Mulhusana. *B.* 255. 267. 348.
Neocomensis. *B.* 421.
Noricarum ecclesiarum. *B.* 121. 202.
Norimbergensis. *B.* 120. 146.
Nordhusana. *B.* 144.
Oettingensis in Bavaria S. B.
Onolsbacensis. *B.* 121.
Palatina. A. 209.
Pfortzhemiensis. A. 261.
Pomeraniæ. *B.* 55. 84.
Regusiensis. *B.* 273. 324.
Rhætica. *B.* 249. 283. 292. 305. 369.
Rigensis. *B.* 85. 106.
Saganensis. *B.* 168.
Sarganensis. *B.* 259.
Salodorensis. *B.* 248. 419.
San-Gallensis. *B.* 266. 326. 384.
Saxonica. *B.* 157. 187.
Schenensium in Rhætia *B.* 389.
Schnebergensis. *B.* 49.
Scaphusana. *B.* 249. 250. 265. - - - - - 288. 349. 384. 420.
Solodurienfis v. Salod.
Stettinensis. B. 84.
Stolpensis. B. 85.
Sundensis. B. 84.
Switensis. - - - - B. 242.
Tecklenburgensis. B. 144.

Reformatio
Tigurina. A. 128. 263. 279. sq. 309. B. 299. 317. 369. 384.
Toggenburgensis. B. 324. 274. 351. 368.
Vesennensium in Rhætia. B. 389.
Ulmensis. B. 54. 190. 220.
Uratislaviensis. B. 68. D. B. 55. seq.
Vitodurensium. B. 288.
Waldshutensis. B. 272.
Weissenburgensis. B. 268.
Wettingensis cœnobii. B. 390.
Witebergensis. A. 225. B. 65. 48. 98. 157.
Wilensis in Suevia. B. 78.
Wilensis in Helvetia. B. 418.
Wismariensis. B. 128.
Wormatiensis. B. 53.
Zwiccaviensis. B. 49.

Reformati Pagi Helvetii consociationem ineunt. an. 1528. B. 387.

Reformatores nostri non fuerunt primi, qui Ro. Ecclesiæ ulcera detexerunt. A. 50.

Regius (Urb.) de eo. B. 83. Is & Gerh. Oemichius Mindensem Reformationem promoverunt. 223.

Regusiensis reformatio. B. 273. 324.

Reinerii Inquisitoris testimonium de Waldensibus. A. 40.

Reinerus, Monachus Jacobæus, Laurentii Groningani in impudentia socius. B. 171.

ad *Religionem* propagandam vis externa minus est accommodata. A. 276.

Rellicanus (Jo.) Bernam vocatur. B. 361.

Renneisen (Nic.) opera à Palatinis Theologis edita. B. 193.

Resius (Henr.) apud Nordanos reformator. B. 174. Ejus disputatio Nordana. 178.

Resolutiones suas Lutherus Leoni X. inscribit. A. 216.

Reublinus (Gul.) Pastor Basileensis an. 1521. B. 230. deinceps, cum in tractu Tigurino versaretur inter sacerdotes maritatos primos nomen habet. 230. & A. 288.

Reuchlinus (Joh.) Græcè doctus. A. 12. 17. 140. de eo. 138. seq. Professor Ingolstadiensis sub vitæ finem. 145. obiit an. 1521. Tubingæ septuagenario major. ibid. Ejus scripta. 146. Ejus patronus erat Sickingins. 162. Ejus in Lutherum animus. 164. Ejus in reformationem studium. 165. Pirckheimeri amicus. 169. 170.

Reustius (Marc.) Consul Tigurinus laudatur. A. 292.

Rhæti, apud eos Jac. Burckli reformator primus. B. 249. Eorum propriè dictorum reformatio. 283. 292. 305. de Rhætica disputatione an. 1526. 299. seq. Ii renuebant ad conventum Badensem suos mittere. 307. Evangelii apud eos progressus. 369. Disputationis apud eos an. 1526. celebratæ articuli. D. B. 93.

Rhenanus (Beat.) proprio nomine Bildius, Pirckheimeri amicus. A. 169. de eo. 193. seq. Ejus scripta. 194. 195. scripsit de vita & obitu Erasmi. 193. favit Luthero. 194.

Rhodius (Joh.) Zwinglium convenit. A. 280. Rector Collegii Hieronymitani apud Trajectinos. D. A. 292. Pastor Nordanus. B. 179.

Richardus, Elector Trevirensis, de

eo. A. 66. Sickingii adversarius. 162.
Richerii (Edm.) testimonium de reformatione Concilii Lateranensis. A. 36.
Riga civitas Luthero addicta. B. 85. 106. Ejus Reformatores Andr. Cnophius & Sylvest. Tegetmeier. ibid.
Rittershusii vita Pirckheimeri laudatur. A. 167.
Ritterus (J. B.) ejus Historia Reformationis Francof. laudatur. B. 147.
Ritterus (Erasm.) Bavarus, apud Scaphusanos primò pastor Pontificius, deinceps Reformatus. B. 250. 259. 265. per eum Scaphusani in veritate confirmantur. B. 349.
Roma, Sodomæ vel Babyloni similis. B. 8. Romanam ecclesiam esse Antichristi sedem & Babylonem dicit Lutherus. A. 219. 233.
Romberg (Joh. Host de) infensus Evangelii hostis. B. 132.
Romelingus (Patroc.) Osnabrugensis & Diepholdanus Reformator. B. 197.
Rorarius (Ge.) corrector Bibliorum Lutheri & Glossarum consarcinator. B. 90.
Rosæ aureæ donum à Pontifice Principibus missum. A. 231. D. B. 10. 11.
Rudolphi (Jo.) de eo. B. 80.
Ruffingerus (Jac.) Abbas Fabariensis, Evangelii assecla minus constans. B. 259.
Rufi (Ger.) & Jac. Fabri Stapulensis, Gallorum, secessus Argentoratensis. B. 127.
Rupertus Palatinus, de eo. A. 22.
Rufs (Joh.) Rostochiensis, indulgentiarum adversarius. A. 85.
Rus (Wolfg.) Oetingensium reformator. S. B. edidit Parænesin. ibid.
Ruscellus (Rud.) Zwinglii collega. A. 269.
Rusticorum in Germania tumultus & seditio. B. 136.
Rychardi (Wolfg.) Ep. de Reformat. Ulmensi. B. 54.

S.

ad *Sabaudiæ* Ducem Carolum Lutherus epistolam dat. B. 253.
Sabbathi præceptum ad Judæos magis quam ad Christianos spectat. B. 382.
Sacramentarii quinam? B. 400. 401.
Sadoleti (Jac.) Ep. ad P. Bembum. D. A. 47. 48.
Saganensis Ducatus, de reformationis in eodem incremento. B. 168.
Saganus (Ge.) D. A. 229.
Salatus (Joh.) Graphiarius Lucernanus, Synodi Tigurinæ descriptor. A. 279.
apud *Salisburgenses* annunciatum Evangelium. B. 82.
Saltza (Jac. à) Episcopus Vratislaviensis Evangelicæ doctrinæ favet. B. 157.
de *Salute* gentilium sententia Zwinglii rejicitur. B. 400.
Salutius vel Phil. Galitius, Reformator inter Rhætos. B. 283.
Samsonius (F. B.) Forlivii substitutus erat. A. 79. indulgentiarum nundinator impudentissimus. 122.
Sanctio Pragmatica de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ abrogata. A. 72. 73. de ea. D. A. 60. S. A.
Sangallenses, apud eos Reformator

Joach. Vadianus. B. 239. 246. apud eos an. 1520. Burgauwerus & Wetterus reformationis fundamenta straverunt. ibid. Eorum reformatio promota. 326. Eorum liberalitas erga pauperes. 327. Synodus apud eos habita. 333. Eorum progressus in reformando. 367. 384.

Sarganensium reformatio. B. 259.

Sartorius (Dider.) Concionator Francofurtanus. B. 149.

de *Satisfactionibus* humanis doctrina Tezelii. A. 134. de eis Lutheri sententia. 215.

Satlerus (Joh.) Pontificius. B. 312.

Savonarola (Hieron.) ejus testimonium veritati datum. A. 47. 48. Ejus errores Papales de transsubstantiatione & de cultu imaginum. ibid. 47. Ejus defensio. 48. Ejus laus. ibid.

Saxenhusanus cœtus apud Francofurtanos reformationem valde urgebat. B. 150.

Saxonia, de ea reformanda Johannis Electoris progressus satis lentus. B. 157. 158. de ejus Ecclesiarum visitatione an. 1527. - 187. 196.

Satzgerus. vid. Schatz.

Scania Evangelii semina recipit. B. 185.

Scaphusium an. 1501. fœderi Helvetico accessit. A. 62. Illius reformationis exordia. B. 249. 250. Ejusdem progressus. 258. 259. 265. 266. 288. 349. 384. 420. apud Scaphusanos Seb. Hofmeisterus ab officio dimittitur, sed privatim Reformationem promovet. 259. ad eos, Tigurinos & Abbatiscellanos reliquorum pagorum legatio. 265. sq. Eorum responsio. ibid. Ipsi libertatem conscientiæ suis indulgent. an. 1526. 324. in veritate confirmantur per Er. Ritterum. 349.

Schade (Petr.) sive Mosellanus, de eo. A. 189.

Schallerus (Casp.) Secretarius Basileensis. B. 268.

Schappelerus (Christoph.) Memmingensis reformator vindicatur à calumnia seditionis. B. 137. de eo. 327. cum Vadiano Præses fuit in Synodo Tigurina. 329. adversus eum turbæ cientur. 330. pro eo apologia. ibid. in eum Episcopi Augustani anathema. 331. Zwinglii amicus & assecla. 332. Sangallam redux, in patria Evangelium annunciat. 333. Ejus Themata 24. contra Pontificiorum errores recensentur. 385.

Schatzgeyerus (Casp.) Ordinis Minoritarum provincialis adversus Pellicanum, Joh. Kreis, & fratrem Joh. Luthardum, quædam decernit, sed quæ à Basileensibus rejiciuntur. B. 257.

Schauenberg (Sylv. de) Nobilis, Luthero favet. B. 5.

Scheiner (M.) Cardinalis Sedunensis, de eo. A. 105. Ejus de Luthero dictum. 234.

Schenensium in Rhætia reformatio. B. 389.

Scheureri (Sam.) biographia Halleri & Meyeri laudatur. B. 237.

Schismatis inter Principes Imp. Ro. Germ. auctores, Pontificii. B. 117. inter Protestantes auctor, quis sit? 212.

Schmidii (Jodoc.) apud Uranios favor in Evangelium jam anno 1519. laudatur. B. 241.

Schneberga Evangelium recipit. B. 49.

Schnepffius (Erh.) de eo. B. 80. Marburgensis Professor. 186.
Schoenau (Henr. de) Basileensis, Evangelio adversabatur. B. 269.
Schulerus (Gervas.) Pastor Bremgartensis. B. 394.
Schulerus (Paul.) apud Glareanos Evangelio favet. B. 297.
Schulto (Joh.) apud Weneranos in Oost-Frisia Reformator. B. 22.
Schurfius (Hi.) J. Jonas & N. Amsdorfius Lutheri in itinere Wormatiensi socii. B. 27.
Schwartzenburgius (J.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170.
Schwebelius (Joh.) Reformator. A. 166. Pfortzhemii Evangelium annunciat primo, deinceps Reformator Bipontinus. 261. B. 100.
Schwebelii (Henr.) testimonium de Sickingio. A. 165.
Scortationes legitimo matrimonio præferebant Pontificii. B. 119. Eis dediti Episcopi. D. B. 137.
Scriptoris (Paul.) præceptor Pellicani. - - - - - - - - A. 111.
Scriptura sacra sensum non mutat juxta currentem ecclesiæ ritum. A. 32. cum fructu legendi, Wesseli consilium. 44. extra eam in dogmatibus fidei nil sapere nos oportet. 218. Ejus auctoritas summa asseritur. 226. sola sui ipsius est interpres, nec alium controversiarum judicem agnoscit præter seipsam. B. 343. D. B. 90. 91. 98.
Scythæ num typographiam adinvenerint. A. 3.
Sebastianus Erfordiensis Indulgentiarum adversarius. A. 85.
Sedunensis Cardinalis propensio in Evangelium. A. 286.
Sibylla Erythræa num artem typographicam prædixerit. A. 8.
Sickingen (Franc.) in ejus aula Oecolampadius Missam reformat. A. 121. 166. de ejus gestis & obitu Th. Leodius. 161. erat patronus Reuchlini. 162. Ejus mors. 166. Lutheri fautor. B. 5.
Siderocrates (Jo.) de eo. B. 80.
Sigismundus Hohenloënsis Argentinensium Canonicorum Decanus Evangelio favet. B. 157. 158.
Sigismundus I. Rex Poloniæ Dantiscanas turbas sedat. B. 105. Evangelio inimicus, dein tamen liberum ejus exercitium permittit. ibid. Ejus epistola de reformatione Borussica. B. 145.
Sigismundus II. Rex Poloniæ ex familia Jagellonica ultimus. A. 62.
Silberbergius (Joh.) de eo. B. 311.
Silesia reformari coepta an. 1522. B. 68. Ejus incolarum confessio de sacramento Eucharistiæ. 189.
Simonia Ecclesiæ. D. A. 10. 11. adversus eam gravissima verba. D. B. 56. 57.
Simsonis (Bern.) nundinator indulgentiarum apud Helvetios. A. 106.
de *Sinensium* arte typographica quid sentiendum. A. 3.
Sleupnerus (Domin.) ejus epistola ad Capitonem. B. 118. D. B. 77. Reformator Noribergensis. B. 121. D. B. 70.
Slutovius (Ott.) Inspector Ecclesiæ Treptoviensis. A. 245.
de *Smalcaldensi* conventu an. 1529. B. 218.
Snellius (Gerh.) Groninganus, Actor in disputatione Nordana. B. 179.

Sobius, Doctor Coloniensis. A. 190.
Solmensis (Phil.) Comes Luthero favet. B. 5.
Solodurienfium quorundam in Evangelium studium. B. 248. apud eos promovetur Reformatio. 392. de eorum in Evangelio recipiendo tergiversatione. 419. 420. Eorum Ecclesia. D. B. 142.
Somius (Conr.) Reformator Ulmensis, Zwinglio magnopere fuit addictus. B. 191. & S. B.
Sorbonistæ Budæo dicebantur Sophistæ. A. 185.
Spalatinus (Georg.) Lutherum monet de obedientia erga Pontificem. A. 233. Concionator aulicus in aula Friderici Saxonis. 237. sq. Ejus scripta & commercium cum Erasmo, Luthero & aliis, literarium. 239. Ejus epicedium à Stigelio compositum. ibid. Is & Jo. Islebius Agricola in Comitiis Spirensibus an. 1526. concionati sunt in diversoriis Principum Saxoniæ & Hassiæ. B. 160.
de *Spartiata* (Hieron.) A. 12.
per *Speiserum* (Joh.) Augustana Reformatio promota. B. 108.
Spenglerus (Laz.) una cum Pirckheimero se adversus Jo. Eckii calumnias defendit. A. 170. Evangelicæ doctrinæ amicus. ibid.
Spengler (Petr.) Martyr an. 1526. B. 308.
Speratus (Paul.) Nobilis Suevus & Reformator. B. 82. Borussiæ Reformator. B. 101.
Sperber (Joh.) Magister Lipsiensis cum Fr. Lamberto disputat. B. 166.
Spiegelius (Jac.) Ejus cum Hutteno amicitia. A. 160. Is & Conr. Peutingerus Wimpfelingii amici. A. 187.
Spirensium comitiorum an. 1526. historia. B. 160. Spirense edictum ejusdem anni. 161. Comitia an. 1529. habita Evangelio infesta erant. 208. de Spirensi angelo narratio. 227.
Stapferi (Balth.) pro Evangelio apud Switios studium. B. 242.
Staupitius (Joh.) Lutherum non instigavit ad debellandum Dominicanos. A. 96. de eo. 153. seqq. Lutherum ad suscipiendum reformationis negotium hortatur. 153. Lutheri theses condemnare non vult. 154. apud Salisburgenses veritatis semina spargit. 154. 156. à Luthero factus alienior, tamen cum ipso paulò ante mortem rediit in gratiam. 155. 156. Ejus pietas & scripta laudantur. 156. Ipse laudatur. 221. Ejus de Luthero testimonium. 227.
Steinerus (Wern.) Pastor Tugiensis, de eo. A. 270. Is & P. Cholinus apud Tugienses Evangelio favebant. B. 243. Ejus Historia Reformationis laudatur. ibid.
Stemmelius (Ordo.) Reformator Hamburgensis. B. 199.
Stephanus (Joh.) Reformator & Pastor Nordanus. - - B. 22. 279.
Stettinensis Reformatio. B. 84.
Stifelius (Mich.) Reformator Eslingensis. B. 109. Ejus fata. ibid.
Stockarus (Barthol.) Evangelista Tuginus. B. 224.
Stoerii (Steph.) Pastoris Lichtstallensis, disputatio Basileæ instituta. B. 271. sq.

Stolpensis Reformatio. B. 85.
de *Straussio* (Jac.) Doctore Isenacensi. B. 114.
Stromerus (Henr.) Aurbachius, de eo. A. 159.
Stumpfius (Sim.) Pastor Hungensis, de eo. A. 270.
Stunica (Didac. Lop. de) Fabri Stapul. adversarius. A. 177.
Sturmius (Casp.) Fecialis Lutheri in Wormatiensi itinere comes. B. 26.
Sturmius (Nic.) Cos. Magdeb. Evangelio favet. B. 83.
Sturmius (Joh.) Argentoratensis scholæ rector, ducatum reformat Bipontinum. B. 100.
Sturmius (Jac.) Argentoratensis Reip. Consul & Legatus. B. 218.
Stuurmanni (Henr.) studium reformationis Groninganæ. A. 46.
Suavenius (Petr.) Reformator Stolpensis. B. 85. Ejus Apologia pro Petr. Mosellano. D. A. 202.
Sunda reformata. B. 84.
ad *Superstitionem* proclivitas hominum incredibilis. A. 83. de ea & idololatria pontificia testimonium Zwinglii. B. 287.
Supplicia sumta in Anabaptistas non laudantur. B. 336.
Sussius (Laurent.) Reformator Nordhusanus. B. 145.
Sutor (Petr.) Fabri Stapul. adversarius. A. 177.
in *Switensium* Republ. jam ab initio fuerunt, qui Reformationi favebant. B. 242. Ejusd. reip. testimonium Zwinglio de ejus fidelitate datum an. 1519. ibid. apud eos Franc. Zinckii nuptiæ Evangelii progressum impedierunt. 243.
Swobaci composita Visitatio Ecclesiarum Noricarum. B. 202. de Swobacensibus articulis quædam monentur. 203.
Sylvii (Æn.) f. Pii II. de potestate Papali testimonium. A. 31. Ej. bulla retractationis. ibid.
Symphorianus & Ant. Firnius Reformationi apud Argentoratenses favebant. B. 55.
Synodorum laus. D. A. 50. 51.

T.

Tastius (Herm.) Reformator Husumensis. B. 71. Reformator Holsatiæ. B. 185.
Tecklenburgensis Reformatio. B. 144.
Tegetmeier (Sylvest.) Reformator Rigensis. B. 85.
de *Testamenti* Novi versione Lutheri. B. 88.
Testes veritatis in Concilio Constantiensi. A. 43.
Teteleben (Valent. à) Epistola ad Albertum Moguntinum de Hier. Aleandro. D. A. 146. Ejus literæ ad Fridericum Saxonem. B. 12.
Tezelius (Joh.) & Dockenspoell erant Arcimboldi subcommissarii. A. 78. Alberti Moguntini constitutus est subcommissarius. 79. 80. Ejus instructio summaria pro subcommissariis. 80. D. A. 83-113. Ejus impudentia & scelera. A. 81. D. A. 29. Ejus incredibilis temeritas & audacia, imposturæ & fraudes. A. 82. Ejus dicterium de viciata virgine Maria. 81. 82. Cujusdam, qui ipsum deridendum dedit, historia. 83. Ejus conamina adversus Lutherum & ejus theses. 134. Eum inter & Lutherum status controversiæ ponitur. 135. theses

ses Lutheri thesibus oppositas, Francofurti defendit. 204. Ejus thesium combustionem à se amolitur Lutherus. ibid. Ejus mores improbat Miltitius. 232. Ejus mors. 235.

Theologia per Reformationem demum exculta. A. 22. - - Biblica prohibita in ipsis Academiis ante Reform. A. 30.

Thurzo (Joh.) Episcopus Uratislaviensis Evangelio jam an. 1520. favet. B. 20. de eo. D. B. 5. 160.

Tiguri & Wittebergæ laus. A. 128. 133. Ejus cives se indulgentiarum nundinationi opponunt an. 1519. 126. ad eos epistola Leonis X. an. 1519. 127. Tigurinæ Reformationis prærogativa præ Witebergensi. 128. de Tigur. Ecclesiæ reformatione. 263-328. de Tigur. Colloquio primo inter Jo. Fabrum, Constantiensem Canonicum & Zwinglium an. 1522. 268. Tig. Synodus generalis an. 1523. d. 29. Januar. 279. sq. Senatus decretum primum pro reformatione. 286. Synodus secunda generalis an. 1523. d. 26. Septemb. 290. sq. Tigurinum inter & reliquos pagos circa Reformationem contentiones. 296. sq. Eorum pro Reformatione apologia. 297-301. & 311-315. B. 299. Eorum reformatio ulterior laudatur. A. 309. 310. Eorum Viri Docti recensentur. B. 233. Eos inter & reliquos dissidia orta primùm propter milites stipendiarios. 240. Eis reliqui pagi sunt infesti. 264. 265. ad eos, Scaphusanos & Abbatiscellanos reliquorum pagorum legatio. 265. sq. Ipsi Disputationem Badensem refugiunt. 280. dies festos sanctorum abrogant. 317. exsulibus propter Evangelium refugium præbent. 334. armatâ manu Doctores suos Bernam proficiscentes comitantur. 352. Synodos ecclesiasticas celebrant ad constituendam doctrinæ & morum disciplinam, & reformationem in omnibus Præfecturis urgent. 369. Missam non tantùm abolent, sed & prohibent. 384. Ipsi & Bernenses copias educunt adversus Pontificios. 395. moribus reformandis intenti. 418. de legatione an. 1522. ad eos missa H. Zwinglii epistola. D. A. 209. Ejusdem in Synodo generali prima an. 1523. d. 29. Jan. ventilatæ conclusiones 67. D. A. 221. Apud eos Eucharistiæ celebrandæ formula. D. A. 240. sq.

Tilemanni Spengerberg Monachi Groningani doctrina purior. A. 46. 47. Ejus prædictio de reformatione instanti. ibid.

Tindallus (Wilh.) N. T. anglico sermone est interpretatus. A. 179. adversus eum scripsit Th. Morus. ibid.

de *Toggenburgensi* Reformatione. B. 274. 324. 351. ad eos epist. Zwinglii eximia. 274. Ipsi an. 1528. pergunt in reformando. 368. apud eos an. 1529. habita Synodus. 394.

Tolcken dicuntur Interpretes in ordinatione ecclesiastica Borussica. S. B.

Toneri (Volcat.) ad Zwinglium epist. laudatur. B. 242.

Trabantius (Nic.) de eo. B. 80.

Trachselus (Balth.) pastor Artensis in Switia. A. 270. primus inter

Helvetios uxorem duxit an. 1521. B. 242. S. A. Ejus exilium Evangelio proficuum. B. 389.
Traditiones hominum defendit C. Trægerus. B. 274. Earum nebulæ obtenebrant Evangelium. 285.
Trægerus (Conr.) Ej. Paradoxa ab Argentoratensibus tanquam impia traducuntur. B. 111. 112. Friburgi centum Paradoxa adversus Evangelium edit. 273. disputat in Disput. Bernensi. 355. 356. Ejus ineptiæ. D. B. 135.
Tragœdia Parisiis an. 1524. acta in causa Reformationis coram Francisco I. B. 42. D. B. 49-51.
Trapezuntius (Ge.) de eo. A. 11.
Tridentinum Concilium reformationi magis obstitit, quàm eandem promovit. A. 37.
Trithemius (Joh.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170.
Trophagius (Henr.) Reformator Mindensis. B. 222.
Tryphernas (Greg.) de eo. A. 12.
Tschudius (Ægid.) Zwinglio tutum offert refugium. B. 254.
Tschudii (Valent.) consilium in Glaronensi Reformatione laudatur. B. 387.
apud *Tugienses* P. Cholinus & W. Steinerus Evangelio favebant. B. 243. *Tugii* doctrinam Evangelicam persequuntur. 258.
Turcarum potentia circa seculum XV. A. 66.
Turgoviensis Comitatus reformatur. B. 324.
Turonensis Conventus an. 1510. habiti testimonium de potestate Pontificia. A. 29.
Typographiæ ars mirabilis. A. 2. Eam num Scythæ adinvenerint? 3. Eam num Germani vel Belgæ à Sinensibus didicerint. ibid. Ea singularis Reformationis propagatrix fuit. 5. Eam opprimere Sorbonici Doctores voluerunt, sub prætextu quod per eam hæreses diffunderentur. 8.

U.

Udenhemius (Crato) scholæ Selestadiensis præfectus. A. 193.
Uladislaus, Rex Hungariæ. A. 61.
Ulenbergii de Lutheri diligentia testimonium. - - - A. 88. 99.
Ulmensis Reformatio. B. 54. Ulmæ Eberlinus, Kettenbachius & Diepholtus annunciant Evangelium. 77. Ejus reformationis progressus. 190. 191. Ejus civitatis nobilitas. 192. Ejus Reformatores Zwinglio sunt addicti. 219. 220. de ejus reformationis articulis & actis. 220.
Ulmian (Wolfg.) Pastor San-Gallensis. B. 267.
Ulrici Dornumani Epistola ad S.P.Q. Groninganum. B. 173.
Ulricus & Georgius Duces Wurtenbergici. A. 65.
Underseenses in Bernensi Provincia Evangelio adversantur, sed frustra. B. 370.
apud *Uranios* Jodoci Schmidii favor in Evangelium jam an. 1519. commonstratus laudatur. B. 241.
Uratislaviensis Reformatio. B. 68. sq. Eorum Episcopi Jac. à Saltza & Balth. à Promnitz Evangelicæ doctrinæ favent. 157. Eorum Senatus Apologia pro Reformationis à se facto decreto. D. B. 55. seq.
Utenheim (Chr. ab) Episcopus Basileensis. A. 111.

V.

Vadianus (Joach.) Lutheri ſcripta in Helvetiam defert. A. 259. Reformator apud San-Gallenſes. B. 239. 246. Sangallenſis Conſul & ejus merita. 324. ſq. Ejus libri de conſideratione Euchariſtiæ laudantur. 325. Ejus character. 326. Ejus ſcripta. ibid. Præſes in diſputatione Bernenſi. 353. fraudes Monachorum in urbe Sangallenſi detexit. 385.

Valla (Laur.) de eo. A. 15.

Vannerus (Joh.) Conſtantienſis, de eo. A. 268. Reformator Conſtantienſis. B. 239. 245. 291. Memmingenſium Evangeliſta. 291.

Varillaſii anecdota Florentina laudantur. - - - - - - - - A. 29.

Vebe (Hieron.) Jure Conſultus, de eo. B. 32.

Velcurio dictus al. Balth. Bern. Feldkirchius primus ex ſacerdotibus Clerogamiam introduxit. - B. 57.

Venatorius (Th.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170. B. 121.

Venetiis jam an. 1520. erant, qui Luthero favebant. B. 19.

Vernacula lingua, de celebrandis in ea ſacris. - - - - D. A. 154.

Verſio Scripturæ S. Anglicana à Wiclefo procurata. A. 41. Tigurina Germanica. A. 327. S. B. Lutheri laudatur. B. 91. de hujus defectibus. ibid.

Vetterus & Burgauwerus apud San-Gallenſes an. 1520. Reformationis fundamenta ſtraverunt. B. 246.

Vezenenſium in Rhætia reformatio. B. 389.

de *Vi* externa ad religionem propagandam minus apta. A. 276.

Visbekius (Jo.) Reformator in dominio Eſenſi. B. 144.

Viterbienſis (Ægid.) Oratio in Lateranenſi Concilio habita. A. 35. D. A. 46.

Vitodurenſium reformatio. B. 288.

de *Vocatione* & electione Paſtorum. D. B. 60.

Vulgatæ Verſionis Latinæ ridiculum elogium. A. 14.

W.

Waldenſes, de eis teſtimonium Ludovici XII. A. 19. de eis & eorum doctrinis. 38. 39. de eorum perſecutionibus. 39. ex Pedemontio originem habent. B. 401. Eorum legatio ad Reformatores Helvetiæ. 402. Eorum conſultatio cum Oecolampadio. ibid. Eorum confeſſio fidei & mores. 404. ſq. hærent circa ſententiam Lutheri de ſervo arbitrio. 409.

Walderus (Henr.) Conſul Tigurinus. B. 312.

Waldshutenſis Reformatio. B. 272.

Wannerus (Joh.) vid. Vannerus.

Warami (Gul.) laus. A. 21.

Wartburgenſis detentio Lutheri. B. 38.

Wattewiliæ (Margar.) laus in Evangelio promovendo. B. 251. 252.

Weis (Adam.) in oppido Creilsheim docebat Evangelium. B. 78. Ejus ad Zwinglium epiſtolæ. S. B.

Weiſſenburgi Evangelium annunciatur per Mart. Bucerum. B. 78.

Weiſſenburgius (Wolfg.) præco Evangelii apud Baſileenſes. B. 268.

Welſcius (Hieron.) B. 309.

Werlius (Conr.) Diaconus Scaphuſanus. B. 309.

Wesseli (Joh.) Groningani, bellum adversus indulgentias & purgatorium. A. 43. Ej. vox cygnea. 44. Ej. prædictio Reformationis. 44. Ej. defensio adversus Auctorem Historiæ Episcopatus Groningani. ibid. Ej. consilium Scripturam S. cum fructu legendi. ibid. Ej. doctrinæ capita primaria. 45. Ej. de indulgentiis querela. 86. 87. Reuchlini magister. 138.

Westermann concionator apud Lipsienses. B. 132.

Wetterus (Wolfg.) Reformator San-Gallensis. B. 327.

ad *Wettingenses* Epistola Oecolampadii. B. 390. Ejus Cœnobii Reformatio. 390. Eadem operâ Nic. Manuëlis Bernensis perfecta. S. B.

Wiclefus (Joh.) de eo, ejusque libris & doctrina. A. 40. 41.

Widensee (Eberh.) Halberstadii & Magdeburgi docet. B. 52. & 83. Reformator Holsatiæ. 185. jam an. 1526. libellum edit. S. B.

Wilæ in Suevia, Theob. Billicanus Evangelium docet. B. 78.

Wilæ (in Abbatia San-Gallensi) Conr. Schrefogelius Evangelium docet. B. 418.

Wilhelmi, Episcopi Argentoratensis, adversus reformationem conamina. B. 113. 114. Ejus citatio presbyteri cujusdam uxorati &c. D. B. 70. Ejus Epistola ad Senatum Argentinensem. ib. 71. Ejus infestus in Evangelicos animus. ib. 73.

Wimpfelingius (Jac.) de eo. A. 187. seq. Ejus in Monachos scommata. ibid. Ei lis est intentata, quod de Monachis minus honorificè locutus esset. 187. Ejus liber de Germanica natione &c. 188. Ei positum epitaphium. ibid. Veritatis studiosus. 209.

Wimpinæ (Conr.) theses adversus Lutherum sub Tezelii nomine editæ. A. 134. Is theses Lutheri thesibus oppositas Francofurti defendit. 204.

Winckleri (Georg.) Martyris Halensis mors. B. 190.

Windnerus & Meizlerus Evangelium docent apud Constantienses. B. 239.

Winterthur, vide *Vitodurenses*.

Wirbius (Jac.) deinceps pastor Biennensis. - - - - - - B. 272.

Wismariæ urbis Reformatio. B. 128.

Wittenbachius (Thom.) Reformator eximius, ejus laus. A. 100. 101. Is, Bercht. Hallerus & Seb. Meyerus colloquium instituunt de religione & cœlibatu cum *religiosa* virgine Bernensi. B. 251. Ejus apud Biennenses pro Evangelio labores. 253. una cum septem aliis sacerdotibus uxorem ducit, eaque propter ab officio removetur. ibid. Ejus patrocinium suscipiunt an. 1525. Biennenses. 298. Ejus mors pia an. 1526. 335.

Wittenbergæ tempore reformationis multæ fuerunt officinæ typographicæ. A. 7. Ejus laus. 128. 133. præ Wittenbergensi Tigurinæ reformationis laus. 128. Wittenberg. Academia Lutherum laudat. 225. Ejus cives absente Luthero reformationem instituunt. B. 47. 48. 65. Reformatio hîc à Luthero instituta, in principio minus fuit *perfecta*. 98. 99. Reformationis hujus progressus. 157.

Wolfgangus Anhaltinus, de eo. A. 65.

Wolfgangi Palatini Epist. ad Fridericum Saxonem de Lutheri disputatione Heidelbergensi. A. 214.

Wolfhartus (Bonif.) Basileensis, de eo. B. 272.

Wormatiensium Comitiorum epitome. B. 26-36. decretum adversus Lutherum. 39. 40. D. B. 34. sqq. Wormatiensis Reformatio. B. 53. ad Comitia illa Lutheri citatio. D. B. 32.

X.

Ximenius (Franc.) Cardinalis, de eo. A. 14. 17.

Xylotectus (Joh.) Patritius Lucernensis Evangelio favet. B. 231.

Z.

Zasius (Ulr.) Pirckheimeri amicus. A. 169. 170.

Zegenbagius (Joh.) V. D. M. Hamburgensis. B. 107.

Zellius (Matth.) Reformator Argentoratensis. B. 54. defenditur ab Argentinensibus. 76. Ejus apologia. ibid.

Zelus Theologorum sæpe intempestivus. B. 213.

Zilli (Domin.) Pastor San-Gallensis. B. 267. & Reformator. 385.

Zimmermann (Hieron.) B. 309.

Zinckii (Franc.) nuptiæ Evangelii progressum apud Switenses impediverunt. B. 243.

Zwiccavia urbs Saxoniæ Evangelio favebat. B. 49.

Zwickius (Joh.) Reformator Constantiensis. B. 259. 290.

Zwinglius (Huldr.) Ejus vita. A. 101. seq. Luthero prior Reformator. 103. 130. de eo ejusque reformationis initio testimonium Capitonis. 117. de ejus reformatione testimonium J. J. Grynæi. 121. Ejus adversus indulgentias papales zelus. 261. Ejus reformatio laudatur. 264. Ejus pro Luthero, ne in eum excommunicationis bulla vibraretur, intercessio. 265. Is an. 1520. stipendio, quod ab Ecclesia Romana acceperat hactenus, resignavit. ibid. Ejus laus apud Glaronenses. 266. Ejus in numerum Canonicorum Tigurinorum relatio. ibid. Ejus in perferendis laboribus etiam molestis constantia. 267. de colloquio Tigurino primo inter Jo. Fabrum Constantiensem Canonicum & Zwinglium an. 1522. 268. Ej. liber de delectu & libero ciborum esu laudatur. 270. Ejus & aliorum libellus supplex ad Episcopum Constantiensem de matrimonio ipsis permittendo. 270. 271. Ejus Archeteles laudatur. 273. Ej. conclusiones 67. d. 29. Jan. 1523. ventilatæ exhibentur. D. A. 221. & laudantur. A. 280. Ejus de Eucharistia sententia ante controversiam sacramentariam. ibid. calumniæ accusatus se purgat. 288. Ej. de Canone Missatico liber. 289. Ejus matrimonium. 305. Ejus de contractis nuptiis epistola. 306. Ej. ad Frid. Lindoverum expostulatio. 315. Ejus Antibolon. 316. Anabaptistarum adversarius. 318. Ejus somnii defensio adversus variorum calumnias. 322. seq. Ejus epist. de legatione ad Tigurinos missa an. 1522. D. A. 209. seq. Ejus de Magistratu Christiano sententia. S. A.

Ejus epist. ad Melandrum an. 1527. data. B. 153. apud Basilienses jam an. 1519. acceptus erat. 229. Ej. ad Myconium epistola laudatur. 232. Ej. ad Hallerum literæ an. 1522. 237. D. B. 82. seq. Ejus fervor per Seb. Hofmeisterum temperatur. B. 248. adversus eum decretum Ordinum Helvetiæ apud Bernenses congregatorum an. 1524. 254. Ejus ad Oecolampadium epist. an. 1525. 257. Ejus imago Lucernæ combusta. 258. Ejus epistola ad Toggenburgenses eximia. 274. Ej. epist. ad Eckium. 276. Ej. epist. ad Ordines Helvetiæ an. 1526. 278. D. B. 95. Ej. scriptum ad Val. Comparem. B. 284. seq. Ejus ad Badenses epistola. 308. Ej. excommunicatio per Helvetiorum pagos Badenæ congregatos. 309. 310. à calumnia, quasi causæ suæ diffidens Badam non venerit, liberatur. 316. 317. Bernam invitatur. 340. in Disput. Bernensi actorem agit. 359. Ej. de Providentia tractatus excutitur. 397. Ej. phrases duriores notantur. 398. 400. Ej. de salute gentilium sententia rejicitur. 400. disputationem non refugiebat. D. B. 103. Ej. responsio apologetica an. 1524. ad epistolam J. Eccii, &c. D. B. 86. seq. Ejus vehementia. D. B. 136.

FINIS.

